9

VETER
NARIA
MEDIC

VETERINARIAE MEDICINAE LIBRI II

IOHANNE RVELLIO SVESSIONENSI INTERPRETE.



Parisijs apud Simonem Colinæum.

1 5 3 0.

CVM PRIVILEGIO REGIO AD QVINQVENNIVM.

CHRISTIANISSIMO GALLIARVM REGI FRANCISCO EIVS nominis primo Iohannes Ruellius S. D.

PROPENSVM in me tuæ maiestatis fauorem facilè percepi FRANCISCE Rex Christianissime simul & inuictissime, cum mihi curam delegasti vertendi in latinum sermonem Veterinariam medicinam, iampridem multis authoribus Græcis diligenter elucubratam, quæ adhuc inter eorum monumēta nostris hominibus intacta reperiretur. Qua in re cum mihi plus honoris additum, quàm oneris iniunctum animaduerterem: statim tibi, vt & possum, & debeo, morē gerens, opus hoc laconica breuitate perstrictum, abditisq́ difficultatibus scatens, non inuita, vt arbitror, Minerua, donandum latinitate suscepi, vt cum tuis liberalibus auspicijs in publicū edetur, hoc cumulatiore beneficio milites tuos ac mortales reliquos omnes demerearis, cuius munere generis equini cōditio lōge notior omnibus prodeat. Quod ob ingeniū inenarrabile, docilitatē magnā, gloriæ & adhortationis intellectū, proximū humanis sensibus existimatur. Nam quis famulus amantior domini? Quis fidelior in adeundis periculis comes? Quis officiosior in itineribus faciūdis socius? Quis vltor & vindex constantior? Nanq́ plurima bonæ indolis eius & honesti animi documenta memoriæ prodita sunt. Bucephalus neminem alium quàm Alexandrum regio instratus ornatu recepit in sedem, alios passim reijciens. Iulius Cæsar equū apud se pedibus propè humanis natum, impatientē sessoris alterius primus ascendit. Tradunt hostem ex prouocatione dimicantē, ictibus equi morsuq́ confectum. Cæterum in ijs aliquod pietatis rudimentum elucet. Siquidem amissos lugent dominos, lachrymasq́ desiderio fundunt. Nam greges equorum quos in traijciēdo Rubicone flumine Cæsar cōsecrauerat, comperit pertinacissimè pabulo abstinere, vbertimq́ flere. Ferūt interfecto Nicomede rege eius equum inedia vitam finiuisse. Officia quoq́ iaculantes experiuntur, quum tela humi collecta equitibus tradantur porrexisse. Sed vt generosissimum equus animal est, ita maximis patet offensis, plurimisq́ valetudinibus est opportunum: &, vt Aristoteles est author, equo totidem quot hominibus morbi. Quare Veterinaria medicina opus fuit, Hippiatricen, quasi equariam vocant: quę & eorum vitia prorsus abigeret, & tantæ cōmoditatis animantem ab iniurijs vindicaret. Quam in latinum traductā donec maiora tibi & fortasse meliora parturimus, veluti præludiū aliquod veri iustiq́ laboris læta fronte suscipias, Christianissime rex, magnam in ea remediorum varietatem deprehensurus, indicesq́ morborum notas, simul

& equorum ingenia, tempus admissuræ, ingenuæ venustatis exempla, copiosam ad componendos eorum mores supellectilem, & instructam amplissimè tam aduersus intestinos quàm externos affectus auxiliorũ aciem. Verum cum opus diuersorum authorum scriptis constet, statim in ipso capitis limine, eius qui hæc condiderit nomen inscriptum inuenies.

Parisijs, VIII. Kaleñ. April. M D XXVIII.

Authores Græci.

Apsyrtus.	Hierocles.	Theomnestus.	Pelagonius.
Anatolius.	Tiberius.	Eumelus.	Archedemus.
Hippocrates.	Aemilius Hispanus.	Litorius Beneuentanus.	
Himerius.	Africanus.	Didymus.	Diophanes.
Pamphilus.	Mago Carthaginensis.		

Iani Lascaris in Ruellium.

Migrauit quondam facundia, teste Molone,
Græcorum, in Latium. vector erat Cicero.
Te duce quos reuocas orco, & qui prædita cernunt
Scripta tua eximijs dotibus ingenij,
Hi tibi erunt testes medicinam docte Ruelli
Migrasse ad Francos, eloquium, & sophiam.

CAPITVM REI VETERINARIAE INDEX.

F I N I S.

PETRVS RVELLIVS LECTORI.

Ne te, candide lector, rei Veterinariæ nomenclatura fortasse alicubi remoretur, dictionũ quarundam quæ non ita passim occurrunt, aut ab vsu quotidiano paulo videntur remotiores, expositionem hic ad operis calcem adijciendam putauimus. Quam, qua potuimus sedulitate, ex Catone, Varrone, Columella, Plinio, alijsq; classicis authoribus, vt à te gratiam iniremus optime lector, collegimus. Tuum erit nostram hanc operam boni consulere. Vale.

A

Admissarij dicuntur mariti equarum, qui admittuntur ad coitum. Vnde admissura.

Albugo, argemata, λευκώματα, idem sunt: suntq; morbi oculorum.

Amylum, sine mola factum.

Amineum vinum ab Aminea regione, vbi nunc falernum est.

Amurca, fex olei, quæ contra culices & limaces vim habet maximam.

Angina est morbus qui in faucibus esse consueuit. Tria sunt eius genera. In primo nec tumor, nec rubor apparet vllus, sed emacescit corpus, & membra soluuntur, & spiritus includitur. In secundo rubor est cum tumore, obmutescentia, pallor, singultus. In tertio fauces tantum cum rubore intumescunt. Dicitur autem angina ἀπὸ τοῦ ἄγχειν, quod est angere.

Ἀφθὰς, in verbo vlcera.

Aqua inter cutem, græcè ὕδρωψ dicitur, trium generũ. Tympanites, spiritu inflante, à forma vẽtris atq; sono quoq; dicitur. vnde tympanici. Ascites à figura vtris, quando in vnum aqua cõtrahitur. Leucophlegmatias, siue hyposarca, tertium, corpore inæquali tumoribus.

Assula, quod græcè σκίνδαλμος vocatur.

Assulatim, idem ferè quod minutatim.

Ategiæ ex herbis frondibus & ramis scenæ quodam topiario opere fiebãt, vt in castris alijs've locis frondibus culmis viticulis alijsq; rebus temporaria struuntur domicilia: qualia ad vmbram in hortis erigebãtur, vti per æstatem homines ab insolatu sese vindicarent.

Auripigmentum id est quod ἀρσενικὸν à Græcis nominatur.

B

Balanus vocatur glans quæ aluo subducendæ clysteris loco subditur: idq; ex adipe & nitro factitabatur parte plurima.

Balsamum herbam significat, & arborem balsami.

Bima duorum, trima trium, quadrima quatuor annorum.

Broci, dentes dicuntur qui dextra & sinistra parte paulo eminus prominẽt. Græci eos quibus dentes prominent, appellant παρόδοντας.

Brutia pix est secundus liquor crassior defluens à ligno igni circundato, quæ rursus in cortinas æneas coniecta spissatur & coagulatur.

Bulimon communis lingua intempestiuam & magnam famem vocat. Bu particula adaugens est.

Bulbi megarenses à Megaris ciuitate Græciæ.

Buprestis, genus est cantharidis.

C

Cannabinæ, possessiuum à cannabe herba.

Cancellatim, per cancellos. Cancelli ligna sunt inter se modicis interuallis in transuersum annexa, quibus scenæ & tribunalia & fenestræ muniebãtur. Gallis treillys.

Canterius, equus cui adempti sunt testiculi.

Carcinoma est durities cum inflammatione, interim & vlcere, liuidi coloris ac subrubidi, manans sanguine: raroq́ non cohærent, recuruanturq́ in eo venulæ atq́ pili. morbus insanabilis.

Cardiacus, siue à corde, siue ab ostio & ore stomachi, quod καρδίαν vocant, morbus est ex nimia imbecillitate corporis. quod quidem stomacho languente immodico sudore digeritur.

Caries est putrilago & vetustas. vnde cariosus, à carie.

Cæcilia nomen est serpentis, à cæcitate dicti, quæ & amphisbena: gallicè enuoye dicitur.

Ceratum à cera dicitur.

Ceruicis tumorē increscentem inter cutem & asperam arteriam, βρογχοκήλην Græci vocant: quo modò caro hebes, modò humor aliquis mellis aquæ've similis includitur. quibus sic turgent guttura, gutturosos Latini vocant.

Cholera est cõmune vitiũ stomachi atq́ intestinorũ. nam simul & deiectio & vomitus est: præterq́ hæc inflatione intestina torquentur, bilis supra infraq́ erumpit, primùm aquę similis, deinde vt in ea recens caro lota esse videatur, interdum alba, nonnunquam nigra, vel varia.

Chordum fœnum serò natum. vnde & frumenta chorda.

Cyma est quidam caulium delicatior teneriorq́ cauliculus.

Cymata in brassica dicuntur, quæ vere proximo post primam sectionem è caulibus colliguntur, vel (vt alij dicunt) tenuiores cauliculi.

Cimolia creta ab insula Cimola, qua vtuntur fullones in vestibus abluẽdis. hanc nunc vulgus terram saponariam vocat.

Cohortes sunt villarum intra maceriam spatia.

Cohortales gallinæ, quæ in corte domi aluntur.

Clauus græcè ἧλος, rotunda specie, coloris albi. fit in plantis digitisq́ pedum maximè. fiunt & callosa quædam in cãdido oculi tubercula, quæ claui nominantur oculorum.

Clitellæ dicuntur ea quibus ſarcinæ colligatæ mulis portantur. vnde muli clitellarij.

Collyria attende dici non ſolum medicamēta oculorum, ſed aliarum quoq; rerum. Item Cornelius Celſus collyria ponit pro medicamētis fiſtularū, docens quomodo debet fieri collyrium ad fiſtulas curandas.

Comitialis inter notiſſimos morbos eſt, qui & maior nominatur. eſt autem quędam totius corporis conuulſio. animal ſubito concidit. ex ore ſpumæ mouentur. deinde interpoſito tempore ad ſe redit, & per ſeipſum cōſurgit. Id genus morbi in equis ſyderatio vocatur.

Concoqui dicitur cibus in ſtomacho.

Condylomata tubercula quę circa ſedem coronamq; partis eius conſiſtunt.

Coni, nunc cupreſſi.

Coriago dicitur in veterinis cum pellis ita tergori adhæret, vt apprehenſa manibus deduci à coſtis non poſſit. ea eſt infeſta equino pecori, & bubulo: quæ non aliter accidit, quàm ſi equus ex languore aliquo ad maciem perductus eſt.

Corrudam ſylueſtrem aſparagum vocant.

Coxendicem coxam exponit Nonius.

Cunila bubula hęrba eſt qua ſe tuentur teſtudines contra ſerpentes pugnaturæ. Græci agrion origanon vocant.

Corona pars eſt pedis in brutis.

Crenæ ſunt inciſuræ, à quibus crenata folia hęrbarū vocātur, hoc eſt ſerrata, ſectàque per ambitum. in ſagitta quoq; partis extremæ ſectio, in quam neruus inſeritur arcum tendere volentibus, crena dicitur.

Cremor ſuccus expreſſus è grano macerato.

Cruditas redundantia ſtomachi, quæ naſcitur ex ægra concoctione.

Cubitorem equum vocamus qui libenter decumbit in ſulco vel itinere, & vitio decumbendi eſt obnoxius.

Cunila hęrba eſt appellata à noſtris, Græcis origanum.

Curſus quo quis inſidens equo alterum quantū poteſt celerrime trahit, calpen Græci vocant, gallicè galop, & hinc καλπάζειν, galloper.

D

Decapulare eſt de capula in capulam deplere. Vnde decapulatores qui capulis oleum deplent. ſunt enim capulæ vaſa anſata.

Decuſſare eſt in decuſſes formare atq; diuidere.

Defrutum vinum ad tertiam partem decoctum. dicitur autem à deferuendo. vnde defrutariæ cellæ.

Deglubo, corticem detraho.

Deplere, euacuare ex vaſis.

Deſpondere animum, eſt ſtatuere finem vitæ.

Dyſenteria exulcerationem inteſtinorum ſignificat, cum ſtrigmenta quædam cruenta redduntur.

Dracunculus vermis eſt tineæ ſimilis, non in ventre, ſed in lacertis, femore, tibijſq́ꝫ: parte Aegypti ſuperiore copioſus. qui latera quoqꝫ paruulorũ infeſtat: mouetur q́ꝫ hic ſine dubio.

E

Ebulus herba eſt faciens baccas in ſimilitudinem ſabuci.

Elephantia eſt morbi quoddam genus, ab elephantorum cutis ſimilitudine dictum, crebris ſumma corporis parte maculis ac tumoribus, rubore paulatim ſe in atrũ vertẽte. hoc morbo laborãtibus nõ ora modo atqꝫ manus, ſed ſuræ quoqꝫ ac pedes inflantur. elephantiacos vocant, vulgo leproſos.

Ellychnion dicitur id quod ex papyro tortum in lucernis vritur. lychnion quoqꝫ in hoc ſignificato legitur.

Elutriare id ſignificat quod Græcis μεταγγίζειν, hoc eſt de vaſe in vas trãſferre, quod quidem & trãſuaſare latinè dicitur, ſed rarius fortaſſe, à lutra vaſe.

Enterocela dicitur cum inteſtina delabuntur in ſcrotum, epiplocela cum omentum, hygrocela cum in alterum è teſtibus humor cõfluit. omnéſqꝫ has ſpecies noſtri vocãt hernias. Ramex, cum venarum ramis quaſi varicoſum ſcrotum tumeſcit.

Epiphora morbus eſt ocularius.

Equile ſtabulum eſt equorum, ab equo, vt ouile, & bouile.

Eryngium herba eſt inter aculeatas in primis clara contra ſerpentes, & venenata omnia naſcens. eius radix bibitur aduerſus ictus morſúſqꝫ, centumcapita vocant officinæ.

Eruca vermis arcuatim ſerpẽs, ab erodẽdo vocata. vulgus chenillam vocat.

Eruum, genus leguminis quod vim medicaminis obtinet.

Eſitare, forma frequentatiua, à ſupino eſum deriuatur.

F

Fatiſcant, reſoluantur, deficiant, langueſcant.

Fibulare eſt alligare, cum quibuſdam quaſi fibulis coagmenta cõnectuntur.

Fibulas Græci ἀγκτῆρας nominant, ſuturas quæ vulneris oras paulum contrahunt, & iungunt, quo minus lata poſtea cicatrix ſit.

Ficus vlcus eſt fici ſimilitudine. σύκωσις Græcis nominatur. Caro excreſcit. & id quidem generale eſt. Sub eo verò duæ ſpecies ſunt, alterum vlcus durum & rotundum, alterum humidum & inæquale.

Flaccidi dicũtur, quorum aures pendulæ, & non arrectæ ſunt. inde flacceſco, hoc eſt langueſco. à flaccis auribus deriuatur.

Floces, vini ſunt feces.

Foria, ſtercora liquidiora, ſic dicta, quòd facilè ferãtur foras. inde forioli equi dicuntur qui ventrem ſolutum habent.

Fraces, oliuarum ſunt carnes.

Fraceſcere dicuntur oliuæ, quæ collectæ caldore & vetuſtate putrefiunt.

Freſum dicitur, quod infractum & cõminutum eſt, ſicut & fabæ freſæ, quæ molis franguntur.

Frietur, hoc eſt teratur digito. inde compoſitum affrio, infrio, & ſubfrio. Friabile id latinè dicitur, quod facilè diſteritur. vulgo vocant froier.

Furunculus dicitur vlcus naſcens paſſim in quacunq; parte corporis. Græci vocant δοθιήν.

G

Garum, liquamen ex piſce.

Glaber glabra glabrum, depilem ſignificat. glabrata, nuda ſine pilis. inde glabricies.

Gleucinum græcè dicitur oleum muſtum, hoc eſt expreſſum antequam oliuæ calcentur atq; premantur. nam γλεῦκος græcè, muſtum latinè.

Gliſcere eſt creſcere. vnde gliſcit, creſcit valde per inſtructionem epularum.

Gluma eſt folliculus grani, vt dicatur grani theca.

Groſſi ſunt primitiuæ ficus, quæ velut præcoces non matureſcunt.

H

Hæmorrhois intra ſedem naſcitur immaturi mori ſpecie, interim ſine tuberculo. ſciſſuras habet, vnde ſanguis effluit. interim leuis rubènſq; tumor eſt, nec ſanguinẽ remittens, propter quod hæmorrhois cæca dicitur.

Herniæ, in verbo enterocela

Hygræ vocantur liquida emplaſtra, ſicut xeria, quæ ſunt arida.

Hyoſcyamos herba eſt quæ & altercum latinis, apollinaris, & ſymphoniaca appellatur.

Hirudo vermis in aquis habitans, quæ & ſanguiſuga appellatur. etenim in potu hauſta, adhærens faucibus ſanguinem ducit. incremento ſuo tranſitum cibi prædudit.

I

Iecinoris morbum Græci ἡπατικὸν vocãt. dextra parte ſub præcordijs vehemens dolor eſt: idemq́; ad latus dextrum, & ad iugulum humerumq́; partis eiuſdem peruenit. Iocineroſi, qui vitio iocineris laborant.

Ileos morbus dicitur cum excrementa in ſtomachum reſiliunt, atq; deinde per os redduntur: omninoq́; inteſtini gracilioris morbus ileos dicitur.

Ileosi dicuntur, qui ileo intestini gracilioris morbo laborant. hoc genus morbi Græci vocant ἴλεον.

Incerniculum ab incernendo, genus est cribri.

Informicationes, siue formicantes verrucæ, Græcis myrmeciæ dictæ, quasi sit aliquis pungentium formicarum sensus.

Infundibulum instrumēti rustici nomen est, quo vina diffundūtur in dolia.

Intertrigo ab intertero, quando simul membra interteruntur, & confricantur, accedente sudore.

Intestini plenioris morbus est in ea maximè parte, quam cæcam esse proponunt, vehemens inflatio, vehementes dolores, dextra magis parte intestinum, quod verti videtur, prope spiritum elidit. in plerisq; post frigora

Incruditatéq; oritur.

testini tenuioris morbum χόρδαψον Græci appellant. is modo supra vmbilicum, modo sub vmbilico dolorem mouet. fit ex alterutro loco inflammatio, nec spiritus intra se transmittitur, si superior pars affecta est.

Ischiadici morbo coxendicis laborant, qui & coxarij dicūtur. nam coxendix vel coxa græcè ἰσχίον dicitur.

Iuglandes nuces sunt maiores.

L

Laciniæ scissuræ extremarum vestium decoris gratia factæ. vulgo frangez. Distribui in lacinias, id est in particulas separari. vnde laciniatim, id est particulatim.

Laseris frutex clarissimus est nomine laserpitium, quod Græci silphion vocant. Cuius succum vocant laser. magnificum in vsu, medicamentisq;, & ad pondus argentei denarij pensum.

Lentorem, tenacitatem, & viscositatem ex humore procedentem.

Lethargus est marcor, & inexpugnabilis penè dormiendi necessitas cum alienatione mentis.

Lienis vbi affectus est, intumescit, simulq; cum eo pars sinistra: eáque dura est, & prementi renititur. venter intentus est. aliquis etiam in cruribus tumor est.

Liparæ medicamenta pinguia sunt, &, vt Celsus ait, leuia.

Lippitudo oculorum inflammatio est, vbi cum tumore in his dolor est, sequiturq; pituitæ cursus nonnunquam copiosior, vel acrior, nonnunquam vtraq; parte moderatior, græcè ὀφθαλμία.

Liratim aduerbium, per liras.

Lixiuum oleum dicitur sponte fluens, nō tortiuum, sicut mustum lixiuum: quod sponte fluit antequam calcentur vuæ. πρότροπον Græci vocant.

Locos propriè appellant genitalia fœminarum.

Lotium vrina eſt.

Lumbago, lumborum vitium, & morbus.

Lumbrici ventris animalia ſunt, vermiũ figura, quæ græci aſcaridas vocant.

Lutra vaſis genus eſt, à luendo vocatum: à quo elutrare: de quo ſupra.

Luxa & luxata membra, ſuis locis mota & ſoluta. vnde luxatio.

M

Malagma à verbo græco μαλάττω. quod eſt mollio: & eo vtimur in duritie mollienda.

Malicorium eſt putamen mali punici ſeu granati.

Mandræ vocantur equorum, ouium, & boum, aliorumq́ huiuſmodi animalium receptacula & clauſtra.

Matrices dicuntur, quæ ad progenerandum aptæ ſunt.

Medica hærba eſt quæ vulgo melica dicitur. ſemel ſata decem annis durat. vbiq́ nunc ſeri cœpit. burgundienſe fœnum rura vocant.

Meliceris vlceris genus, quod à faui ſimilitudine nominatur. idq́ duas ſpecies habet. Alterum ſubalbidum, furũculo ſimile, ſed maius, & cum dolore maiore. Alterum eſt minus, ſuper corpus eminens, durum, latum, ſubuiride, ſubpallidum, magiſq́ exulceratum.

Muſcarium, equorum ſetoſa caudæ pars vocatur, qua ad arcenda inuolantium muſcarum agmina vtũtur. In orbem quoq́ radiatas hærbarum comas, cacuminaq́ in faſces coacta, latini muſcaria vocitauerunt.

Myrmeciæ dictæ ſunt in genitalibus, ſede, fœminibus, palmis, & inferioribus partibus verrucæ, lupini amplitudine: quæ ideo ſic nominantur, quia formicæ modo pungant.

Myſiatum vinum à Myſia vrbe Phrygiæ.

Muceat, mucorem contrahat. inde muceſco, & mucoſus.

Muria, ſal cum aqua medicatum & induratum.

N

Naſturtium hærba dicta, quòd naſum torquere faciat.

Nomæ dicuntur vlcera quæ depaſcunt corpus, vorantq́ ſerpendo.

O

Obſtipi dicuntur quibus colla rigent, & in humerum capita ſunt inclinata.

Ocymum dictum à verbo græco ocys, quod valet cito, quòd citat aluũ veterinis. Id genus pabuli ſunt ſegetes virides ſectæ antequã ferant ſiliquas. inde far ferro cæſum, farrago dicitur: nonnunquã ex hordeo, quæ hordeacea farrago dici ſolita eſt, quem græci vocant χράσιμ.

Oculorum ſuffuſionem græci ὑπόχυσιμ nominant. interdum oculi poten-

tiæ qua cernit, se opponit.
Offa, massula & frustum.
Opisthotonici in verbo tetanici.
Orthopnœa est circa fauces malum, quod in difficultate spirādi consistit, diciturq; quando non nisi recta ceruice spiritus trahitur.

P

Papularum duo genera sunt. Altera est in qua per minimas pustulas cutis exasperatur, & rubet, leuiterq; roditur: medium habet pauxillo leuius: tarde serpit: idq; vitium maxime rotundum incipit, eademq; ratione in orbē procedit. Altera est quam ἀγρίαν græci appellāt, in qua similiter quidem, sed magis cutis exasperatur exulceraturque, ac vehementius & rodit, & rubet.
παρωτίδες sub ipsis auribus oriri solēt, ibi inflammatione orta. id abscessus genus est.
Pastillus est forma panis parui in quo tātum arida medicamenta aliquo humore inunguntur. græcis τροχίσκος nominatur.
Percolari est liquorem colo excerni.
Peroriga appellatur quisquis admittit. eo enim adiutante equa alligata celerius admittitur, neq; equi frustra cupiditate impulsi semen eijciunt.
Phalangium, aranei genus.
Phthisis oritur fere cū a capite nōnihil in pulmonē destillat. hinc exulceratio accedit. ex hac febricula leuis fit: quæ etiā cum quieuit, tamē & repetit.
Pinna, pro penna.
Pinsitum intelligitur id quod vulgo dicitur pistum & molitum.
Pyxidicula est parua pyxis.
Pollinem modo pro flore farinæ, modo pro quacunq; re detrita in minutū puluerem sumit.
Pollinaria, cribra siue excussoria, farinaria, viciaria.
Polypus est caruncula modo alba, modo subrubra, quæ nares obsidet.
Porrigo dicitur in capite, barba, supercilio, quoties inter pilos quędam quasi squāmulæ resoluuntur, aliæ madentes, aliæ siccæ, nunc vlcerato loco, nūc sine vlcere. à græcis λεπίδες vocantur.
Præcox dicitur quod cito maturescit.
Proritet, incitet, inuitet, allectet.
Pterigonia siue pterigion Celsus dicit esse cum recedit ab vngue caruncula non sine magno dolore, vt videri possit: quod reduuia quoq; nominatur.
Ptisana videtur esse pultis genus ex farina hordeacea.
Pulla, id est nigra. pullum enim nigrum vocant.
Pullicies pro prouentu & fœtura pullorum. dicitur & pullatio.

Pulmonis dolor vehemens & acutus morbus eſt, quem græci περιπνευμονίαν vocant. eius conditio eſt. Pulmo totus afficitur: hũc caſum eius ſubſequitur tuſſis bilem vel pus trahẽs: præcordiorum, totiuſq; pectoris grauitas, ſpiritus difficultas, magnæ febres, continuæ vigiliæ, cibi faſtidium, tabes.

Puluinos per trãſlationem appellat partes illas in areolis hortorũ & vinearum cultura molliores, eminentioreſq;. ſic & in corpore prominentiores tori, puluini dicuntur.

Puſula, morbus quem vocant ignem ſacrum.

R

Radicula hærba eſt quæ latinis lanaria appellatur. nota eſt hærba, qua purgandis lanis vtuntur qui eas eluunt.

Ramentum à radendo dicitur, id eſt quod raſo ligno vel alia re decidit.

Ranas veterinarij vocant vitioſa incrementa linguæ. hæ ferro reciduntur, & ſale cum allio pariter trito vulnera defricantur. vulgus, les barbes.

Rhagades in ſede rimæ & ſciſſuræ.

Reduuia dicuntur cum cutis ſe circa vngues reſoluit, à reluendo, id eſt reſoluendo, quaſi reluuia.

Retrimentum à reterendo videtur deduci. Plinius recrementum dicit.

Rhous qua ad obſonia vtũtur, aut ad coria. officinæ ſumacham nominant.

Ricinus vermis eſt exitum non habens excrementi, canes acrius infeſtans, atq; boues, gallice thiques.

Rudicula, virga, diminutiuum videtur à rude.

S

Sacer ignis malis vlceribus annumerari ſolet, cuius duæ ſunt ſpecies. Alter eſt ſubrubicundus, exaſperatuſq; per puſtulas cõtinuas, exiguaſq;: in quibus ſemper ferè pus, & ſæpe rubor cum calore ſerpit. Alterum genus eſt in ſummæ cutis exulceratione, ſed ſine altitudine, latũ, ſubliuidũ.

Salgamariũ vas, quo quęcunq; conditanea ad victum noſtrum ſeruabantur. & ſalgama conditanea quæ in his vaſis erant. inde ſalgamarij dicti qui rectè ſalgama concinnant.

Salire dicuntur animalia ratione carentia quando fœminam mares ineunt.

Saliuandum pecus, hoc eſt quaſi ſaliua potionandum. Saliuatum, à quibuſdam ſaluiatum, potionis eſt genus quo in iumentis maximè vtuntur veterinarij medici. græce ποτὸν, πόμα, & προπότισμα.

Santonica hærba genus eſt apſinthij amariſſimi.

Sapam appellant vinum ad tertias decoctum.

Scabies eſt durior cutis rubicundior, ex qua puſtulæ oriuntur, quædã humidiores, quædam ſicciores. exit ex quibuſdam ſanies, fitq; ex his continua-

ta exulceratio pruriens.

Scarificationes ſunt minutæ cutis inciſuræ, quibus in cucurbitulis quoque imponendis vtimur.

Scylla ſpecies eſt cepæ ſiue bulbi, à qua acetum ſcyllaticum, vel ſcylliticum dictum, quod oculorum aciem exacuit.

Scrotum folliculum ſignificat quo teſticuli conteguntur.

Seminio, pro ſemine.

Seplaſia erat Capuæ vicus vbi odores & medicinæ vendebātur. vnde ſeplaſiarij dicuntur qui odores & medicinas vendunt.

Sertula campana hærba eſt quam melilotum dicimus.

Syderatio à græcis vocatur ἀστροβολισμὸς & σφάκελος: quandoq; equorū morbus eſt. id genus morbi hominibus comitialis vocatur. Eſt & arborū quidem morbus afflatarum ſydere.

Siriaſes ſunt vlcera quæ in gingiuis incipiunt, quæ græci ἄφθας vocant.

Silet & ſileſcit cœlum vel luna. cœlum quod ſerenum eſt. luna dum coit.

Similago ſunt deliciæ triticeæ farinæ.

Simus, qui preſſis eſt naribus. vnde reſimi & ſubſimi qui ſurſum verſus reſimas gerunt.

Strigiles à ſtringendo, id eſt exterendo, nomen traxere, vel quia græci dicunt στλεγγίδας.

Strigæ appellantur ordines rerum intra ſe continuate collocatarum, à ſtringendo dictæ.

Strigoſus habitus, gracilis & macilentus dicitur, in iumentis præſertim, quòd eorū corpora ſtringātur aut fame, aut alia vitij cauſa: quaſi ſtringoſus.

Struma tumor eſt in quo ſubter concreta quædam ex pure & ſanguine, quaſi glandulæ, oriuntur. græci vocant χοιράδας, quaſi ſcrofulas.

Subula inſtrumentū eſt quo perforandis calceis ac ſuendis vtuntur ſutores.

Subrumentur, hoc eſt ſub mammam mittantur. antiquo nanq; vocabulo mamma dicitur rumis. vnde agni & hœdi ſubrumi appellantur, qui ſub rumis id eſt mammis adhuc habentur.

Suffitas, fumigatas, & quodam quaſi ſuffimine medicatas. apud Plinium frequenter legitur ſuffitus, ſuffitiones, ſuffimenta.

Suffragines, nodi vel articuli ſunt ſub crure, quibus pedes inflectūtur, dictæ quòd ad ingreſſum ſuffragentur, vel ſuprà frangantur.

Suffraginoſa mula, cuius ſuffragines morbo vitiatæ ſunt.

Suppuratio eſt cum vlcus puri mouendo eſt, & ad maturationem tendit.

T

Tabanus animal paruū vocatile, alio nomine aſilus & œſtrus græce dicitur.

Talea fruſtum ligni præciſum ex vtraq; parte, vt in terra inſeratur.

Tendones, τένοντες græci vocant, recti quidam & valentes nerui sunt, à rigore dicti, colum continentes, sine quibus sustinere caput non possent ceruicis vertebræ.

Teredo est vermis lignum terens atque exedens.

Termes ramus est ex arbore decerptus cum fructu.

Tetanici dicuntur qui rigore neruorum laborant, præsertim qui secundum spinam feruntur, ita vt inflecti non possint. Id, cum anterior pars afficitur, vt si mentum pectori annectitur, emprosthotonos: cum posterior, opisthotonos vocatur.

Tollutim quasi volutim interpretantur. adequitatio hæc, vt arbitror, à Iulio Polluce dicitur ἐνδρόμος, quia carpat in cursu terram, & tollat volubiliter ac modice vestigia. vnde & tollutares equi.

Tonsillæ, quas græci modo παρίσθμια, modo ἀντιάδες vocāt, inflammationes sunt circum fauces, quæ glandulæ vulgo nominantur, vlceroso abscessu.

Tophus lapis est, qui græce dicitur pωrus à Vitruuio producta prima. vnde tophaceus.

Tormina intestinorum tormenta sunt, græce στρόφοι dicta, quòd intestina torqueantur.

Toros dicimus in animalibus carnes pulposas robustásque. vnde colla torosa.

Tortiuum vinum est torquendo expressum. sic tortiuum ius, prælo tortum.

Trulla & trua vas quo è culina in latrinam aquam fundant.

Trulleum vas, in quo manus perluuntur.

Turiones dicuntur teneritates summitatum arborum.

Turunda est linamentum, vulgo tenta dictū. alioquin turunda illud significat quod græce ψῶμον appellant, quasi buccea siue bolus dicatur quem nutrices ingerunt infantibus.

Tussis interdum fieri solet aut ex pulmone, aut ex pectore, aut ex latere, aut ex iecinore.

V

Valuuli, folliculi sunt leguminum.

Vari dicuntur obtortis cruribus introrsum, vt putamus. nam in exteriorē partem obtorta crura habentes, vacij dicuntur.

Veratrum, helleborus.

Ventris profluuiū dicitur quando & liquida aluus, & sæpius quàm ex consuetudine, fertur. interdum tolerabilis dolor est, interdum grauissimus.

Verminatio iumentorū à vermibus dicta est, cū quodā minuto motu quasi à vermibus scindātur. hinc verminari pro vermibus torqueri vsurpatur.

Vernaculum, id est domesticum.

Veſcum,gracile,paruum,minutum.

Veterinarij medici ſunt veterinorum,hoc eſt animalium quæ aliquid vehũt. hos nunc vulgus mareſcalos appellat.hinc veterinaria medicina,& ars veterinaria dicitur ea qua vtitur veterinarius,id eſt medicus pecoris.

Vlcera quæ græci ἄφθας appellant,in gingiuis incipiunt:inde palatum, totumq; os occupant,tum ad vuam fauceſq; deſcendunt.

Vlpicum,genus allij quod alio nomine allium libycum græci appellauere, ἀφροσκόροδον.

Veternus,morbus ignauiæ,qui ex nimio otio contrahitur. inde veternoſi.

Vnguen ab vngendo dictum eſt.

Vnguis oculorum, ὄνυξ græce dicitur, quoties pars eorum cornea ſugillato ſimilis efficitur,& figura vnguis.

Vomica,à vomendo,quòd pus inde manet,vel quòd qui habent id,ſaniẽ reijciant.Nonius inquit caua & vetuſtate obeſa vomicas appellari.

Vulſa proprie dicũtur quæ vocant σπάσματα, quoties videlicet non ruptum modo aliquid, ſed nerui quoq; ij quos ἶνας, hoc eſt fibras dicunt, laceſſiti ſunt atq; vulſi.

De aſſe,& partibus eius.

AS,pondo,libra,aſſipondium,pro eodem vſurpantur. Veteres Quintiliano authore dixere duapondo pro duabus libris:quod & dupondiũ vocant: trepondo pro tribus libris:quod tripondium nominant:& treſſem à tribus aſſibus,hoc eſt tribus libris: & ſic per proportionem octuſſis, & nonuſſis. In denario numero hoc mutat, quod primum eſt à decem aſſibus decuſſis: ſecũdum à duobus decuſſibus, vigeſſis. Reliqua cõueniũt vſq; ad centuſſis.

	vnciæ
Sextans,ſexta pars aſſis	2
Quadrans,~~tertia pars aſſis~~ quarta pars assis	3
Triens,~~quarta pars aſſis~~ tertia pars assis	4
Quincunx,à quinq; vncijs,id eſt partes quinq; aſſis	5
Semis,dimidium eſt aſſis	6
Septunx, à ſeptem & vncia concluſum	7
Bes beſſis,olim des,dempto triente	8
Dodrans,dempto quadrante	9
Dextans,dempto ſextante	10
Deunx,dempta vncia.	11

FINIS.

VETERINARIAE MEDICINAE LIBER PRIMVS, IOHANNE RVELLIO SVESSIONENSI INTERPRETE.

Apſyrti de febre equi, Cap. I.

CVM militans in ijs eſſem legionibus, quæ ad Iſtrum amnem collocatæ ſunt, incõmoda didici quæ equis euenire ſolent, quibus in ipſis exanimantur. Hæc itaq; ſimul & remedia quæ aduerſus ea repræſentantur, hoc in volumen contuli: quod, chariſſime Aſclepiades, tibi nũcupo, qui & ciuis habearis optimus, & cum primis arte medica polleas. In quo non eloquentiam inueſtigabis, ſed cum peritia ratione nitens experimẽtum deprehendes. Primùm de febricitante equo diſſeram: qui his cognoſcitur notis. Caput in terram degrauatum labat, quod rurſum erigere non poteſt. Oculi tumentes prominẽt, ac difficulter aperiuntur, interdùmq; lachrymis manant. Labia cum corpore toto ſimiliter in mollitiem fatiſcunt. Teſtes laxantur. Vndiq; calor erumpit: & halitus ore feruens & grauis efflatur. Cæterum crura protendit: nec ab equiſone vel tractus vel extimulatus agi poteſt: ſed pedetẽtim progreſſus, ſua mole nutãs vacillat. Quin & in latum decumbit, nec ſe volutare valet. Hæ comites notæ ita ſe habent. Febrim autem concipit equus cum nimio labore vexatus elaſſeſcit, vel cum vehementi compulſu, vel curſu citatiore ducitur, aut cum frigoris aut æſtus iniurijs patuit. nonnunquam vbi cruditas eum male habuit. quod vſu venit maxime cum equi primitiuis frugibus & paſcuis illecti auide veſcuntur. ſiquidem difficilè membratim ea digerũtur, ægreq; concoctionẽ capeſſunt.

Curandi ratio talis eſt. Sanguis è temporibus aut facie demittitur: primòq; die cibo omni abſtinetur, ac ſola paulatim bibendi poteſtas facienda eſt. progreſſionibus exiguis & lenibus credatur. cum hyems inceſſit, operiatur veſtimentis, calidùmque ſit equile in quo cubat. dum autem habere vibebitur meliuſcule, in paſcuum, ſi temporis occaſio ſinat, emittendus. ſin deneget, fœnum ſiccum aqua mulſa cõſperſum ſenſim pluſculum miniſtretur. Hordeaceus cremor, hordeum item, modo deglubatur, ſed non ſæpius inter initia, præbeatur. Nec id eſt perpetuum, vt equus febri tum conflictetur, cum obſtipum caput in terram ſummittit, aut extẽdit crura, concidénſq; pandiculatur. Quòd ſi certior fieri voles, hordeum, cæteróſque id genus cibos obijcies. ſi enim id eſitarit quod præbetur, febre vacabit, ſolaq; laſſitudine tentabitur. Qui vero febre laborat equus, hæc auerſatur omnia,

&c ciborum vrgetur fastidio. item mœrorem quendam prę se fert, solum re-
quirens potum. Quinetiam sese iactitat, nec erigere potest. In quo nunquã
est committendum, vt ex venis quæ proxime neruos sitæ sunt, sanguis ex-
hauriatur. Siquidem hac sanguinis missione neruorum distentio cõcitatur.
Cum is proserpit morbus, vitio tãdem gliscente, vitã inedia finit. Impetũ
à primo febris rudimento ad triduum vsq; perfert equus: post quod illico
tempus hęc animãtem tollit. Non audiendi sunt qui solo auriũ tractatu
notari posse febrim asseuerant, aut si manũ lateri circa humeri flexũ admo-
liantur. Ab hoc enim tactu nullum febris indiciũ peruestigabitur. Neq; san-
guinẽ equo detrahere licet, qui lassitudinis notas gestu præmonstret. Siqui-
dem facta virium iactura, solum pecudi negotium exhibebitur. Febricitãti
pecori supradictis locis sanguinem emittere necessarium est, quòd & caput
imbecillitate prematur, & huic morbo maxime fuerit opportunum.

HIEROCLIS PRAEFATIO.

ETSI nunc alijs efflagitnãtibus, in foro nostrum exhibere
officium oporteat, & in huiuscemodi studia diligentiam
omnem impendere, nõ tamen frustrari debet honore tua
dignitas, optime Basse. Nanq; suauis nimirum prouincia,
iucundum onus, quod ab amico demandatur: et, vt verbis
vtar Euripidis, κάματος εὐκάματος. id est, Iniunctus labor,
laboris sensum non habet. Quippe cuius gratia libens facerem (audebo
enim tecũ ioculare verbũ vsurpare) vt desertor aciei iudicialis aliquãtisper
essem. Tametsi id maius est, quàm vt ab homine nõ feriato præstari possit.
quod quodam in loco cecinit Pindarus, ἀσχολίας ὑπέρτερον. At postquã cẽses
aggrediendum, iubenti morem gerẽs, artem veterinariã a vitijs auspicabor
quæ equis agnasci solent: simul & remedia prosequar quæ singulis horũ ad-
hibentur. Porrò nobis Neptunus equestris, & Aesculapius, quò cœptis
aspirent, inuocentur. Ille, quòd ei prorsus equorum cura credita sit. Is, quòd
humani generis saluti præsit. vt si quid etiam Chirone Centauro vel Peliẽ-
sibus literarum ludis dignũ prodere memoriæ fuerit opus, votis implorati
subscribant. Tibi igitur placet equum, vt aiunt, in campũ excire: si licet
adagium à foco ductum, ab operis vestibulo detorquere. Ego si alterius au-
spicijs ad hæc scribenda promouerer, multa forsan volumina coactus essem
edere, equorum ingenia narrans, tempus admissurę cõgruum, quandiu ma-
trices ventrẽ perferũt, quibus locis pascui lætitia, vbertas soli, quod optimũ
& saluberrimum ministret pabulum, victumq; suppeditet: insuper quibus
signis quis optimam equi noscet indolem: quonam pacto mores cõponet,
quo minus efferatus prosiliat, aut ducenti magistro calcitrosus renitatur, ne
vel effrenus sæuiat, ne ve titillatu paulo magis lasciuiat, sed prompte frenũ

admittat, conſcendentémq; calcibus nõ proturbet, nec grauate ferat, ſtimuliſq; pareat vectorum, omnia præſtans quæ velint obſequia. Hæc omnia literarum monumẽtis tradidiſſem, ſi cuiuis alteri dicaretur opus. Verũ quoniam hæc ad amuſſim omnia percalles, necnon equini cibatus exacte placita à natu maioribus accepiſti, audis etiam illius antiqui Simonis equitandi rationem quam in Athenienſi Eleuſinio ſcalpſit, imaginibuſque deſignauit: quinetiam commentarium mente tenes quem de re equeſtri conſcriptum natus Grillo patre Xenophon poſteritati reliquit: eapropter quæ ad equorum curationem opportuniſſime pertinẽt, nobis ſat erit explicaſſe. Quinimò profeſſores qui diligentius præſidem ſalutis humanæ medicinam excoluerunt, ſingulorum quibus medentur, obſeruare non colorem modo, ſed & qualitatem, opus eſſe tradunt: quaſi nõ idem omnes auxilium expoſtulent. Verum multi candoris homines, quos ita pallor decolorat, vt quandam imaginẽ corij vultu referre videantur, & ſanè adipibus obeſos, ſummo etiam nigrore Aethiopum modo relucentes, vtpote graciles, pro humorũ vi vel inopia variam curandi rationem deſiderare contendunt. Qui vero ſanandis equorum valetudinibus dederunt operam, non tam moroſo ſenſu cuncta nunc explorãt, vt nigrum à puniceo putent diſtinguendum, nec anxie diſquirẽdum, promiſſo latere prælongus ſit, an quadratus. Proinde nec nationem magnopere exiſtimant curæ habendam, ſi quis ſit Arcas aut Cyrenæus genere, vel oriũdus ab Hyberia, aut natalibus Cappadox, aut alumnus Theſſaliæ, vel Mauritaniæ, vel Perſidis. Nec vtiq; mihi à ſupradicto curãdi genere videtur alienum edocere, in quot annos ætatẽ equi prorogari tradant. Bizantinus igitur Ariſtophanes, ex Ariſtotelis philoſophi ſententia, quæ ad naturã animalium pertinent, mira breuitate perſtrinxit: equum annos quinquaginta vitam agere prodens. Ad hæc in libro qui Georgica Quintiliorũ inſcriptus eſt, eundem equũ inuenimus cuidam equiti toto ſtipendiorũ faciendorũ curriculo quinq; & viginti annos cõtinẽtes ſuffeciſſe. Tarantinus author eſt, cum ædem Iouis Atheniẽſes in arce proxime Eneacrunum fontẽ conderent, decreto quodam edixiſſe vt omnia iugalia Attici agri iumenta in opidum agerentur: at quendam villicum, plebiſciti metu, veteranum iam octoginta annos agentem mulum adduxiſſe: populum ob emeriti ſenis honorem, fabricæ tẽpli iumentorũ ducem pręfeciſſe, qui nullo coërcitus iugo, cęteris anteiret, nec vllis verberibus aut flagris cędereture: decretúmq; fecerũt quo caueretur, ne quis inſtitor triticũ aut hordeũ vendens, aut frumẽtarius negotiator eum à tabernis abigeret, neue cõditiuis pabulis arceret. Concipere, & geſtare vterũ equã ad triginta vſq; annos Ariſtoteles aſſerit. Sed iam nobis talia proponẽtibus oratio cohibeatur, ne fortaſſis imprudentes iam procul ab inſtituto deerremus. Videntes igitur illuſtriſſimos & probatiſſimos quoſq; medicos ſigna quædam prædicere, quibus aſ-

fectus singuli cognoscãtur, sic in veterinaria quoq; medicina hãc præsagiẽdi rationẽ adsciscere necessariũ ducimus. Etenim si hominibus in quibus innata est quædã sermonis facultas, quo possunt exprimere id quod eis negotiũ facessit, nihilominus tamen artis medicæ prudẽtibus signorũ obseruatione fuit opus: quanto magis in animantibus quæ muta vitæ cõditione præditæ sunt, indices morborũ notas arte tradita colligere necessum erit? Vt igitur à maximis rem inchoantes exordiamur, de febri prius mẽtionem faciamus.

De febre. Cap. II.

SI FEBRE corripiatur equus, vitiũ ijs notis fatebitur. Vehemẽter in solum nutat, corporis mole degrauatus, vt ne rursum quidem erigi possit. Oculos promit tumẽtes, lachrymososq;: quorũ ęgrè genas extollit. Labia cernũtur flaccida: penduli testes. Quin & corpus totũ calore digeritur, & fatiscit. Huic anima grauiter olet, & spiritus ex naribus cum feruore prorumpit. Porro crura iactitat: & si quisquã ipsum agere conetur, pedibus insistere nõ valet, ne si calcaribus quidem quispiam vrgeat: verum paulatim transuersus ingreditur, nõ aliter titubãs, quàm qui nimio potu temulenti vacillant. Hanc noxã cõtrahit equus cum vehemẽti cursu vel impulsu fuerit lacessitus, aut cum frigus aut labor excesserit. Nonnunquam cruditate vitiũ exoritur, præsertim cum recenti demessoq; nuper hordeo victitarit, quod detritu cõtumax est, ac ægræ membris distribuitur.

Hac ratione curãdi vteris: Sanguinem è temporibus aut facie demittes, primoq; die cibi abstinẽtia purgabis, sola potione paulatim data cõtentus. Exiguo progressu, leniq;, cõtectus excerceatur. Sit locus in quo stabulatur, calidus, & à perfrictionibus tutus. Cum vero melius habere videbitur, in pascua producatur, si tempus hẽrbã suppeditet. sin minus, fœnũ paulatim liberalius obijciatur. Hordeum bene glumis explicitum, cõmoderate, non profusius inter principia detur. Interim autem nõ febricitat equus, cum & proijcit crura, & se protẽdens humi decumbit. Hoc, si hæreas, te faciet certiorem. hordeum, vel aliud cibi genus obtuleris. hoc si prompte vescatur, febri caret. sin occupetur, cibos omneis respuet: tristitiã vultu fatebitur: solumq; potum efflagitabit. procumbẽs humi, nec exurgere, nec somnũ inire poterit. Febre vexatum tradunt à principio ad tres vsq; dies noxã tolerare, vlterius vero parem esse morbo nõ posse, nisi nactus auxiliũ fuerit quo celeriter subueniatur. Addidit Stratonicus quòd si post triduum ea febri fuerit explicitus, tandem tamen eadem ipsa interiturũ. His vero qui lassitudinis signa pręferũt, neq; sanguinis missionem, ne corpus & vires carpat, & robur eneruet, tentari placet. Febricitãti sanguinẽ dimittere necessariũ est, ex ijs quas modo dixi partibus, pręsertim à capite, q; ea pars sit aggrauata, & huic

morbo facilè pateat. Qui ab auris tactu laterisq; ad summum armũ, posse notari febrim arbitrãtur, ij à veritate prorsus desciscũt, nec rectã mihi notitiam assequi videntur. Poteris autẽ equo febrienti infusis medicaminibus opitulari. Conuenit ergo baccas lauri diligẽter cõtritas in mellis acetabulũ viniq; cyathũ demittere, adiecto pari aquę modo: dein cum ijs subacta faucibus ingerere, aut apij semen tritũ duobus vini cyathis cõspergere, rursúsq; detritũ additis aquę tribus cyathis in os infũdere. Si quodã veterno pressus somnos sub tecto captet, ad iter faciũdum exigatur, sed nõ vltra decẽ stadia permeet. Cum autẽ stabulo se receperit, pabuli varietate solicitetur, offerãturq; cremor hordei, brassicarum cymæ, & lauri turiones, si queãt inueniri.

Febris præsagium, & curatio. Cap. III.

LACHRYMAE oculis profluunt, caligóque eisdem offunditur: vndiq; calor erũpit: & cum tangitur, totus ardore flagrat. deorsum quoq; caput proclinat. frigus corpus percurrit, & horrore cõcutitur. Cæterũ dentibus crepitat, testes protuberãt, os vlceribus scatet, quas aphthas vocãt. Striges palati liratim digestæ sublimes propẽdẽt, molles, calidæ. Tumescunt etiã oculi, & labia in mollitiẽ languẽt. Cum horã præsenseris qua frigus inuadit, & febris exoritur, conuenit ipsum foueri, & vestimẽtis muniri: farinã hordei calidã præberi potãdam: abstineri, quo vacuus digeratur, cibo. Si vẽter cõpressus est, mora recẽtia: sin profluit, radicẽ tritã incoqui, & mista mellis hemina tres aquę coctę infundi: postea saliuati more per nares demitti: actũ ad balnea prolui: inspiratis oleo vinóq; defricari: postea stragulis obduci. cum ad somnũ vẽtum erit, cibis paulatim destinari, tẽporibus sanguinẽ emitti, qui tres heminas impleat. Postero die è cruribus supra genu feriatur vena, nec prius cruoris profusio sistatur, quàm sex heminæ profluxerint: dein ægro quàm optime prospiciatur.

ANATOLIVS.

FEBRICITANTEM equum eo cognosces, quòd aluus excrementa reddit densa, figurataq;. cui mederi oportet æstate calidis balineis, hyeme fotibus, quo minus inhorrescat, calidis. Cibo exiguo ex erui tritici've farina alendus. Gelida aqua præbenda. Cæterum alui deiectionem medicamento cõuenit moliri. Sanguis è ceruice demittẽdus, aut venis quæ ad fauces pectúsve pertinẽt. Genua calido aceto collinẽda. Cum ex morbo sese recollegisse videbitur, tũ calida perlui placet. Si vero lassitudo febrim crearit, strigosúmq; præ se ferat habitum, ac macie cõfici videatur: caprilli lactis hemina, creti amyli quod satis erit, & oua quatuor cruda cum succo contusæ portulacæ, vnà subiguntur: faucibus suffunduntur triduo, vel tãtisper dum pristinę sanitati restituatur equus. Quòd si

tonsillarum epiphoris, aut cæteris à capite destillationibus febris excitetur, calidis ipse fouẽdus erit: palatũ sale, cunila, pice & oleo cõmistis illinendum, calida pedes & genua calfacienda, os manico solano intritisq; vini flocibus defricandũ: ex hordeo, alga, vel virẽti gramine, cũ suppetit, oblectãdus. Si ex naribus sanguis feratur, succũ coriani colatum conuenit eisdem infundere.

EVMELVS.

CVM febrim experitur equus, à tendone sanguinẽ detrahes, deinde casiæ, myrrhæ, thuris, singulorũ sescunciam, adiecto marinæ testudinis sanguine, & vino vetere, triduo naribus inferes, aut sumens abrotoni fasciculum qui manu prehenderetur, & ficorum aphrarum quod esset satis. Item rutam, apium, mẽtam, pastinacámq; simul incoques, decoctúmq; frigidum triduo dabis potandum.

AGATHOTYCHVS.

EQVO quem febris male habet, oua terna, sextantemq; rosacei cum libra vini cãdidi tenuis odorati cõuenit infundere. sed loco contineatur, in quo facilè respiret: hordeoq; prohibeatur, solo fœno cõtentus. Frigidam aquã frequentius ebibat. Si potũ respuat, os aperiundum, oricularioq; clystere liquor inditur hianti. Cum ita triduo constiterit, hordeo recreabitur, in dies liberalius obiecto.

PELAGONIVS.

CVM intestino dolore cõcepta febris inuasit, hęc delibuto corpore discutitur hoc vnguine, quod recipit tragachantę pondo vnciã, seminis hormini, rhous syriaci singulos sextãtes, piperis cãdidi põdo vnciam, sapæ dupondiũ, succi panacis pondo quadrãtem, seminis apij põdo sextantẽ semunciã, myrrhę troglodytidis pondo trientẽ, trissaginis pondo dodrantẽ, chamæmeli põdo quadrantẽ, thuris masculi pondo trientẽ, piperis nigri pondo sextantẽ, gentianæ pondo semunciam. ijs omnibus vnà cõtusis totum animal oblinitur. Equi febrim abigit, & intestinum dolorẽ leuat, atq; strigosi maciẽ reficit potio quæ habet mãnæ sextãtẽ, thuris selibrã cum semuncia, iris illyricæ, quę nonnullis syluestre liliũ dicitur, selibrã, piperis, baccarũ lauri, seminis apij, singulorum vnciã. hæc cõtusa, & cum defruto subacta propinantur. Non desunt qui hanc potionẽ indant ori, quæ cõtinet lactis asinini libram, olei cyathos duos, croci scrupulum, myrrhæ scrupulos duos, seminis apij quantum cocleariũ capit. omnia teruntur, & lacti permiscentur, oleoq; perfunduntur. Triticeo farre cum aquę ligula hyeme pascũt, æstate hordeaceum far ex aqua frigida faucibus infundunt. Si vero distenta sint ilia, nec ijs febris finiatur, necessum erit vrẽs medicamentũ, quod causti-

cum vocant, adhibere, & ita curationem prosequi. Febris summouetur alia potione, quæ capit lactis caprini selibram, amyli quod satis fuerit, quatuor ouorum liquorē, olei cyathum. Ea succo perdicij hęrbæ, quam Latini nominãt vrceolarē, excipiuntur, cõmistaq́ꝫ præstãtur deuoranda. Febrim illitu discutit medicamentum quod continet rosarũ, veteris olei, singulorũ pondo, aceti, cyprini olei, singulorum sesquilibrã: portulacæ & iuglandium veterũ semissem: mẽtæ & rutæ quod satis esse videbitur. ea simul detrita sic vt in vnguentũ coalescant, perliniuntur. Alia potio quæ post dimissum sanguinem præbetur hauriẽda, recipit selibram gentianæ, triẽtem aristolochiæ, hyssopi, ficorum, absinthij, singulorum sextantē, seminis apij semissem, rutę manipulum. in fictili cum aqua coquuntur ad tertias omnia: & cum enigrescere videbuntur, cocturæ decentis argumentum est. huius mina corniculo faucibus inseritur. Sunt qui fœnogręci succum mundo linteo colatum, apij, rutæ, sertulæ campanæ, hyssopiq́ꝫ, singulorum manualem fasciculum commisceant, iu'sq́ꝫ decocti in cornu præbeant faucibus rapiendum. Febrim leuat, ac lassitudinē reficit medicamentum quod habet succi panacis pondo vnciã, laurini olei iriniq́ꝫ castorij & hyssopi singulorũ põdo trientē, gleucini pondo trientē semunciam, absinthij pontici pondo selibram. hæc simul misceantur, vt in acopũ coëant. Est & aliud quod cõstat abrotoni, spumę nitri, adarcæ, baccarũ lauri recentium singulis sextãtibus, quæ cõmista liniuntur.

Didymus reliquo generi veterino febre laboranti.

FEBRICITANTIVM signa sunt fastidium cibi, grauatũ caput, manantes lachrymæ, oculi cõpressi, & glutinosis sordibus obsiti, fluidum saliuis os, longior & cum quodam impedimento tractus spiritus, interdum & cũ gemitu. Nõnulla cum paululum procurrerunt, consistunt, & velut vertigine correpta concidunt. Febricitanti conuenit abstineri cibo die vno, postero deinde sanguinem ieiuno sub cauda emitti, atq́ꝫ interposita hora, modicæ magnitudinis brassicę coliculos triginta ex oleo & garo saliuati more demitti, eámq́ꝫ escam per quinq́ꝫ dies ieiuno dari. Pręterea gramen elotũ, cacumina lẽtisci aut oleæ, vel tenerrimã quanq́ꝫ frõdem, aut pãpinos vitis obijci: tũ etiã spongia aqua imbuta aures labra naréſq́ꝫ detergeri, & aquam frigidissimam ter die præberi potandam. Quæ medicina sub tecto fieri debet, nec ãte sanitatē veterinũ pecus emitti. Sunt qui faciē sub oculis candentibus ferri laminis exulcerẽt, deinde bis die penicillo vrina vetere calda perfuso tantisper foueãt, dum puluinos & oras emarginent, crustæq́ꝫ tandem caducę labantur, & vlcera cicatricem ducant. Quin & auriculæ, quò sanguis profluat, scarificãtur. Aliqui polentam vino subactã prębẽt edendã. Alij muria diluũt, & calfacientibus cingũt stragulis. Alij cytisum ex vino ministrant. Febrienti mulę cruda brassica datur.

Apſyrtus de malide articularia. Cap. II.

CVM de ijs me cõſulueris,domine Sabine,quę frequenter equis obuenire ſolent,& quibus cauſis afficiãtur,maximũ tibi quod equinum pecus infirmet vitium proponam,ex quo nõ ſine magna difficultate ſeſe recipit.is autẽ morbus eſt quem pleriq; malidem,nonnulli deſtillationẽ,Romani ſuſpirium appellẽt. Sed ſi verum velim fateri,articularijs cruciatibus annumeratur. Cuius tales ſunt notæ.ſanies naribus deſtillat, craſſa,virus olens,colore palleſcens luteo. capite degrauatur,ſterténſq; ſibilum elidit,& ad maciem perducitur,quòd cibos omneis faſtidiat. Quin & ob id quòd equus alternis inſiſtẽs,in illos ſubinde atq; illos artus ſtatum cõmutat,claudicatus excitãtur: & quacunq; corporis parte procubuit,illic ſentit exulcerationem,quòd vitioſum quid ſuffundatur,humórq; quàm acerrimus articulos impleat.id autem contingit,quòd nullum huius animalis iocineri cõceptaculum inſidet quod bilioſam illuuiem excipiat,ſed quidam ſolutior inhæret neruulus,in quem ſe genus hoc humoris inſinuet,qui excrementoſam labem hinc emolitur, ſanguiníq; per arterias commiſcet quæ ad dorſum protenſæ feruntur:dein ad medullam ſpinæ ſe conferens humoris virus,cerebrũ labe vitiat,vtpote quod ab hac dorſi medulla capeſſat alimentum. quare caput & linguam corripit, quæ inter artus adnumeratur.

Malidi ſanguinis miſſione ſuccurritur,præſertim ſi quis faciei pectoriſq; venas ſoluat,inſuper ſuffragines ſauciet,pecus autem vario genere pabuli recreetur. Hoc quoq; medicamentum per nares infundatur,quod abſinthio peucedano & centaurio decoctis in vino conſtat: quandoquidem amaror amaritudine depellitur. Verùm hæc infuſionum genera maioribus noſtris accepta feruntur: ſequentia hæc ex noſtrarum inuentionum penu deprompta ſunt. colocyntidis ægyptiæ ſemen inſtar acetabuli tunditur,& torrefactum in duabus heminis vini albi odorati perteritur.vbi totum linteolo colatum fuerit,per dextram narem ingeritur. Vtimur quoq; detoſta colocyntidis medulla. Optimum etiam fuerit ſylueſtris cucumeris radicẽ tenuiter contundere ſelibræ pondo, duas aquæ heminas adijcere,vbi nocte vna maduerit, detritam, colis excernere: ijs tunſi nitri drachmas treis immiſcere:mox prehenſa lingua dimĩdiam medicamenti portionem per os ſeptem diebus inferre,reliquámq; miſturam ex aqua præbere potandam. Inter initia ſanguinem detrahere cõuenit.ſed cum iam diutius ſeſe vitium prorogauerit,nullus ſanguinis miſſioni locus. Hac enim tẽtata ſæpius euenit,vt viribus exhauſtis animal in perniciem agatur. Eodem quoq; modo dum morbi principia ſentiuntur,prius quàm caput occupet,medicamentũ inſpirare quod naribus rapitur:quòd vbi concepta malis peruaſit, nulla ſalutis ſpes ſubeſt,valetudóq; iam deplorata relinquitur. Nec te fugiat velim,

quod equus hoc morbo sese facilius expedit, ociusq; liberatur: mulus vero non sic huiuscemodi vitijs explicatur. nãq; cum ex animante alterius generis insititium habeat cõcrementum, magis cruciatibus articularijs patet, & inde contracta labes pertinacius inhæret. Remedio est pectoris cutem mẽbranasq; ferro rescindere, vtriq; vulneris oræ canabinas lineasve fibulas infigere, tum candidi veratri staterem ægyptium, id est semunciam inserere, mox oras plagæ fibulis obstringere, atq; ita, dum sua sponte decidãt, sinere. Manus loco non est admouenda, neq; tum pecus ad aquã adpellatur. Porro nitri crudi detriti sextans in hemina vini naribus indatur. sed vinum sit egelidum. Hordeum fœnumq; nitro conspergantur, & ita prębeantur. nitrum potionibus infrietur. Cæterum canterios non facile morbus is tentat. Equarum pulli quum armentis exciti in equilia se contulerint, articulariã hanc proluuiem experiri solent: & ita vexati hyeme commoriuntur. Sed id ante deprendi potest, quam per nares aliquid feratur, cũ pullus ita tussi prematur, vt ossicula quædam deuorasse suspicio sit. Sed cognitu perquam facile, quoniam articulari morbo iam occupetur. cui quam celerrime opus est vt supra pręcepimus, auxiliũ adferre. Sequens potio præsenti remedio cum autumnus appetit, obijcitur. ab vua candida musteum exprimitur vinum, quod duas impleat heminas. huic tunsæ aristolochiæ & incerniculo cretę coclearia duo non adeo plena commiscentur: quæ quotidie septẽ dierum spatio per nares infunduntur.

Apsyrtus de malide sicca, humida, articulari, & intercute.

MALIDIS genera quatuor habẽtur, humida, sicca, articularis, & subtercus. quarũ aliquæ curatu facile summouentur, aliæ difficile medicamẽtis cedũt. Non desunt quæ omnẽ curationis modum respuant. Humida quidem remedijs nõ ægre discutitur: cuius indicia sunt: Tenuis humor aquæ non dissimilis per nares egeritur. Subtercus etiã malis, quæ scabiẽ creat, medendi rationẽ nõ aspernatur. Sicca, quæ nihil per nares emolitur, ab omni abhorret medicamẽto. Cibũ autem & potũ capit animal, nihilominus tamẽ emacescit, & lãguore cõficitur, munus cõcoctionis non obit, nares distentæ patent, grauis spiritus efflatur, tractũ difficulter non nisi totũ conuertitur, ilia in tympani modum intenta sublataq; propẽdent, tergus occalescit. In hoc nullum curationis genus tentandum, cum pecudem breui mors rapiat: quemadmodum recte Thebanus Eumelus dicere solebat: Non ego sum, inquit, nec alius quisquã malidis siccæ medicus. Causam vero nunc explicabo. pulmo per dextrũ latus rumpitur: inde morbum contrahit, quem pleuritidem vocant. Remedio erit, cum quis equum malide correptum tussientemq; senserit, thuris & mannæ singulorum obolos ternos in vini hemina tritos per sinistram narem infundere. Prodest

quoq; braſſicam particulatim cæſam hordeoq; cõmiſtam obijcere. Quin-etiam ratio ſuffumigandæ malidis maioribus noſtris inuenta eſt, qua non equos modo, ſed alia quoq; veterina quæ ſolidis cõſtant vngulis, hauſto ori-gani vapore ſuffiunt, ſubiecto fictili nouo candentem prunam continente, ſic caput obuelantes, vt nidorē naribus ad triduū vſq; rapiāt: quod deinceps alternis diebus ad tēpus longiuſculū faciundū præcipiunt. Origanū mon-tibus eruatur. Si pullus nuper in lucem editus, vel adhuc ſubrumus malidē concepit, lactariæ matrici hoc pacto cõſulendum. Fœno, & vario pabuli ge-nere recreanda. Potioni nitrum adijciendum. Sitis inuitanda. Obijciendi braſſicæ coliculi. Segregandi ab armentis, & aliò demādādi qui hac malidis lue corripiuntur. ſiquidem vitium in alios graſſatur, facilèque gregem ſimi-li contagione proſternit.

Hierocles de malide ſicca, humente, articulari, & intercute.

MALIDIS à græcis appellatæ, quæ maxima periculoſiſſimaq; valetudo cenſetur, quatuor ſunt genera. nam vel eſt humida, vel intercus, articularis, vel ſicca. Harū quædam facilè curationē admittūt, nõnulla vix vllis remedijs abigi poteſt, alia nulli prorſus medicinæ paret. Facilis humidæ curatio, in qua tenuis aquoſaq; ſanies naribus fertur: nec ſecus ea quæ ſubter cutem funditur, quæ ſcabie corpus obſidet. Articulariæ mederi difficile eſt. Sicca, vt aiunt, nullis paret medica-mētis. Igitur ſiqua pecus humida malide ſit occupata, tuſſi vexatur, atq; per nares humidā ſaniē effundit, faſtidit cibū, imbecillitas robur infirmat, cor-pus concidit, caput non attollitur, flacceſcunt aures, nec demiſſæ ſubrigun-tur. Curādi ratio talis eſt: croci, caſiæ, myrrhæ, cinamomi, ſingulorum dra-chma teritur, ſimul baccæ lauri & apij ſemen in pilam dimittuntur. vna vini odorati hemina cum dimidia potione mellis adijcitur. hæc potio læua nare ſuffunditur, ſuccuſq; pernæ ſuillæ cum petiolis incoctæ inſtar ſextarij percolatus, adiecto melle, permiſtiſq; ſubactorū ouorum liquoribus inſe-ritur ori. Eundem per ſiniſtram infundere proderit. Quinetiam vt arteria leniatur ſanguinaria, quam polyſpermon veterinarij nominant: in pilā cõ-iecta minutiſſime teritur: & adiectis vini acetabulis duobus, per nares in-funditur. Si aliud experiri tibi ſit in animo, tritam ariſtolochiæ radicem cum vini odorati cyathis tribus per narem ingerito: vel ciclamini radicem pondo ternûm denariorum in tribus vini cyathis itidem infundito, deinde pecus ad paſcua promito. Si vero labes hæc ſubter cutē fuſa tergus imple-uit: vt Hieronymus Libycus author eſt, purulētum quid & virus olens na-ribus eructat, tuſſi premitur, & macie pecus elangueſcit. cuicunq; parti vi-tium incubuit, hæc ita rūpitur, vt è vomica pus exeat. His itaq; cibos omne genus ad ſatietatem conuenit obijcere. cremorem quoq; colatæ ptiſanæ in

quo decocta sit auena, vel in eo maxime posteri canis artus incoquātur, qui pilis bene repurgatus sit, & glaber vndiq; reddatur. quæ si nō adsint, in vicē substituatur gallina, dein aqua calida proluatur. Si articularis ĩfestet, subruffa sanies crassaq; naribus emanat. caput torpore grauatur. corpus emacescit, q cibi fastidiū vrgeat: alternoq; vicissim artuū explicatu claudicationes ciētur. Sicubi procumbat, subiecta pars experitur vlcus, quòd sub tergus profusio serpat, & quàm acerrimus humor articulos omnes obsideat. Siquidem animans hæc iuxta iecur vasculo caret in quo fellea colluuies residеat: verùm laxus quidam locus huius retrimenti capax, id indigesta quadam excretione sanguini commiscet. Quapropter per arterias quæ ad dorsum tendunt, delatus ad spinæ medullam humor, fracescenti labe, tam hāc, quàm cerebrum imbuit, quòd hac dorsi medulla velut adminiculo fultum, hinc ad sese victum allicit. Inde caput maxima premitur grauitate, patitur lingua. Succurrendum ergo sanguine à venis demisso quæ in facie subditæ sunt. Porro à pectoris venis, atq; etiam suffraginibus sanguis est detrahendus: vario pabuli genere pecus solicitandum: vinum in quo centaurium, absinthium & peucedanum incocta sint, infundendum. Si parum id proficit, aliæ saliuandi rationes tētandæ. Colocynthidis ægyptiæ torrefactum semē acetabuli mensura funditur, adiectoq; vini odoratioris candidi sextario, linteolo colatū, per dextrā narem immittitur. Potes quoq; mica colocynthidis, feruorem ignis non expertæ, vice seminis vti: vel radicem syluestris cucumis instar selibræ tenuiter contusam, inditis aquæ duabus heminis, vna nocte maceratam terere, mistisq; duabus drachmis tunsi nitri, colis transfundere, exertaq; lingua dimidiatam medicamēti portionē septem diebus in os dare, reliquam aquæ quam obtuleris potādam admiscere. Sanguis tamen inter initia mittendus. Nanque cum vitium in vetustatem incidit, exhaustis iam viribus, detractio sanguinis superuacue tentabitur, cum animal id genus imbecillitate cōficiat. Quinimo statim inter initia prius quàm vehementer caput fuerit obsessum, medicamēta per nares cōueniet inspirare. Equus quidem ægre minus explicitus hoc vitio, pristinæ saluti restituitur. Verum mulus ex hoc non facilè se recipit, quòd à parente generis alterius, adscita stirpe procreatus sit. Hanc itaq; medendi rationē Apsyrtus primus edidit. pectoris coriū tunicasq; resecari iubet, oras hiantis plagæ lineis vel canabinis vtrinq; transfigi fibulis; veratriq; candidi staterē ægyptiū qui semunciam pendit, inseri: postremo fibulas distringi, & ita donec sponte sua decidant, relinqui: manum non adhiberi loco, nec equum in aquam descendere. Præterea nitri crudi tunsi sesquidrachmam in vini tepefacti hemina per nares dari, hordeum fœnúmq; nitro conspergi. Apsyrto quoq; nitrum potioni placet adijci. Maxime periculis opportuna malis arida est, & ferè remedijs inuicta. Naribus enim nihil erumpit. Caput viribus deficitur: & si

cibum capiat equus, ob cruditatem tamen emaciatur. Ilia tympani modo distẽta prominent. vndiq; cutis obdurescit, ac totus ferme cõuellitur. Thebanus Eumelus vtiq; curari posse talẽ inficiatur, quod ruptũ quid aut collisum in pulmonibus gnorit. Auxilium tamen hoc supradictis adscribatur. Cum quispiam inter initia malide corripi pecus, & iam tussicula premi senserit, mannæ & thuris singulorum tres obolos in vini odorati hemina detritos, per narẽ insinuet. Dissecti minutatim brassicæ coliculi, hordeoq; quod offertur immisti, sunt auxilio. Nitri tunsi sesquidrachma in vini hemina per nares præstatur rapienda. sed vinum sit tepefactum. Nec te prætereat hordeum fœnumq; nitro prius esse perfundendũ, quàm obijcias. Non item ignorandum quod tam in humente quàm arida malide infusæ potiones opitulantur. Nec desunt qui hoc remedij genus probent ijs qui malidẽ experiuntur. Albarum vuarum melliginem exprimunt, coactoq; vini sextario tusæ aristolochiæ, & incerniculo cretæ, ligulas duas adijciũt, septémq; diebus per nares demittunt: dein postquam aluum deiectione solicitarint, pecus exigunt in pascua. Si vuas tempus anni negauerit, remedijs quæ suprà proposuimus, erit vtendum. Sunt qui suffitus origani nidore, quam cunilam vocant, naribus hausto moliantur: & auxilium inde putent adferri. Caput fictili nouo fauillam ignis excipiente contegũt, tum cunilæ surculos suffiunt: idq; alternis diebus ad horas complureis factitant. Cãterios tradunt equos non facilè hisce vitijs implicari.

Theomnestus de malide.

MALIS, putrium humorum collecta subluuies: quæ ægre discuti potest, ab ea parte quam insederit, speciale sibi cognomentum vendicans. Duæ morbi differentiæ. Nam earum altera arida est, altera humens. Arida cæco serpit habitu. Humida nimirum omnibus conspicuò patet. nanq; naribus pituitosa defertur sanies, in album versa colorem: vnde vitium hoc græci malidẽ appellarũt, à candore videlicet ouilli velleris, quod malũ vocant, indito nomine. Si sanies naribus aut palato descendens odore vacet, facilè vitium curanti cedit. Sin graue virus oleat, difficulter medicamentis expugnabitur, tali inita ratione. Nam quatenus odoris expers humor exit, vlcus nullum subesse fatetur, sed inibi sola coijsse recremẽta docet: quorum deiectio medicamẽtis petenda est, farcturaq; simul expedienda, modis deinceps subijciendis. Medicamentum malidis humidæ, quo deiectionem alui molimur, ac infarctos explicamus meatus, quod per os narésve suffundendũ est. trium ouorum liquorem internũ expedit euacuare: rursum quæ restãt putamina, duo quidem melle, tertium garo complere: iterum eo transfundere quò profusus humor antea fuerat: demum quadrantem sextarij veteris olei, vel cyprini, vel irini tantundem

admiſcere,ad hæc farinæ piperis ligulas treis, radicis cocci, iris illyricæ ſingulorum pares modos adijcere,contuſa omnia ori vel naribus inſerere, ſemiſſem horæ caput in modicam altitudinem ſuſpenſum attollere:ſic pecus in curſum promere. & vbi concitatius actum fuerit,capiſtri loro ita deligādum,vt caput deorſum ſpectet. A prioribus pedibus vinculum ad ſuffragines adducēdum,quò demiſſo veterini capite,liquor humi profluat. Cum id factum triduo fuerit, nec amplius humor profertur,hanc curandi rationem ſequi debes. Gentianæ tunſæ cribrataꝗ ligulam, ariſtolochiæ tantundem,admiſto hydromelitis italico ſextario, tantiſper infundes,dum ad ſanitatem perduxeris. Humidæ malidis,nec tetrum odorem expirantis,notitia ratioꝗ curandæ ita ſe habent. Nunc virus olentem proſequemur.

Idem de humida maliꝗ odoris malide.

CVM humores marcidi malidē humidam, ſanguinē dico pituitámve crearint,cōcurſuꝗ ſuo loca peruſſerint,in quæ eruperint, exiens humor virus ſubolet. quod vitium etſi ægrè curationi cedat, omnino tamen à medendi ratione non abhorrebit. Ideo tum quatuor hydromelitis ſextarios,oleiꝗ acetabulo,miſceto. hæc triduū ſuffūdito. Sed cū facilè defertur humor,braſſicæ cymas coliculóſꝗ ſimul & maluas quæ prius coctæ ſint,& expreſſæ in pilā, immittito: porros treis ſimiliter indito: adiectáꝗ axungiæ ſuillæ veteris offa librali, ſimul tundito. cūꝗ in collyria quinꝗ vel ſex oblonga digeſſeris,deprehēſa lingua præſtato deuoranda. poſtquam illapſa fuerint,conditum cum vinaria fæce fundito. hæc ſi triduo feceris,recte curationē poteris aſſequi. Quinetiam ſi cum vetere vino tetrapharmacum ingeſſeris,priſtinæ ſanitati pecus reddes. Sin ijs exulceratio non cohibeatur,ſed in nomam,quæ corpus exeſt voratꝗ,degeneret,tetrapharmaco ex aqua mulſa ſolum vtitor. Iam de differētijs malidis,& odore vacantis,& graue virus redolētis,item de cognitione & remedijs diximus. Nunc ad aridam tranſeamus.

Idem Theomneſtus de ſicca malide.

ARIDA malis humoribus putrefactis gignitur,qui ad pulmonis officinam vicináſꝗ cordis ſedes incubuerunt. Non tamen à ſanguine vel pituita,ſed vtraꝗ bile contrahitur:ideoꝗ ſicca iudicatur eſſe. Iis ea cognoſcetur indicijs. Affatim macie pecus elangueſcit. Ilia conuelluntur. Cutis tam vehemēter obtenditur,vt latera manu preſſa crepitēt,tympaniꝗ modo ſonitum edāt. Cibum aſpernatur,ac tametſi tuſſire gliſcat,fruſtra nititur,oreꝗ tantū identidē hianti ad extuſſiendū proritatur,ſed irrito conatu. Quaſi autē oſſicula deuorarit,ſic inteſtinis pūctionibus lancinatur, & cruribus inſiſtit. Proinde hæc omnia ſi repræſen-

tẽtur, morbo cessisse pecus, ad vltimaq́ꝫ ventum esse testantur. hinc medicinas adhibere superuacuum est. Sed si nõdum morbo fuerit superatus, quãuis difficulter discuti possit, auxilia tamẽ adferemus. Dignum miratu medicamentum memoriæ prodemus, quo sæpenumero vitium depulimus, & animal pristinæ reddidimus sanitati. Cuius componendi ratio hæc est. vua candida pressa, italicus musti sextarius eximitur: cui peucedani tenuissime friati cretiq́ꝫ coclearia duo, & par aristolochiæ modus adijciuntur. leua nare diebus septem ingeritur. Verùm tenuem victus rationem sequi conuenit. sic enim morbi siccitas abigetur.

Ex Nephonte malidis articulariæ curatio.

SI EQVVS mulúsve articulari morbo conflictetur, hunc adhibeto curandi modũ. sanguinem à suffraginibus mittito, candentes ferri laminas in rectum articulis imprimito, vsque dum aquosus liquor emanet. postea quod in lancibus salitus thynnus remittit, instar libræ fictili nouo conijcito, infusisq́ꝫ vini veteris quatuor heminis, ad dimidias coquito, permiscens olei quod satis sit: opopanacis drachmas treis, erucæ pugillos qui manũ quater impleant, diebus singulis acetabula duo fundito: hyeme sub dio pecus contineto: æstate in piscinam, vt natet, demittito. dein auulsis articulorum crustis, vulnerario medicamine vtitor tali. æruginis æris, mysios, chalcitidis pares modos simul coquito, & in ceratum coactos oblinito.

AGATHOTYCHVS.

GITH, quod in frumentario agro nascitur, instar vnciæ conteritur: cyathi tres vini & olei conijciũtur: immistoq́ꝫ pari aquæ modo, per triduum in saliuati morem immittitur. Sed si morbus ad articulos irrepserit, candens ferramẽtum experiri sine mora proderit. Porro omnium qui nonnihil in lucem ediderunt, medicamenta exurendi facultate donata (caustica vocant) literis mandare potuissem, nisi vererer ne plus æquo volumen nostrum succresceret: duo tamen aduersus humidi sicciq́ꝫ morbi differentias adinueni remedia, quibus, vt probis spectatisq́ꝫ, contentus eris. Medicamen insequens in omni humida malide suffusum auxiliatur. Radicis cocci gnidij grani, costi, cyperi, opopanacis, zinziberis, petroselini, hyssopi, abrotoni, tragacanthæ, croci, myrrhæ, aloës, floris odorati iunci, sertulæ campanæ, meu, maceris, cardamomi, aristolochiæ, centaurij tenuis, pares singulorum portiones tunduntur, & incerniculo cretæ, attico melle excipiũtur: ac coacti in pastillos, quorum singuli denarios treis pendeant, in vmbra reficcantur. per hyemem cum vino vetere vel condito, per æstatem ex mero frigido, adiecta rosacei vncia infũditur. Si pecus sicca

malis occupet, secundum hoc medicamen iuuabit in fauces profudisse. Recipit autem seminis lactucæ, succi pæoniæ, singulorum pondo bessem, rosacei olei pondo libram, croci pondo quadrantem, succi papaueris pondo vnciam, seminis satiui cucumis pondo sextantem, succi absinthij pondo trientem. vbi cum siccis tunsis & cretis liquida permiscueris, plumbeo vase recondes. Cum ad vsum prometur, tribus huiusce medicamenti drachmis, olei rosacei quadrantem, & hydromelitis sextariũ italicum adijcies. idq; per triduum infudisse satis est: sanitatiq; restitutum pecus in fluuiatile vel lacustre pabulum exiges, maritimum declinabis. Iis tertium subiungi potest medicamentum, quod non sine magna cõmoditate omnibus malidis generibus ingeritur. Aristolochiæ libra, ficuũ pinguium modij quarta pars, sampsuci quadrans, diligenter singula tunduntur, per noctẽ totam in aqua molliusculo igni coquũtur. in italico huiusce iuris colati sextario, quarta mellis portio commiscetur: mox in os & fauces datur. Non desunt qui & hoc medicamine magnum adferũt auxilium. Terrestrem crocodilum, & ranã palustrem, viuos in oleum mergunt, & tantisper in olla fictili coquũt, dum eorum corpora penitus intabuerint, ac in oleũ tota resoluãtur: deinde colatum ius pecudi per nares indunt. Alij per initia morbi garum primi meriti, oleũ acerbũ & candidũ, oui liquorẽ cõmiscent: simulq; subacta per nares inferunt. Tiberius axungiæ veteris cũ simiæ fimo tres offas primo die, secundo septẽ, tertio cõsimiliter faucibus inculcabat, postmodũ leniter & blãde tractãdum animal præcipiebat. Proderit item myrrhæ, croci, stachis, singulorũ drachmã: opopanacis, apij, singulorũ drachmas senas simul in pollinẽ teri, binas vini dulcis heminas olei cãdidi cyatho cõfundi, in sinistrámq; narẽ dari.

Malidis humidæ præsagium, & curatio.

MALIS enascitur acutis palearũ aceribus, vel aristis, quoties raptæ pulmonibus veterinorum insederũt: vel quum fœnũ quod emarcuit, eisdẽ fuit obiectũ. Huius morbi notæ sunt. Naribus nonnihil odoris tetri pecus remittit, tussis infestat, ilia cõtrahit, inediaq; conficitur. Quod ad medendi rationem pertinet, cyclamini siccati tunsi & in farinã redacti drachmam, opopanacis semiobolum, baccas lauri duas, singula fundito. cum vino iuncta suffundito. Salutaris habetur eburnea scobis cum friato sale ex vino odorato mista, & faucibus infusa.

Pastilli Hippocratis ad malidem depellendam, & resarciendam imbecillitatem.

PASTILLI qui omnem exigunt malidem, ac imbecillitatẽ reficiunt, habent baccarum lauri sextantem, spumæ nitri quincuncem, sulphuris ignem non experti tantundem, myrrhæ quadrãtem, crocomagmatis semissem, iris illyricæ quadrantem: seminis apij, aristolochiæ,

ſingulorum pares modos. ea ſimul pilæ creduntur, & tantiſper detrita dum fatiſcant in polentam, adiuncto vino, in paſtillos digerũtur. cum poſtulabit vſus, ex albo vino faucibus infunduntur.

Apſyrti de elephantia, Cap. III.

ELEPHANTIA laborat equus cũ in ceruice tubercula prodierunt, & venæ largius diſtentæ rigent, ac in capite facieq; in flexus curuos implicantur: earumq; prominent toruli: nares ſimiliter diſtractæ patẽt: quodq; ex ipſis & ore defertur, ſpumoſum cruentumq; profluit. ilia contrahuntur. naribus ſpiritũ elidit, nec cibo, nec potui, cum cupiat, poteſt indulgere, ſed paulatim cibum capit. vbiq; rupta compage corporis, quædam partium fiunt diuortia: ita vt partes ſummæ, aures, labia, nares vlcera ſentiant, deorſumq; ſua ſpõte procidant. lingua colligatur: quam præcandentem, & præter ingenium deformẽ exerit, hinniendi libertate multatus. talis elephantia laborat. Huic nihil opitulari ſolet: nec ipſum in aliorum ſtabulo verſari conuenit, ſed ablegari longius, & ſolum vertere.

Hieronis elephantiæ remedia.

NON TAM difficile, quàm promptum fuerit equos inueſtigare qui elephantia corripiuntur: quippe cum periculoſus eorum languor omnibus ſit euidentior, quàm vt notis debeat illuſtrari. Cum crura huius pecudis intumuiſſe conſpiciuntur, arrectas aures geſtat, partes in renum confinio ſic in duritiem occalluerunt, vt flecti contumaciter renuant, ceruix intenta riget, inconſtanti aſpectu truciq; cernit: tunc cognoſcito ſupradicta valetudine cõflictari. Curandi ratio hæc eſt. Calido contineatur equili. Ceruicis venæ feriantur. Poſt triduum ab armis, ſi neceſſitas vocet, poſt exactos quinq; dies à fœminibus ſanguis emittatur, quò ſolutis in toto corpore venarum commercijs, noxium cum ſanguine virus euadat. Qui cum abunde ruit, non tam repente veterinum hac lue conficitur. Cæterùm equus aſſueto cibo firmãdus. Si hordeum reſpuat, polenta cum fabis in lomentũ commolitis exhibeatur. Egelida aqua potioni præbenda. Deinde vinum, oleum, nitrum, bitumen, ſemẽ rutæ, decoquũtur: iureq; decocti totum corpus defricatur, vſq; dum viribus labore fatigatis, opus interpelletur. Poſtea lanatis pellibus eodem liquamine delibutis, renes cum vicinia conteguntur.

Pelagonij medicinæ contra elephantiam.

VINI tres cyathos, olei heminam, frumenti, hordei, cicerum, phaſiolorum, cicerculæ, ſingulos ſextarios, in vnũ omnia coquito, dum abiectis antedictis decoctum ad tertias redigatur. hoc cremore

decocti totum equum perfricato, & potione quam nunc subnectemus, vtitor. Vini veteris heminam, thuris, costi, singulorum sextantem, adipis caprinæ vnciam, hæc simul terito, adiecta hydromelitis hemina: & per triduũ propinato: quarto die vino & oleo laseris vnciam adijcito: sequutisq́; diebus potandum præstato. Opem etiam adfert medicamentum in quo habetur nitri vncia, castorij, baccarum lauri, radicis ponticæ, singulorũ sextans, rutæ sextans semuncia. Hæc singulatim tunduntur: quibus cretis mixtisq́;, vini cyathus, & olei semuncia adijciuntur: & corniculo, aut alio quouis infundibulo faucibus induntur. Hoc auxilio quotidie vtendum, dum pecus integra valetudine fruatur. Stragulis semper obtegatur, quò facilius sudor possit euocari: quandoquidem vitium hoc calore commodius eliditur.

Adhibendum quoque sequens medicamentum, quod in malagmatis lentorem coierit. cucumis siccæ, gallarum cupressi, singulorum põdo quatuor, resinæ torrefactæ, absinthij tunsi, singulorum pondo, sicca tunduntur, cretaq́; liquidis miscentur. Item potio huic morbo salutaris quotidie dari potest, aut antidotum quod diapente dicitur, quoniam quinque medicinis constet: aut alia potuum genera huic antedicto morbo dicata.

Pelagonij ad labem pestiferam remedia, Cap. IIII.

MEDICINAS & potiones dicere oportet quibus pestilentes morbi depelluntur. Equi plerunque pestilentiam concipiunt lassitudine, & æstu, nonnunquam cum frigore & penuria cibi laborant, cúmq́; suo tempore vrinã non fecerint, vel si cum diu steterint, subito ad cursum exstimulati sunt, vel si sudant, & à concitatione confestim biberint. Quibus remedia quæ à maioribus nostris prodita sunt, adiumentum conferre cognoscimus, & cõmode respondere experimenta testantur.

Antidotum quod diapente dicitur, constat gentiana, aristolochia, baccis lauri, myrrha, eburnea scobe. hæc æquis ponderibus tusa cernuntur, vt in vnitatem coëant: polentáq́; ex ijs facta reconditur. Itaque cum pecudem pestis perculit, plena pulueris huius ligula vino permista, quotidie, quoad equus conualuerit, faucibus infunditur. Quinetiam præsens hoc habetur auxilium, syluestris cucumeris radices leuigantur, cretæq́; cum nitri bene detriti semisse, quinis vini sextarijs miscentur. id animali quinque diebus infudisse satis est. Syluestris etiam cucumeris tritæ portio quædam aquæ inspargitur, quam animans in potu hauriet, quæ pestilenti contagione vexatur. Si gregatim veterina laborent, sabinæ herbæ selibram, trisaginis & aristolochiæ singulorum quadrantem cum centaurij sextante simul con-

tundes,& incernes cribro: cúmque necessitas postulabit, ex eo quod ligulam impleuerit, sextario vini permistum, animantis faucibus imprimes.

Medicamentum quod ad Pisterium Siculum refertur.

RADICES ebuli & vrticæ æquis ponderibus tusas & cretas, in gari modum adijcito, qui putamina trium ouorum expleat: linteolóque percolatum, instar mensuræ quam ouum capit, per triduum naribus ingerito.

PELAGONIVS.

HVIVS medicaminis vsu pestifera lues aboletur. Ciconiæ pullum, prius quàm volare possit, pinnis tamen præditum, in fictilem ollam viuum demittito, & oblitum gypso in furnum inijcito. cum abũde torrefactus fuerit, pila tundito, & in pollinẽ redactum, vase vitreo recondito. cum necessitas incesserit, coclear huius plenum ex vino faucibus dum se recipiat inserito. salutaris huiusce pulueris vsus. Quinimò gari primæ notæ quantum capit poculum, naribus inseritur. Sed vt equus somnum ineat, danda est opera vt frigidiore cubili stabuletur: dein coriandri & syluestris cucumeris folia tunsásque radices ex vino & melle quod satis fore videbitur, præbebis libanda, mox porri succum instar acetabuli faucibus inferes. Fresum eruum vino commistum per triduum dabis, aut ex vino fabarum bene molitarum lomento consimiliter pasces. Sed pridie macerari, postero die in vino conteri lomentum debet, & paulum mellis, & butyri tantundem adijci. Nec te prætereat talia cum tepente vino debere propinari. Syluestris cucumeris radices trium sextariorum instar, vbi quaternis aquæ sextarijs vno die maduerint, pòst concitatæ, colis excernuntur: deinde nitri alexandrini in farinam pertriti vnciæ sedecim immiscentur, & diebus septem dantur. Quòd si nos tale defecerit auxilium, vice huius aqua conijcitur, & ori per corniculum inditur.

Cum gregatim pestilentia cœpit grassari, hoc articulari remedio sic erit succurrendum. Omnes pecoris artus, hinc euocato cruore, liquida pice perlinendi. Identidem ad progressum animal emittendum, quoties videlicet fuerit obiecto fultum cibo. Hordei tamen moliti, & cribro pollinario creti, quaternos sextarios cum erratico cucumere dari perquam vtile creditur. Pecudi sanguis elicitur, mox hordeum aqua aut vrina maceratum, acetúmque cum bubulo stercore cumino & sinopide mistum, circumponuntur articulis. Semen alexandrinæ cucurbitæ torridum, & acetabuli

modo incerniculo cretum, odorato nitro miscetur: colatumque diebus quinque, cornu infundente per nares immittitur. Euincendi sunt autem quanuis pestiferi morbi, & exquisitis remedijs propulsandi. tunc panacis & eryngij radices, fœniculi seminibus miscendæ, & cum defricti ac moliti tritici farina candentiq; aqua conspergendæ, eoque medicamine saliuandum ægrotum pecus. Tum paribus casiæ, myrrhæq;, & thuris ponderibus, ac tantundem sanguinis marinæ testudinis, miscetur potio, cum vini veteris sextarijs tribus: & ita per nares infunditur. Sed ipsum medicamentum ponderis sescunciæ diuisum portione æqua, per triduum cum vino dedisse satis erit.

Pestilentia, vt Leontius est author, cum in armentis incidit, confestim mutandus est cæli status. In plures lacunas distributo pecore, longinquæ regiones petendæ sunt, atque ita segregandi à sanis morbidi, ne quis interueniat qui contagione cæteros labefaciat. Itaque cum ablegabuntur, in ea loca perducendi sunt, quibus nullum pecus armentitium impascitur, ne aduentu suo illis labem adferant. Sic tamen occurrendum cum inclemens cælum pestem minatur, & iam hoc malum greges manere præsagis, ineunte præsertim Vere vel Autumno. Vada quibus aquantur, necnon vernaculæ potiones, saluia & marrubio tunsis respergendæ. sic impendens labes arcebitur.

Pestiferæ luis seuitiam compescit antidotum quod recipit pastinacæ pondo quincuncem, agarici pondo dextantem, cassami, id est fructus balsami, nardi, aiugæ herbæ, singulorum pondo quadrantem, bettonici pondo selibram, iris illyricæ pondo vnciam, trifolij pondo quadrantem, piperis candidi pondo vnciam, abrotoni pondo dextantem, marrubij, santonicæ herbæ, singulorum pondo quadrantem. omnia diligenter tunduntur, ex vinoque colata potui præbentur.

AEMILIVS HISPANVS.

EX PEDIBVS sanguis mittitur: tum myrrhæ troglodytidis triens, croci selibra, centaurij quatuor scrupuli, spicarum indicæ nardi vncia, piperis candidi quadrans, seminis apij coclearia quinque, papaueris, propolis, singulorum vncia, mellis sextarius vnus, nitri quod fuerit satis: commiscentur, & in pastillos coguntur, qui sua magnitudine nucem auellanam æquent. Hi aquæ tepidæ sextario diluti, pecudi dantur quæ lue laborat pestilenti.

LITORIVS BENEVENTANVS.

CVM PESTE vexatur equus,cõfestim è pectore sanguis detrahẽdus,dein è cruribus: item si necessitas vrgeat, è temporibus: varioq; pabuli genere delectandus,hoc est hordeaceo farre,triticeoq;.nonnunquam furfuribus cum pauco fœno firmandus.interim potio naribus infundẽda,quę capiat centaurij,absinthij pares modos,& id vini in quo liberaliter possint incoqui. Si prioribus pedibus claudicationem cœpit sentire,statim à cruribus prioribus sanguis demittendus.si posterioribus,à fœminibus exhauriendus. Si conuelluntur ilia,& nares apertæ dehiscant,ab vtrisq; temporibus sanguis erit euocandus. tum qui septimum diem non excessit catellus, bene decoctus, & vrina pueri nondum venerem experti,cum vini hemina miscentur. potio suffunditur. Sunt qui præcipiãt statim atque animal primis pedibus claudicat,corpus vniuersum vino & oleo lini,postmodum hoc auxilio saliuari. adipis vrsinæ triens,centaurij,& napi,quem buniadem appellant,singulorum vncia, serpylli selibra, hyssopi quadrans,trisaginis, amaranthi, artemisiæ, acuti trifolij, singulorum vncia, radicis rutæ syluestris selibra,verbenacæ rectæ,bettonicæ,singuli quadrãtes, omnia in mulso coquuntur, & adiecta serpylli selibra, cum hyssopi quadrante, & trisaginis vncia,per os exhibentur.

Hieroclis de pulmone, Cap. V.

SI QVANDO pulmones dolor infestet, vitium longis annumeratur.vero; maxime pecus equinum his infirmantibus noxis implicat. Quod ad notarum rationem pertinet,corpus cõcidit,& ita tussicula fatigat,vt officula deuorasse credatur.Mucosam reijcit pituitam,stertoreq; spiritus offenditur. Largiori indulget potui, copiosioremq; cibum conquirit. Curandi ratio hæc est.Crocus,myrrha,casia, cinnamomum,simul pinsita leuigãtur,& adiecto melle & vino infunduntur.Sed vt medicamentis confestim occurratur,necessum est. Nanq; si prius accidat pure pulmones impleri,actum est de eis,statimq; morte consumuntur.

TIBERIVS.

MEL, PIPER, pineam nucem resina scatentem,vinumque feruefacito.sic ori per triduum ingerito. in cibatu præsertim largiore fœno vtitor,chordoque. Cæterum vitij notas explores. siquidem accidit vt morbus in alium degeneret.

EVMELVS.

PVLMONARIORVM signa hæc sunt. Crura & venæ tument. Testiculi frequentius micantes palpitãt. Febris inde concepta peruadit, quæ manu alis admota iam inuenitur hærere. Sanguinem à tẽdonibus opus est emittere: qui per æstatem oleo & aceto mistus, per hyemem vino, toto corpori circumlinitur. Hæc potio danda, quæ recipit croci, myrrhæ, odorati iunci, casiæ, eryngij, piperis candidi, singulorum vnciã. vbi simul contuderis, tum erui moliti parem modum adijcies: omnia simul detrita, cretáque, melle excipies, & asseruabis. Huius medicamenti, cum vsus requiret, oboli magnitudo in aqua teritur, & per sinistram narem immittitur. Verum antequam hoc auxilium adhibeatur, nitro, melle, & posca os defricato. si nihil profuit, vrens medicamentum adfigito, vsque dum inde pus emanet.

CASSIVS FELIX.

SI PVLMONIS dolor equum male habet, ore & naribus halitus erumpit, spiritúque latera distenduntur, trucibus spectat oculis, pabulum in præsepio iam mansum respuit, & graue virus eructat. Cui talis compositio suffunditur. baccarum lauri siccarum, & terebinthinæ, singulorum quod magnitudine duarum fabarum æquet tubercula, mellis quod erit satis, hęc in aceto pinsita, per nares infunduntur. Nam post horum vsum cruentam purulentámque vrinam faciet. Tum aluminis vncia cum pari pondere nitri & hydromelitis ingeritur. Postea solum hydromeli inijcitur. Bono fœno equus alitur.

HIPPOCRATES.

EQVO CVI pulmo negotium exhibet, humida naribus profluunt. ipse grauem ore spiritum efflat, ilia pendent conuulsa. Ratio infundendi talis. fructus arborum adstringentissimi quique in vna vini hemina & olei mensura pari decoquuntur, & faucibus induntur. Leui cibatu contentus esse debet. Eruum hordeo permiscendum, aut suillum cerebrum in vini hemina coquendum, olei tres cyathi miscendi: quod satis videbitur infundendum. Odorata potione similiter vtendum, vel gallo tãtisper incocto, dum prorsus intabuerit, sextarius vnus vini commistus ingeritur. Sanguis, si tantum robur adest, vt mitti possit, detrahendus. Tam medica quàm gramine pascendum. Aspergendus farina potus, vt eo fultæ vires vegetæ seruentur.

Apſyrtus de rupto pulmone. Cap. VI.

APSYRTVS Dionyſio Tomeo ſalutē. Te equos alentem nolo latere, quòd ſi ruptum quid aut colliſum in pulmone fuerit, ceruix & itidem pectus emaceſcit: grauis ſpiritus, & cum ſtertore prorūpit: tuſſis exercet: os craſſo ſcatet pure: priora crura claudicant. Verum tardius ad ſe redit equus: & vbi fuerit ſaluti reſtitutus, nō erit labori ferendo: vehementiq́ ſtatim cedet. Cui tamen hoc remedio eſt ſuccurrendū. Eruum freſum interdiu noctuq́ maceratur aqua: & vbi elotū, dein exſiccatū fuerit, in tenuem farinā digeritur: quæ cribro creta pollinario, cum vini nigri odorati, & aquæ calidæ paribus mēſuris potioni danda eſt. Si vero potum faſtidit, lingua prehēditur, quò ſorbitio facilius inſinuetur. Nō multū progredi debet pecus, ſed calido equili, coopertum cōtineri: curandúmq́ vt cremorē freſæ fabæ colatum atq́ tepefactū ebibat: reliquæ potioni, quæ calida debet eſſe, nitrum adijciatur. Proderit quoq́ reſolutos in farinam calculos nitro conſpergi, & cibis præberi. Iiſdem quoq́ remedijs vulſa recreatur arteria. ſed vitium hoc longius eſſe cōſueuit. Vtroſq́ inſpirato oleo vinoq́ fouere, & vbique ſecundo pilo defricare conueniet. Cæterum ſi eſt in pulmonibus ruptum, cōmodum eſt acetum acre tepefactum, aut humanam vrinam cum adipis liquefacti ſextante corniculis infundere. ſed ſit axungia ſuis menſibus defectæ, cui iam naturales curſus ita ſubſtiterunt, vt naturæ prioris fruatur integritate.

EVMELVS.

QVIBVSDAM accidit pulmones rumpi, cum vel concitatius procurrere coacti ſunt, vel continēs tuſſis ſine vlla intercapedine vexat. Sunt qui id genus animalia, quædam oſſicula deuoraſſe putent, ideo quòd inſatiabili voracitate cibos ac potus inculcent, & purulentum extuſſiant, cum ad potionē ventum eſt. Croci, caſiæ, nardi, myrrhæ, cinnamomi, portiones æquę terūtur, & adiecta nigelli vini hemina bibuntur. Quę ſi non inueniantur, pinſitum eruum cum vini & aquæ calidę quod ſatis eſſe viſum erit, propinandum. Sequens potio ijs vtiliter exhibetur, qui ruptum aliquid vel colliſum in pulmonibus ſentiunt, aut præcipiti curſu deturbati, in pulmonem cōciderunt. Spicæ nardi, croci, myrrhæ, coſti, iunci odorati, caſiæ, eryngij, piperis candidi, ſingulorum vncia, erui farinæ quod ſatis erit: omnia detrita, cretaq́, melle excipiuntur. cum ad vſum medicamen venerit, reſoluēdum, & ſiniſtra nare demittendum. ſed id nō antē fiat, quàm abſinthio, nitro, melle, & poſca os equi proluatur.

Eumelus de pulmonarijs & vulsis. Cap. VII.

CVM in pulmonibus quid rumpi cœperit, hoc vitium πνευμορῥὼξ Graijs, quasi pulmonis rupta dixeris, appellatur. quod facilè medicamentis vincitur. sed si morbus iam inueterauerit, suppuratione͂ creat: vtq́ pure pulmonem infersit, tum pulmonarij deinceps & conuulsi nuncupa͂tur. Hęc ægritudo difficulter abigitur. remedijs tamen est locus. sulphuris, myrrhæ, singulorum selibra teritur, & additis vini duobus acetabulis, & olei cyatho, naribus inseritur. reliquaq́ curatio prosequenda. Sed si ijs auxilijs secundam valetudinem non assequatur, sub alis oportet candens ferrame͂tum in ventrem admouere, librata manu ita, vt ne penitus quidem adigatur, aut alte rumis insidat. Cum verò pus profluxerit, vulnus igne factum, pice, cera & oleo sanatur.

PELAGONIVS.

VVLSIS ET pulmonarijs præsentaneo est remedio suillus cruor, hunc in modum. Porculum lacte͂tem iugulato. adsit animal inibi præsto, quod eo malo vexatur, vt confestim ca͂dentem adhuc sanguinem faucibus eius infundas. Ex triticeo ferme͂to, vnde panificia concrescunt, coactos orbiculos cum sapa diebus compluribus, dum sanescant, præbeto. Memoria tamen teneto, cum aquæ potestas fiet, inspergendam esse potioni farinam. spicæ etiam gallici allij depurgatæ tunduntur pila, quibus vetus axungia miscetur, formataq́ offa digeritur in pastillos: mox mellis, sapæ, & ouorum mistis liquoribus, immerguntur, & triduo dantur.

HEMERIVS.

FABAE molitæ selibram in sextarijs tribus defruti macerato, & vnum & triginta piperis grana mortario trita cum adipis hircini libra rursus conterito, & triduo per corniculum infundito.

THEOMNESTVS.

DE pulmonarijs co͂sequenter post tussim disserui. Siquidem maxima ex parte ab huius vehementia succussus pulmo rumpitur. Identidem etiam hoc vitium cursitatione vel saltu contrahitur, cum equus vallum, fossam, salebrás ve transilierit. Accidit etiam plerunq; cum acrius feras insectatur. Interdum equus siti co͂fectus, aut aliud veterini genus quod bibendi desiderium excruciat, cum facta est aquæ potestas, tam auido spiritu potum haurit, vt sæpe pulmonem rumpat. Id vero causæ fuerit, quòd pulmo viscerum omnium tenuissima͂ sibi membranam

vendicet,& vernaculo ſpiritu refertus ſit. Omnis autē humor quo imbuitur,continuo motu ſpumoſus bullat,tenuiſſimámque ſibi conſtitutionem adſciſcit,nec vllus ei neruus, carūcula,vel lacertus ineſt,ſed ſumma mollitiè præditus noſcitur. Etenim pulmonē natura cordi vitalem auram eiaculāti, ſempérque vibranti,ideo huiuſcemodi ſuffulſit,ſubtérque adfirmauit,ne ſi quādo viſcus hoc corpori duro nec cedenti admotū fuerit,vel ictū acceperit, animanti perniciem moliatur. Pulmo igitur diſtentionum iniurijs patens, facilè nimirum abrumpitur. Quod rupti diuortium ab initio cum ſentiri cœpit,medicamentis oportet ſummoueri. Id vero cum cęcum latuit,in vomicam degenerat,quę pure multo pulmonē obſidet. Sed aliam rupta,aliam ſuppurationes curationem deſyderant. Rationem igitur curandi,& vtrorumq; ſigna quibus inter medendum vſi ſumus,exponemus. Miles quidā, vir,quantum mea fert opinio,rerum honeſtarum ſtudioſus, ſuum equum ſale ſemel in die ſatiabat,ad hunc modū. Cauum cornu ſalis implebat:protendens equum,& os eius adaperiens,per hiatum magnam vim eius faucibus inculcabat. rurſum caput in ſublime pēſum tenebat,quò facilius illaberetur. Cum enim ego morbi equini cauſam ſciſcitarer,hoc ſe facere ſolitum reſpondit:eóq; modo equum cum primis generoſum nobilémq; in tabem perduxiſſe. Sal enim,cum extenuāte vi præditus ſit,abunde per corniculum ingeſtus,ob pēſilem habitum equi in pulmonem defluebat:inſtillánſq; eius quàm acerrima ſanies huius viſceris omentum penitus eroſerat:cúmq; etiā vlcus inibi creauiſſet,tabes animantē obſedit,ita vt in dies macie conſumeretur. Adnotatis igitur ipſe & collectis cauſis,intelligens quo morbo tentaretur,nec equum aliunde quàm ſalis intruſu noxam concepiſſe,deflentem confectúmq; luctu militem equo donaui,nō perinde quidem generoſo,ſed valido tamen:equúmq; illum iam ferè deploratū accepi:quo idoneis remedijs perſanato, rurſus bellatore ſum vſus:qui eo vſq; regi fuit cordi, vt dignus appareret qui ab eo poſſideretur. Nunc ergo ſigna remediáq; proponemus. Pulmo ruptus ijs indicijs cognoſcitur. Paulatim ſpiritum excernit: & vitiatam partem admotò coſtis ore demonſtrat. Mutilos exprimit gemitus,inter aſpirādum dolens. Tuſſim veretur,nec tamen ſecus extuſſit, quàm ſi voraſſet oſſicula. In primis detur ab opere vacatio,ſolíq; quieti ſit locus. Sanguinem oportet è toris acetabulorum coxendicis detrahere: quandoquidem equus rupto iam pulmone ſtrigoſus,ſtatim in maciem deducitur. Caprinum lac cum ſucco ptiſanæ ſeptem diebus infundendum: melius ſi cum auenæ cremore idem inſtilletur. Si lactis annona non ſuppetit,trunculos ſuillos præpingues,& hircinum adipem concoquere cōueniet, & cum decocti iure ſeptem diebus immittere. Lacteam aquam hyeme à reſperſu triticeæ farinæ bibat,æſtate ptiſanam. ſic enim rupta coaleſcent. Si vero ſuppuratio vomicáve pręoccuparit,ſigna hęc aderūt. Largiorem aquā

ebibit,& plus quàm moris sit, pabuli deuorat. tussicula sæpius vrget. pus reijcit,& interdum tussi puluinos vlcerum vel crustulas emolitur. Huic tale medicamen infundendum. Portulaca, syluestre est olus,quod & in ortis cultu mitescit.huius succus ex rosaceo per treis aut septem dies infundi debet: cui tragacanthum adijciatur,quod in cretensi passo aut caprino lacte sit maceratum.si lactis non detur occasio, in auenæ vel hordei cremore madescat.Cum vomica maxime fuerit excitata, nares grauissimum virus expirant.cui medicamẽtis succurritur,si septẽ diebus hoc infundas,quod habet costi pōdo sextantẽ,casiæ pondo trientẽ.vbi cōtuderis, cribro cernes tenui, & additis vuis passis in vino demittes.equũ ab exercitationibus vindicabis.

Aspyrti de hordeatione. Cap. VII.

APSYRTVS Ammonio Alexādrino salutẽ. Literas ad me dedisti,quibus sciscitaris vnde equis accidat hordeatio, quã crithiasin greci vocant:simul & quodnam genus curationis desyderet.Id quod euidentius est,quàm vt explicari mereatur.Nam ex euẽtu rei nuncupationem traxit. Cum ab itinere statim aut cursu anhelās adhuc equus hordeum sumptitarit,crudus valetudinẽ concipit,subitoq; tergus incoctus humor,& sensim cōcurrens totum obsidet corpus:inde vires cōuelluntur. Nō ingredi,nec artus flectere potest. Vrinam nō nisi magno enixu reddit.Se iactat ipse,nec prostratus exurgere cupit,sed tãquã cubitor humi pascitat. Quod ad curandi rationem pertinet,venæ sub anterioribus talis externa vel interna parte feriantur,indeq; sanguis detrahatur:qui cum satis profluxerit,supprimẽdus est: deinde vascula fascijs obstringẽda,eaq; fouenda calida posca: quæ ijs tẽperetur modis,vt habeat aquæ congios denos,& vncias aceti vicenas. spongia ijs imbuta,versus originẽ armorũ adfigenda,vt humor in crura præceps deuoluatur.ambobus vtrinq; locis idem præstandum. Sequuto die ab eisdem posteriorum pedum sedibus sanguis itidem emittatur. Fomenta vti præcepimus adhibeantur.hordeum non ante decimumquartum diem obijciendum. Si tempus viride pabulum subministret,eo vtendum. Quotidie cogatur progressionibus excerceri. Productus ad solem,aceto & oleo collinatur,quò tergus euadat laxius. sed vinum minime commiscendum.Resiccatus,alte capistro vinciatur.Frictio secundũ pilos ad imas parteis spectet. siquidem per pedes huiusce valetudinis impetus erũpere creditur. quapropter pecus vngulas abijcit. Quibus vitiosa incremẽta linguæ recenter innascuntur,quas ranas veterinarij vocant,sanguisq; per ora venarum profunditur: has imò tenus scarificare, & ferro circũcidere conuenit. Sed cum res cesserit in melius vt agi possit,ad aquationes & lauacra producatur:dein exerceatur cursu.sed ne id quidem inter initia morbi tentãdum,

ne ex eo cutis ſpiracula condenſeſcant. Accidit etiam ſubinde dum iter facit, aut ad aquam appulit, vt abunde potum hauriat, eodemq́ vitio tẽtetur. quod eiſdem auxilijs finiendum. ſed confeſtim ad ſecundam valetudinem recurſus fit, nec eius vngulæ concident. Tradunt equum quẽ hordeatio male habet, nitro potandum: præcipiuntq́ ſcorpiurum hærbã, quæ & heliotropiũ vocatur, tritã in vino, vtriſq́ naribus infundẽdam. ſic enim maturius vngulas exui. Qui iam hoc incõmodo extricatus euaſit, huic deinceps obeundis munijs nõ eædẽ ſuppetũt facultates, nec tantũ roboris ſubeſt. Si detractione facta ſanguinẽ ſiſtere voles, vſti aluminis & triti ligamine ſupprimetur.

Hierocles de hordeatione, & liberaliore potu.

DE HORDEATIONE perfectius diſſerere proderit. Quũ ex itinere aut curſu adhuc anhelabũdum pecus hordeum deuorarit, cruditate vexabitur, quæ ſubter tergus irrepẽs, per totum corpus euagatur: itaq́ conuellitur equus, vt nec pedibus inſiſtere, nec articulos inflectere valeat. Magna cum vi lotium egerit. Sudor fœminibus & coſtis erũpit. Cibus inter ſuſpiria datus, raptim cum halitu trahitur. Caducus recuſat excitari, ſed decumbens pabulo veſcitur. Remedium erit venam ab anterioribus malleolis interna vel externa parte diſcindere. Cum abunde ſanguis profuſus eſt, vaſa vinculis obſtringantur: equus ab alto poſca foueatur, quæ decem congios aquæ, & duos aceti capiat. ſpongia eo liquore madefacta, qua prodit armus, identidem admoueatur, vt profluens humor ad crura ſe conferat. Hoc idem vtriſq́ pedibus tentandum. Sexto die à poſtremis pedibus de locis eiſdem conſimiliter ſanguis dimittatur, & vt ante propoſitum eſt, poſca perfundatur. Hordeum ante quatuordecim dies non obijciatur. Si viride fœnum tunc ſuppetit, eo vtendum. Progredi quotidie compellatur. Verſus ima defricentur tergora, piliq́ ſubigantur. Nam vt inter omnes conſtitit, per pedes tota morbi vis euadet: & vngulas ideo mutari conſpicimus. In quibus ranæ recentes naſci cõſueuerunt, has ſcarificari, & ferro circunſcribere licet. Sed cum iam progreſſu melius valebit, proluatur, & ad curſum leniter extimuletur. Verum inter initia morbi citatius agere non expedit, ne iam denſata cutis ſpiracula penitus occludantur. Nec deſunt qui ſtatim quàm equus hordeationem cœpit experiri, ſalis pugillum in acris aceti ſextario coniectum, per os infundi præcipiant. Si tamen equus dum molitur iter, non diſſimile vitium potu raptim hauſto cõtraxerit, eiſdem caſibus cognoſcitur implicari. nec alijs itaq́ remedijs eſt opus. non tamen vngularum iacturam faciet, multoq́ celerius recreabitur. Sed vitium ijs deprenditur ſignis. Equus horrore cõcutitur, & in palato cutis intumeſcit. Quibuſdam nitrũ potui dãdum placet equo qui hordeatione fatigatur. Quòd ſi voles celerius vngulas mutari, hærbã quod heliotro-

pion dicitur, in vino detritam per vtrãq; narem ſuffundes. Nec te fugit equũ qui huiuſcemodi vitio ſuperſit, ſeſe nunquam ita recolligere, vt deinceps ſuum obire miniſterium, & ſolitos vſus præſtare queat. Porro ſi largiore tritici cibatu noxam concepit equus, venæ pectoris circiter armos, item crurum, adacto ſcalpello ſauciandæ. Ceruicis tamen venas nequaquam licet ferire, quòd inibi poſitæ reſideãt iugulares, quæ ſphragitides nominãtur, item aliæ grandes, quæ ſurſum procedentes, ſecus aures feruntur: parotidas vocant. ſiquidem alimentum ſpinali medullæ ſumminiſtrant. Aliqui equum potione prohibẽt, ſoliſq; clyſteribus inditis ventrem proluunt, præcipiũtq; triticeos furfures, & octauam nitri portionem, cum tribus olei cyathis, & aqua quæ cõgios binos expleat, per ſedem ingeri: tum ambulationibus excercere: dareq; operam vt vncta manu per anum inſerta fimum extrahatur: rurſúſque citato curſu per cliuos agere. Ferunt hoc exercitationis genus equo non parum commodare.

Hordeationis notæ, & remedia.

CRITHIASIS, quam hordeationem vocauimus, oculos male habet, óſque fœdis vlceribus obſidet, quas aphthas nominant. Crenæ palati verſúſque ſublimes attolluntur, & feruorem quendam expirant. Sanguine turgent venæ: viſuiq; caligo ſuccedens offunditur. Porro ſingula quæ premunt equum, animo reuoluenda, & ſigillatim ſigna quæ ſeſe offerunt, viſenda. Primum ſanguis è palato detrahendus in ſiniſtra parte, eo puluinorum torulo, qui ſibi tertiam quartámve ſedem vendicauit. Is tantiſper profluere ſinatur, dum treis heminas impleuerit. Quinetiam à prioribus cruribus emiſſus interna parte prorumpat, donec inſtar trium heminarum profundatur. quo die nec fœno, nec paleis, nec hordeo paſcendus: ſed ſecta tantum recẽs hærba, quæ in aqua maduerit, obijcienda: ex quo latice non plus vno congio bibat, ne ſequenti die peruadat horror. Hordeo pauciore firmetur, ſemodioq; ſit cõtentus. Largior hærbæ modus exhibeatur. Vtroq; die aquæ congium bibiſſe ſatis erit. Tertio die ſeſcupla ſint omnia: reliquis quantum conſueuit offerri. Si in poſteriora morbus decũbat, ſub inguinibus vtroq; crure vena ſecetur: cuius profuſio non antè ſubſiſtat, quàm ſex heminæ ſanguinis profluxerint. Ea medẽdi ratio maioribus noſtris tradita eſt. Aliàs hyoſcyami, cum æſtate colliculis viret, decem quindecím've folia diligenter in italico vino teruntur, huiúſque potionis dimidia pars infunditur, confeſtimq; pecus agitur, & illico leuabitur morbus. Sed cum hyems virentia folia denegauit, tum ſeminis triti quantum tres digiti capiunt, itidem ex italico vino ſumpſiſſe ſatis eſt.

Apſyrti de ſanguinis miſſione, Cap. VIII.

APSYRTVS Tyranio Varoni ſalutem. Roganti tibi quæ tandem inſint equis venæ, quibus inciſis mittere ſanguinem oporteat, quò facilius vitia depellãtur, neceſſarium has tibi demonſtrare putaui. Primum ex palato ſanguinis detractionem moliri cõuenit: qua ſola, pecus inoffenſa valetudine ſeruatur. Si corpulentius eſt, & adipibus obeſum, ſi ſeſe ſcabit, præſepiiſq́ vel parietibus adfricat, ſi dentes in ſe conuertit, vel ſubinde concutit caput, ſi flacceſcũt aures, vel ſi frequenter oſcitat, aut crura priora viciſſim iactat, ſi ſordibus oculi ſcatent, vel innatans pituita angulis inhæreſcit, aut in præſepibus ſolito plus ſomnus opprimit, ſi cruor cum excrementis alui vel vrina fertur: ſanguinis miſſionem requirit. Huic vtique tertium aut quartum venoſum palati torum opus eſt ferro ſauciare, vt ſanguis profluat. Verum is qui impreſſo circa caninum dẽtem vulnere prorũpit, non facilè ſupprimitur. Febricitantis caput in terram vergere deprenditur: cui ex temporibus aut facie ſanguis eſt dimittendus, vt materia quæ grauat, euocetur. Verum iis qui quodam rigore neruorum modò caput ſcapulis anneƈtũt, modo reƈtam & immobilem ceruicem intendũt, (illos opiſthotonicos, hos tetanicos græci vocãt) ſanguis detrahendus non eſt: quandoquidem neruoſa compages miſſione ſanguinis exareſcit. Ea ſiquidẽ non modo neruos tentat, ſed equum qui detraƈtionem expertus eſt, iniuriis opportuniorem reddit. vitio membris alimoniam eripiẽte, inanitas omnibus incommodis patet. Accidit equum citatiore curſu, aut vehemẽtiore ſtimulatu inſiſtere non poſſe, ſed ne reclinari quidem, etſi ſummopere cupiat: velarum ſummis pedibus non aliter progredi, quàm qui conceptis inflammationibus incandeſcunt. huic à talaribus venis viciſſim, qui partem priorem poſterioremve ſanguis onerat, hauriendus eſt.

Hierocles de ſanguinis detraƈtione.

OMNIBVS oppletione & cruditate laborantibus, à genuum flexuris cruribuſq́ ſanguinem emitti optimum eſt. Quippe cum calida huius animantis natura confeſtim ob cruditatem ciborum feruore deflagret, eum facilè febris inuadit. Nec id ſilentio diſſimulare oportet, quòd ſanis equis ſanguinem elici nec Apſyrtus nec Eumelus probant: ſi tamen iis inualuiſſet conſuetudo, melius è palato mittitur. Hac vero ſanguinis miſſione pecudes ab impendentibus periculis vindicãtur. Attendendum in iis tamen ne tam tenuia ſint animantis vaſa, vt vix conſpeƈtui ſubiiciantur. Interdum enim vſu venit, vt in obliquis iuxta genua partibus armiſq́ detraƈtio ſanguinis inflammationẽ creet, & adferat claudicationem. Remedium erit, vt ter vel quater in die locus calida perfũ-

datur,& cimolia creta delinatur ex aceto,mox paululum incedat equus. Sed in primis danda eſt opera, ne percuſſæ ſcalpello venæ penitus traijciantur, neve etiam exulcerationem accipiant. Cauendum item ſummopere, ne quidpiam tale contingat cum è collo vel ore ſanguis extrahitur. eæ ſiquidẽ venæ maiora minantur equis pericula.

Apſyrti,ſi optima ſanguinis miſſio equis,ſiquando ab internis fœminibus ſanguis ſit euocandus, Cap. IX.

APSYRTVS Achaico Nicæo ſalutem. De hac re nuper ad me retuliſti tu rei veterinariæ ſtudioſus, ſi qua ſit equis optima ſanguinis miſſio. Eſſe optimam inficior: Eumeloq; rei veterinariæ prudenti placet equos ſanguinis detractioni non eſſe aſſuefaciendos. neq; dicti rationem addidit, aut aliquid eſt cauſatus,quod perquirẽti faceret ſatis. Feruorem enim inducimus,cum exitum ſanguini præbemus:& morbos concitamus. Si vero fuerint aſſueti,ſic erit ſanguis dimittendus, vt in epiſtola ad Publium Varronẽ diximus. Sanguinẽ è fœminum venis effundere nihil adfert commodi. ſiquidem exhauſtæ ſuo ſanguine,morbum doloremq; conſortij iure quodam inguinibus impartiũtur. poſtridie,qui ſanguinẽ miſit,ſequẽtibuſq; diebus etiam ſtimulatũ vix ingredi poſſe percipiet. Si quis paulo ſuperius iuxta teſtes venam quæ vocatur anguina,cultello ſoluerit,equis exitiũ adferet. Cum ſiniſtra valetudo quæ deſiderat ſanguinis miſſionẽ, partibus poſteris inſidet,infra ſuffragines iuxta dictos talos ex interna parte vel externa ſanguinẽ dimittere oportet. Damnantur in corona pedis venarum diſſectus:quandoquidẽ ictus locus in tophaceam duritiem occalleſcit,quam marmor veterinarij nominant:ſed vngula quoque vitiatur. etenim cruentus rubor in ipſa ab ictu punctim impreſſo cõtrahitur:quapropter plerũque pecus claudicat.

Non opus eſſe,quos labor vexauit,ſanguinem detrahere:neq; diu,miſſo ſanguine,potu pecus abſtinere.

APSYRTVS Sexto Numenio ſalutem. Cõpertum tibi eſſe velim,ſiquando equus ex itinere feſſus laſſitudinem conceperit,non eſſe mittẽdum ſanguinem. Non enim venis,ſed neruis labor inſidet. quas ſi ſolueris,ſiccãtur nerui. Venæ enim ignea vi præditæ,neruis mollitiem exhibent. Opus eſt ergo inſpirato oleo & vino armos & crura reſpergere,& molli manu defricare:nec loco duriore ſtabulari,ſed vbi fimum vel aliud molle ſubijciatur ſtramẽtum. ſic laſſitudo reficitur. Si nimio labore confectus eſt equus,non vtiq; hordeo recreandus. quod idem Eumelus quoq; prodidit. ſed eum præteribat,ſaniem,cum equus iter agit,ſecretã,nec

ſanguini fuiſſe promiſcuam: quapropter ſi vena ſoluatur, merum ſanguinẽ profluere citra ſanioſam illuuiem, obſeruabis: cũque nihil eo profeceris auxilio, ſolum animanti faceſſes negotium. ſiquidem eius natiua conditio depulſo calore perſiccatur: hinc maioribus impedimentis patet: vehementioraq; manent eum incommoda. ſed cum poſtera vel ſequens dies illuxerit, detractionem tentare melius eſt. Tum enim ad venas recurrens ſanies, eo ſe recepit: quę tunc exitum efflagitat. Hoc diſcrimen quàm optime cognoſcet qui ſanguinem venis euocare conſueuit. Neque ſanguine miſſo, quæ ſolidam ſortiuntur vngulam, potione diu prohibeas. nãque ſi ſiti diutius excrucies, niſi ab ea confeſtim vindices, nonnihil intus rumpitur. Cum vero genibus & tibijs compages laxatæ dehiſcunt, & malleoli deprimuntur, ſcire licet ſua ſede fibulã in ipſis abſceſſiſſe, equũq; claudicatu laborare. Quæ vero partes genibus ſubditas, quæ tibiæ dicuntur, habẽt craſſas & carnoſas, in equilibus facilè pedes frangũt. Sunt qui pſyliſtæ græcis dicũtur. menſtruam ij ex ſuffraginibus ſanguinis miſſionem deſiderant.

HIEROCLES.

EQVO via aut labore fatigato, ſangui s ſtatim mittendus non eſt. Etſi Eumelo ſanguinis detractio placuerit, eã tamen Apſyrtus damnat: ſed oleo vinoq; conſpergantur crura, & plana manu ſubigantur. Non aſpero ſtabulo, ſed letamine vel mollibus culmis ſubſtrato cubitet. Quòd ſi vehemẽti labore vexatus ſit, (de quo inter Apſyrtum & Eumelũ conuenit) neq; hordeum oportet obijcere. Tertio die poteſt ſanguinis miſſio nõnihil iuuamenti præſtare. Proderit etiam itinere vel curſu laſſeſcẽti, polentæ cum vino ſubactæ coactas offas per os immittere. Si vero diſtrahantur ilia, ternos croci obolos ex aquæ hemina ſuffudiſſe ſatis eſt.

Quòd canterijs non ſit mittendus ſanguis.

APSYRTVS Demetrio auo mulę medico ſalutẽ. Te, qui veterinorum nutricatu gaudes, nolim latere, canterijs equis ſanguinẽ non eſſe detrahendum. Etenim ſanguinis miſſio vires infirmat, & ad obeundum opus inualidiores reddit. Quinetiam ictus ſcalpelli inflãmationem creat. Vale.

Hippocrates de ſanguinis miſſione, & cibatu.

NOSSE videtur optimum, vnde, quibus horis, quonam pacto & à quibus venis ſanguis ſit dimittendus. Refert etiam naturas & habitus explorare. Siquidem nonnulli ſecunda conſtitutione præditi valent, alij in macilentiã perducũtur, alij, vtpote valetudinarij, morbis patent. quibus idem ſanguis non ineſt, ſed ne ſimilis quidem omnibus

vitijs inuenitur, verum colore ſanguis in vnoquoque vitio diſſidet. Eorum enim qui inoffenſa valetudine degũt, ſanguis contemperatus eſt, copioſus, flauus: quibus ne vitium inſideat, ſanguis detrahatur. Colorem eius, habitúmq́, cum profunditur, oportet attẽdere. ſiquidem elangueſcentium ſanguis, varius eſt, & ſpumoſus: ſed eorum qui hordeationis vitium ſentiunt, eſt ater, & glutinoſus. Primum itaq; diebus ſenis equus viridi pabulo recreandus, hærboſis campis, quandiu læta farrago & ſuauis exit, quæ nouum in venis ſanguinem creet, & ſic vires alat, quò robuſtior equus reddatur. Sanguis hora diei ſecunda detrahatur. Sed poſtquã ſermonem hac de re fecimus, ſupereſt vt quonam deceat pacto ſanguinem qui grauat, euocare, proponamus. Ceruicẽ primùm erectam oportet loro circũplecti, & tantiſper extendere, dum tori venarum protuberent: neq; ſcalpellum tamen penitus adigere: quandoquidem ſi ferramento tranſigatur arteria, non temere coibit, erũpenſq; ſanguis ægre ſupprimi poterit. Si tẽporum venis ſanguis ſit emittẽdus, laqueus capiti circũponẽdus, vinculoq́; iuxta aures diſtringẽdũ, donec appreſſu venæ tumeſcãt: poſtea, vti diximus, vena nõ alte ſubcidẽda.

De inflammatione ex ſanguinis miſſione nata.

APSYRTVS Aſpioni Alexãdrino ſalutem. Accidit partibus quæ obliquæ dicuntur iuxta genua, & in armis ex miſſione ſanguinis inflammationem creari, & interdum adferri claudicationem: cui ſic ſuccurritur. calida continuo ter aut quater in die perfundendũ. cimolia cum aceto perlinendum. paulatim pecus exercitationi credẽdum. ſic omnis languoris cauſa diſcutietur. Porro non eſt committendum vt traiectim venæ feriantur, ne laceratæ exulcerationẽ concipiant. quod nõ eueniet ijs quibus ita cæca vaſorum origo ſubſidit, vt ne notari quidem facilè poſſint. Verum ſi nimia ſui tenuitate fallunt, vinculis obuolui deſiderãt, vt ad appreſſum intumeſcant.

Pelagonij remedia venis ſcalpelli ictu immodicum ſanguinem profundentibus, & inflammationibus inde contractis.

VENIS ſanguinem fundentibus, fimum ſuum imponito. Si vero prorumpentis ſanguinis impetus non cohibeatur, velleris affatim ſuccreſcentis floccũ oleo imbutum hianti venæ ſubfigito, vel è ligno orbiculum inſtar nũmi ſeſtertij circunciſum, emiſſario venæ manantis indito, eoq́; vtere quàm optimo præſentiq́; remedio. Si fluxio aut inflãmatio ſanguinis miſſionem è crure ſequatur, proderit calcis viuæ, chalcitidis, mellis, ariſtolochiæ æquas parteis linteo ſublitas adalligare, aut ſylueſtrem canabim ſiccã tritámq; cum melle linere. Cimoliã cretam ex olei momento, acetoq́;, & pollinis thuris triente, adiectis bulbis, & tritis cocleis, partibus

inflãmatione tentatis iuuabit admouere. Si frigus hyemis experimur, calido remedio vtendum. si æstas accessit, frigido.

Apsyrtus de albuginibus oculorum. Cap. XI.

SI AD oculũ fluxio decumbat, aut glaucoma aut argema innascatur, aut caligo, vel attritio, aut vulnus sentiatur, ita vt oculus inalbuerit: in facie vena sub malis rescinditur. Qui vero cum hæc euenerũt incommoda, temporum venam soluũt, eisdem malis oculum implicãt. Si vero glaucoma natũ sit, mittere sanguinẽ nihil adfert vtilitatis. Siquidem hoc vitiũ nullis cedit auxilijs, in quo nõnihil exoritur quod albicãtis calculi quandam refert imaginem, à qua vitri similitudine ὑάλωμα, quasi dicas vitraginem, græci solent appellare. Sunt qui pręsentissimũ aduersus oculorum albugines remedium putent, aurem subula transsuere, factoq; foramini veratrum inserere. Prodest quoq; cutem sub malis perforare, impressoq; vulneri idem veratrum adigere. Optimum quoq;, & experiẽtia probatum constat aduersus albugines quæ in oculis equorũ mulorúmve proueniunt, si caprillos pedes nullam coctionem expertos, sed crudos adhuc quis confringat, interiorémq; medullam eximat, & in stillatitio rosarũ liquore perbelle detritam, iterum aut tertio pecudis oculo illinat. hoc vnguine delibutis oculis animal releuabitur.

Hieroclis ad albuginem medicamenta.

SI ICTV vel attritione oculus inalbuerit, scobem testæ sepiæ contritam ex myrrha & melle sublini iuuat. Sal fossilis aut indicus minute tritus cum croco & melle vtiliter infriatur. Agrestis pastinacæ & phenij flores intritos, quotidie bis instillasse proderit. Si exulcerationẽ oculis sentit, myrrha & iunci odorati flores quàm minutissime pertriti, affuso melle perlinuntur. Si album in oculo est, sanguinem à temporibus & venis quæ malis subiectæ sunt in facie, mittendũ commẽdat Apsyrtus. Cæterum aqua frigida fouetur oculus, mox trita cepæ medulla cum nitri spuma, indito præsertim oleo quod syluestris oliua fudit: si id desideretur, vetustissimo quoq; delinẽdus. Albugines medicamẽtum abolet quod recipit, balsami, myrrhæ, croci, cadmiæ, rutæ, singulorum põdo vnciam, spicæ nardi pondo sextãtem semunciam, piperis candidi pondo sextantẽ, mellis attici põdo semunciam, radicis asparagi tantundẽ, alcyonij pondo quincuncem, vini veteris instar duûm scrupulorum. ea detrita, sextante cœlestis aquæ vel fluuiatilis excipiuntur. Hoc etiã aduersus albugines vsum præstat, spuma nitri cum myrrha & optimo melle: lectum item fœniculũ siccatúmq; tunditur: eaq; creta permiscẽtur, vt albuginem extenuent. Cucumis,

galbani,singulos sextãtes,piperis candidi selibrã,masculi thuris tãtundem, æris vsti scrupulum vnum,mellis quod ad ea excipiēda satis esse videbitur, miscebis,& ad vsum adferes. Si quis mansæ hederę succum in oculos inspirauerit,mulorum albuginem discutiet.

Eumelus albuginibus.

ALBVGINES oculorum tolles,si à tēporibus sanguinem elicias,succúmque cepæ cum nitro mistum admoueas.similiter crematas nigras fabas adiecto melle pari delinere proderit. Recētis albuginis impetus cohibet rosaceū cum melle & oui liquore lana molli exceptum,& oculis agglutinatum. sed in primis ex oculari vena sanguis est emittendus. Vini aminei sextarij tres,gari sextarius vnus,cum mellis quadrante simul coquuntur,vt albuginibus auxilientur.Hirundinum cremata capitula,& in cinerem redacta,cum melle lita iuuant.

Inueteratis albuginibus

Inustum hordeaceum fermentum,& quàm minutissime tritum,fœniculi succo,nitro,& melle excipitur,& ita collinitur ijs qui iam à multo tempore albugines experiuntur.

Theomnestus albugini.

SI PIPERIS candidi sextans,aut nigri triens adsumatur, nihil interest.ammoniaci triens,myrrhæ sicilicus,croci drachmæ tres,opobalsami quod erit satis,miscentur,vt in illitionē liquidā coëant:quæ indita non patitur albuginem cōfirmari. Hęrba syderitis,quam alij achalium,nōnulli altheā appellant,cum semine trita oculis prehensis inspiratur,deinde cælesti aqua frigida perluuntur.linteoli mundi cinis,& frictus sal,melle excepti sublinuntur. Cyclamini succus ex attico melle illitu albugines rapit. Adipem anserinā cum rosaceo tritam, & sepiæ testam ex melle fumum non experto, perungere proderit. Sepiæ testa,& fœniculi succus,croci,myrrhæ,& syriacæ nardi pares modi miscentur melli, minutissime triti,vt albugines vsu deterant.

Collyrium ad suffusiones.

Nitri sextans tunditur,& immistis piperis cādidi quinq; granis,aut nigri decem, phyllarium cōteritur. Hoc medicamētum suffusiones discutit. mellis,olei veteris,par vtriusq; modus miscetur. ad vsum,salis attici sescūcia,ramentorum sepiæ tantundem,cum crocodili fimo simul teruntur,crocum phyllarium,succinum,in pollinem digeruntur, & oculari incerniculo creta excipiuntur. Pyxide vitrea medicamentum recōditur:& cum postu-

labit vsus, sublinitur. Sed siquando medicamentum in liquorem soluatur, aut in humorem coëat, paulum tritæ gummis adijcietur, vt in pastillos coalescat, qui aqua resoluti perunguntur.

Collyrium albuginibus.

Mellis, thuris masculi, myrrhæ troglodytidis, piperis candidi, croci, aloë quæ in iocineris formã concreuit, singulorũ vncia, ammoniaci thymiamatis sextans, salis ammoniaci, styracis synceri, aluminis scissi, nitri græci, singulorum vncia diligenter conteruntur, quoad fatiscant in polentam. hoc medicamentum vsu albugines emendabit. Non desunt qui ad detergendas oculorum albugines ammoniaci & fœniculi portiones æquas in pilam conijciant, per triduum terant, quarto die fluuialem aut fontanã aquam defundunt, diebus octo quotidie bis conterunt, & mellis selibram adijciunt.

Oculorum doloribus.

Dolores oculorum finit medicamentum quod habet ceræ aut resinæ, ammoniaci, spumæ nitri, singulorum pares intritas portiones. Suffragatur oculis medicamentum quod recipit nardi spicæ pondo denariorum duûm, croci pondo denarij vnius, amyli pondo denariorum duûm. ea melle attico excipiuntur.

Exulceratis oculis.

Si exulcerationem sentit oculus, myrrham, crocum, odorati iunci florem quàm minutissime tundito, & adfuso melle linito.

Lippitudinibus oculorum.

Lippitudines oculorum sanguinis feruore, aut alimenti copia contrahi consueuerunt. Has sanguine à temporibus misso curare oportet. Oculis mel & lac per triduum instillantur. Si ijs fluxionis impetus nõ cohibeatur, mel & aloë iocineris crassamentum referens, oculis illinuntur, prorumpentémq; fluxionem supprimunt, & lippitudini medentur. Medullam cerui vsq; eo perpurgatam, vt ne ossium quidem vllæ remanserint lamellæ, marmorea pila terito: cui croci triti denarij pondus adijcito. medicamentũ vase vitreo vel corneo recõdito. id vlcus oculorum alit. Crematæ diligenter viridium arundinum paniculæ, adiectis suauissimæ myrrhæ tribus obolis, & syriacæ nardi totidem, omnia simul teruntur, dum in vnitatẽ coëant, & in pixidicula ænea reconduntur. albugines vsu summouent. Item porri tenuiter detriti succus expressus, & æneo vasi mãdatus, illitu proficit. Si oculus inflammatione vexetur, thuris, amyli, agninæ medullæ, singulorum drachmã, olei rosacei vnciã, vbi ita subegeris, vt in vnum coalescãt, oculis agglutinasse

ſatis eſt. Thurius ſal tritus naribus inſpiratur. Si vero nõ aperiat oculum, huius genã inuertens ſcalpello reſcindito, mox vinum inſpuito, ſanguinem temporibus detrahito. Iis auxilijs morbus abigitur.

Albuginibus oculorum.

Succi fœniculi modus qui tibi fecerit ſatis, hederæ quæ ſaxis innititur, recentibus folijs expreſſus liquor inſtar prioris menſuræ, lac canis vel aſini, ſanguis vernaculæ vel cicuris columbæ, ros braſſicæ conſidens, albuginibus auxiliantur.

Eumelus oculorum cicatricibus.

Si ſal ieiuno manſus in oculum inſpuitur, cicatricem extenuabit. Idem facit ſepiæ teſtæ ſcobis oculo per fiſtulam inſpirata. Sylueſtris paſtinacæ tritum ſemen melli attico miſtum, auxilio eſt.

Epiphoris oculorum.

Aquæ frigidæ conſperſus, oculorum epiphoris medetur. Sal etiam in vino meraco decoctus intrita myrrha, & adiecto melle attico, eiſdem infriatur, deinde frigida fouentur.

Oculorum vulneribus.

Oculorum vulnera ſic curantur. croci, piperis albi, ſalis ammoniaci, lachrymę papaueris, allij, ſingulorum vncia teritur, & excepta melle linuntur. Humanum ſtercus exſiccatum eiſdem efficax eſt. Sylueſtris item cynaræ radix ex ſale miſta & oculis agglutinata prodeſt.

Ad incipientes ſuffuſiones.

Mellis attici, fellis hyenæ, aut vulpis, quod mellis modũ æquet, opobalſami tantundem, piperis dimidiata portio, hæc conteruntur, & pyxide vitrea aut ſtannea conduntur: cumq; neceſſitas vocat, primis ſuffuſionum rudimentis illinuntur.

Vnguibus oculorum.

Vngues, quæ pterygia Græci vocant, neruoſæ quædam ſunt tunicæ ſeſe oculis obtendentes, inſtillatione craſſiorũ humorum qui in capite coierant, enatæ, ſanguinem dico pituitámq;. ijs radices ſanguine ſuffuſæ rubent. ſed cum pupillam occuparunt, & ſe cernendi potẽtiæ iam oppoſuerunt, orbant lumine, eámq; non ſecus obtegunt, quàm nubes quæ radianti ſe ſyderi obiecit. Quod ad curandi breuem expeditámque rationem pertinet, vnguis manum expoſtulat. Oportet oculum vtrinq; diſtrahere, vt membranoſus

vnguis in rugas summatim contrahatur: medicinaliq; hamulo, retuso mucrone suspendere, & in orbem scalpello circumscindere. Neque vero timide, sed audacia fretus hoc feceris. Nam tunica cornus imaginem referens, ob id ceratoides dicta, subijcitur. Cum disiectus vnguis fuerit, penicillo posca imbuto fouendus est oculus. Quod si vehementer equus recalcitret, fascijs erit obligandus, tertio die medicamento solicitandus quod habet cimoliæ cretæ vnciam, pompholygis semunciam, iris sicilicum: quæ melle liberaliter excipiuntur, & dum sanescat, illinuntur.

Oculis cruore suffusis, & staphylomatis.

Oui candidum, oleum rosaceum, & cerusa, subiguntur: & vbi strigmẽti crassitudinem implent, illinũtur. sed antea sanguis è temporibus mittitur. Si ijs fluxionis impetus nõ substitit, vnguem & staphyloma, id est vuã creabit, in qua summa attollitur tunica, vt ruptis oculi laxatis've membranis similis figura acino fit: inde nomen ductũ est. Illitu per biduum interpellato, vinum inspiratur: oculus per angustũ quoddam spiraculũ proluitur, quod coniunctum naribus, ad eum ducente cuniculo permeat. repetendum subinde medicamentum vt diximus illinendum. quod sub æstatem ex aqua frigida, per hyemem mulso tepefacto perungi proderit.

Pelagonij contra oculorum ictus collyrium.

Myrrhæ troglodytidis vnciam vnam, croci obolum, hæc trita in aqua mulsa decoquito, & adiecto quadrante mellis vtitor.

Suffusionibus vernaculum.

Nidum hirundinis sic erutum, vt nihil prorsus reliquiarum eius adhæreſcat, in vas conijcito, & addita aqua, cũmq; simul agitaueris, ea colis exprimito. Hunc laticem dabis sitienti iumento potãdum, vel faucibus per corniculum infundes. In primis equili calidiore, in quo nullum frigus aspiret, stabuletur. soli furfures & paleæ pabulo cedant. hordeo prohibeatur. tum frumẽtacei farris heminam, & hydromelitis sextarium, pollinis thuris tantundem, resinę vnciã vnam, adiectis duorũ ouorum liquoribus, liberali vino decoques: & vbi visum totum illiueris, fascia subligabis, vt nocte tota medicamentum adhæreat, & appetente diluculo detrahatur, & dictum antea pabulum obijciatur. quarto die oculos attico melle perunges.

Ad oculorum cicatrices.

Balsami, piperis, singulorum pondo sextans, ouillæ medullæ pondo vncia, spicarum allij gallici quod esse satis videbitur, fœniculi quantum manu comprehendi potest, ea luteus oui liquor excipiat.

Oculorum vulneribus.

Myrrha, crocum, iunci odorati flores, vnà conteruntur, & adiecto melle linuntur.

Nardinum collyrium.

Opopanacis sextula, violarum siccarum sextans, spicæ nardi, casiæ, myrrhæ, olei, singulorum semuncia, piperis pondo denariûm duûm, vini instar scrupulorum quinq;.

Ad caligationem oculorum vulgare tritu'mq;.

Candidæ spinæ succus vino veteri paribus mẽsuris admiscetur: sed longe melius cedet, si spina dum in cineres euanescat aduratur, & adiectis attico melle & oleo vsurpetur. Omni vitio oculorum hoc opitulatur medicamentum. piperis candidi, albæ spinæ cinis & mel æquis portionibus miscẽtur. pinna oculus illinitur.

Oculare collyrium lippitudinibus.

Violæ & sal æquis ponderibus miscentur, acetum quod satis est: olei, piperis longi, herbæ sabinæ, pollinis thuris, myrrhæ, singulæ vnciæ teruntur, & tenui cribro cernuntur: quæ semisse mellis excepta instillantur.

Si oculum equus læsit.

Oleum rosaceum, & oui liquor, lana excipiuntur, & agglutinantur oculo. Postero die fœnigræci tepente decocto fouetur. Imbutus hoc cremore penicillus adalligatur. iterum vellus supradictis intinctum adfigitur. cum meliuscule cœperit valere, collyrium indetur.

Carcinomatis oculorum.

Eruum pinsitum, oleum rosaceum, & ouum melli attico miscent, & hiatum vlceris inungunt.

Oculorum cicatricibus.

Vetera coriorum pyctacia concremant, & in cinerẽ redacta oculis ingerũt.

Oculorum inflammationibus.

Si subito oculus inflammationem contraxerit, spongiam aceto imbutam oculo deligabis.

Compositio collyrij aduersus albugines.

Thuris masculi, myrrhæ troglodytidis, singulorum pondo sextans, croci cyrenaici pondo vncia, succi fœniculi, foliorum rosæ, singulorum pondo sextãs, mellis attici nunquam fumum experti, piperis candidi, piperis longi, crocomagmatis, singulorum pondo vncia, succi hederæ pondo sextans, vini italici heminæ mensura, opobalsami quod satis esse videbitur.

Apsyrti de contusis aut percussis oculis,& defluxionibus eorundem.

APSYRTVS Hippocrati equorum medico salutem. Postquã equinum genus cõpluribus iniurijs visum est opportunũ, oculiq; varijs casibus patent, te nutrientẽ equos auxilia scire necessarium duxi. Quibus si percussus est oculus, facilè succurras. Icto, crassioris pituitæ cursus erũpit: &, quod scitu dignũ est, oculus frequẽter sua sede propellitur. Iis medicamẽtis vitiũ discutitur. Ouilla medulla fœminũ ossibus exempta, tritaq;, perungitur, & bis in die manu clausus oculus aliquantum cõtinetur. Melius res cedet, si recẽs adhuc medulla fuerit, nec senserit vetustatem. quæ si non adsit, adeps anseris aut cohortalis gallinæ tritus sublinitur. Medulla cum anserino pingui detrita, auxilio est. Quum rimula quæ dehiscebat, resarcto damno fuerit expleta, & segmen vulnusculi ad cicatricẽ perductum, iamq; cursus cõcretioris pituitæ cõstitit, oculus hoc vnguine delibutus illustrabitur, quod recipit atramẽti sutorij obolum vnũ, myrrhæ alterum, croci drachmã, medullæ ouillę quam antea proposuimus, semunciam. hęc trita simul, ex attico melle coquũtur. Hoc medicamentũ cicatricem extenuat: sed medulla debet esse resoluta. Quòd si ictu quodã vel attritione aliàve causa cõturbationem sentiat oculus, aut offusis tenebris caliget, sanguis è venis in facie quæ malis subditæ sunt, emissus, pręsenti est auxilio. Postero die superior illitus opem adferet. Longe melior cõpositio sequẽs habetur. Aeruginis obolus vnus, myrrhæ, spumæ nitri alexãdrini, singulorũ oboli duo: quæ in polentam detrita, melle attico colligũtur. Cæterum hians segmentũ, medicamen quod medulla cõstat, emendabit, & alet. Eruum pinsitũ, & linteolo cretum, melle attico vel cretẽsi excipitur: quo segminis oras sublini salutare est. Quinetiã cum tẽpus postulabit, in omnibus quæ cõtingunt extrinsecus noxis, inspirare vinũ oculo, diductis genis, perquam vtile. Si cõcepta inflãmatio torqueat, hoc vtendum remedio. Polenta vino subacta agglutinari debet, adligariq;. *Si* vero fluxiones sentiantur, neq; pituitæ cursus substitit, circumurendus oculus. sed spongia partem occupet à qua cernendi facultas proficiscitur, ne amburens medicamentũ subter illabatur, & eo tãdem proserpat. Optimũ est contra defluxionis impetus, oculum etiã medicamento munire, quod habet argẽti spumæ tritæ & elotæ, succi herbæ apollinaris, pares vtriusq; modos, lactei succi papaueris tertiam partem, æruginis tantundem. singula teruntur, iterúmq; vino dulci crassiore cõmittuntur.

Hierocles ad ictus, procidentias, defluxiones, & vngues oculorum.

SI DISSECTVS fuerit oculus, sordisq; crassæ proluuies feratur, timor subest ne procidat oculus. id quod his medicaminibus finietur. Ouillam è fœminibus medullam contritã inungito, bis in die manu oculum aliquantisper contineto. Hoc efficax habetur, si re-

centem medullam ſis nactus. ſin carueris, anſerinũ adipem, vel gallinarum domibus oberrãtium pingue tritum illinito. Medulla vero anſerino adipi cõmiſta prodeſt. Cum vulnus expletum eſt, ſectioq́ cicatricem cõtraxit, ac ſordis proluuies reſtitit: medicamẽto quod ſubdidimus, inungito. Recipit hoc, atramẽti ſutorij obolum vnũ, myrrhæ duplum, croci drachmam, ouillæ medullæ ſemunciã. medulla prius teritur, deinde ſimul omnia conteruntur, atticũ mel infunditur. id cicatricẽ abolet. Sed ſi oculus, vtpote cicatricoſus, turbulentiam experiatur, ſi aut attritu, vel alia cauſa cõtuſus euaſerit, vel ei caligo quædam obuerſetur, venã in facie malis ſubiectam ſecabis: poſtridie vti ſupra diximus ſublines. Nonnulli æruginẽ, myrrham, nitri alexandrini ſpumam conterunt, & attico melle coactis vtuntur. Quinetiã ſtatim quàm oculus noxam cepit, diductis palpebris vinum inſpirare mirũ in modum proderit. Si concitetur inflammatio, polentam vino permiſtam, vt in cataplaſmatis lentorem coëat, agglutinare cõueniet. Cum vero fluxionis impetus in oculos decumbit, nec pituitæ curſus ſupprimitur: circumurere oculum appreſſo videndi particulæ penicillo, qua feneſtrat oculum pupilla, ne vis candentis medicamenti ſubeat. Oculis qui fluxione tentantur, hoc etiam ſubuenit. Spumæ argenti tritæ & elotæ, ſucci apollinaris herbæ, ſingulorum æquæ portiones, lachrymę papaueris pars tertia, æruginis ſulphuriſq́ tantundem, hæc ſingula, poſtea ſimul omnia, conteruntur, & immiſſo craſſiore paſſo linuntur. Vngues qui oculis obijciuntur, vix medicinæ parent, eóſq́ diſcutere remedijs difficile eſt. Siquidem neruoſæ quædam veluti membranæ protenduntur, quæ ſub genis candicantes animali cæcitatem offundunt. Subijciens itaque digitum, acu linum ducente traijcito, duobuſque fili capitibus leuatum vnguem reſcindito: & acceptum ſectione vulnus, oleo & ſale, ouillàque medulla fœminum oſſiculis exempta, ſex diebus nutrito. diuerſas collyriorum compoſitiones à me ſecundo volumine deſcriptas offendes.

Apſyrtus de ijs qui diuerſis conſtant oculis, & albo rictus colore noſcuntur.

APSYRTVS Flamaruntio ſalutem. Qui varietate oculorũ notantur equi, nõ eãdem rem oculis cernunt. Nam quemadmodum quibus vel crura vel pedes diſcoloribus maculis euariãt, ij claudicare ſolent: & cum itineribus cõmittuntur, labori cedunt: ſic etiam illos hac diuerſitate variegatos viſus deficit. Quin & ob hanc oculorum varietatem, & improbi, & rerum eis occurrentiũ verentes, necnõ ad ſpeciem rerũ oculis obiectarum cõſternabiles ſunt. Hos tamen Parthi magno in pretio habẽt, & pro generoſiſſimis adſumũt: apud quos primum procreatos fuiſſe conſtat. Qui vero diſcolores notas in tergore referunt, eos Parthos veteres ap-

pellarunt, apud quos primum in lucem editi produntur. Scire etiam licet equos qui oris rictu vel facie candorem exprimunt, & prægrandeis ac velut emissitios promunt oculos, ij ab ineunte puerili ætate ad senectam liberaliora vitæ spatia pollicentur.

Apsyrtus de admissura.

APSYRTVS Caristano Frontoni salutem. Cum veterinorum alimoniæ tuum impendas studium, & ex me quęras quos & quales equos admissarios eligere cōueniat, te scire necessarium duxi, quòd qui non ictu contractam, sed genitiuam notam in oculis candicantem ostendunt, ad seminandam prolem repudiantur. nanq; editum hoc parente pecus, cum ad eandem deuenerit ętatem, simili modo, cæcitatis mutilatione vexabitur. Equam vero tali genitore procreatam, propter anniuersariam purgationem, id malum non manet: sed mas quem ea pepererit matrix, aui tum referet vitium. Qui vero insiliendis equabus vel pigri vel inhabiles spectantur, vtpote cum operi cedant, sunt segregādi. Qui etiam vnico teste constant, ad admissuram adsciscere non oportet: cum ex maxima parte infœcundi reputētur, aut pullos suæ stirpi mutilæ similes progenerent. Quibus varices in testiculis prominent, seminandæ soboli nō habentur idonei. hos varicosos vocāt. Admissarium igitur integris esse viribus, & omni vacare culpa operæpretium est.

Quæ ætas ad admissuram idonea, Eiusdem.

QVIBVS pullorum educatio cordi est, matrices equas hac corporis forma deligere oportet, magnitudine media, habitu quadrato, aspectu decoro, clunibus ac ventribus latis. ætate nō sint minores trimis, neq; maiores decē annorum. Equum ad admissurā quem velis habere, legere oportet, amplo corpore, formosum, nulla parte corporis inter se non cōgruente. Initium admissionis facere oportet ab æquinoctio Verno ad Solstitium, vt idoneo tēpore iam lætis & hęrbidis campis partus exeat. Nam equa duodecim mensibus & decē diebus fert vētrem. Qui vero post Solstitium partus edūtur, vitiosi & inutiles existunt. Mas quo tēpore vocatur à fœminis, roborādus est largo cibo, saginādusq;, vt veneri supersit: ei deturq; ab opere vacatio. Bis die, nec amplius, cum tēpus anni venerit, mane & vespere proriga admittat. Quòd si semel post initum fœmina marem recuset, rursum post decem dies adhibere cōuenit: & si iterum respuat, eam vt impletā separare oportet. Cum conceperint equæ, videndum ne aut laborent plusculum, neq; frigidis locis cōmittantur: quòd algor maxime prægnantibus obest. Si saliendi fastidium est, cupiditas elicitur detersis spongia fœminæ locis, & admota naribus equi.

De indole & forma equi, ac notis annorum, Eiusdem.

QVALIS futurus sit equus è pullo, à corporis forma & indole coniectari potest. Hoc vero habitu constabit, exiguo capite, nigris oculis, naribus non angustis, breuibus auriculis & arrectis, ceruice molli, densa iuba, crispiore, & per dexteram partem profusa, lato & musculorum toris numeroso pectore, grandibus humeris, scapulis latis, cruribus rectis, ventre substricto, testibus exiguis, spina maxime duplici. sin minus, curua cauda, longa, & setosa, crispaq; rotundis clunibus, fœminibus torosis, tereti genu, neq; introrsus spectãti: rotundis vngulis, æqualibus, duris, quibus mediocres coronæ suppositæ sunt. Hæc sunt futuri sublimis & bene compositi corporis indicia. Cum vero natus est pullus, confestim licet indolem æstimare, si hilaris, si intrepidus, si neq; subito conspectu nouæ rei terretur, si ante gregem procurrit, si alacritate & cursu certans æquales exuperet, & in pabulo contendens suos gregales abigat, si in fluminibus & stagnis alios non respectans prægreditur, & vadum interritus transigit. hæc sunt honesti animi documenta. Cum annũ & sex mẽses impleuit equulus, manibus est tractandus, capistrũ circũponendũ, frenos præsepi suspẽdendũ, vt tangere cõsuescat, ne è motu audiẽs crepitus exterreatur. Trimus recte domatur: à quo tempore farrago dari solet. Aetas cognoscitur equorum, & ferè omnium qui vngulas indiuisas habent, & etiam cornutarum, quòd equo, dum bimus & sex mensium est, medij dentes duo superiores, & inferiores totidem, cadũt, quos sectores vocant. Cum quartum agit annum, ijs qui canini appellantur, deiectis, alios adfert, quos nominant columellares. Intra sextum deinde annum molares cadunt. Sexto anno quos primũ mutauit, exæquat. Septimo omnes explentur æqualiter, & ex eo cauatos gerit: nec postea quot annorum sit, manifestò comprehendi potest. ~~Equus morbum non sentiet, si cornu ceruinum amuleti vice gestet.~~ ✳

Qualem asinum esse conueniat quo salitur equa, Eiusdem.

PERQVAM vtile scitu est quod sequitur, ijs qui ex equino genere & asinino congressum moliuntur, vt hinnos vel mulos bigeneros atq; insititios procreẽt. Qui mularũ generi seminando destinabitur asinus, hac corporis forma sit oportet, habitu magno, quadratis membris, vasto capite, nõ equino: facie, genis, item & labris, ingẽtibus: non exiguis oculis, neq; cauis: naribus patulis, neq; constrictis: auribus nec flaccidis, sed arrectis: ceruice lata, neq; breui: lato, & musculorum toris denso pectore, & ad sustinendos equarum infestarum calcitratus robusto: grandibus scapulis: ac partibus quæ humeris subiacent, aut supra genua sitæ sunt, crassis, valentibus, corpulentis, & quàm maxime distantibus: (siquidẽ opus est cum superuenit, fœminã complexu facilem inueniat) grãdi dorso, spina

lata, neq; gibberi, neq; panda angustam lineam in rectum ferente. Non sit asinus humeris subsidentibus, sed eminulis: excelsa armorum compagine & æquabili, ita vt prominētiam litura distinctam habeat: lumbis plenis, aliquantulum se protendentibus, nec in arctū strangulatis: ventre non prætumido, ilibus paruis, lateribus porrectis, late costato pectore, coxendicibus magnis & æqualibus, nō substrictis clunibus, nec in acutū porrectis. Honestiores habentur qui cauda sunt breuiore, fœminibus insuper cōpactis, breuibus, lacertosis, neq; extrorsus auersis, cæterum diuaricatis. Etenim ij quibus femora penè committuntur, & in arctum constricta sunt, longe maiori alacritate fœminas insiliunt. testibus magnis, paribus, tereti genu, tibijs & cruribus vescis, osseis ferè, & excarnibus, magisq; neruosis, minime varis, neq; discolore tæniarum cinctu verticillatis, calcibus neq; præter modū altis, neq; nimium depressis: qui nec nixi talis ingrediātur: pedibus vatijs, nō introrsum contortis, nec humilibus, quibus coronæ mediocres superpositæ sint: vngula dura, subter concaua, interiore sinu paruo, quam à nido hirūdinis chelidona vocant. Non retusa voce asinus, sed clara rudat: quādoquidem magni referet vel vt deterreatur equa, vel vt sic alliciatur, vt morigeram admissario se præbeat. Speciosiores sunt asini, quorum color in purpurā spectat, idq; si nigram nec vllatenus in fuscum vergentem maculam fronte gerant. Longe omniū pulcherrimi nigri habentur, qui non incauum ventrem, sed concolorē habent. Cui pulla in ore macula subest, aut lingua nigricat, is cōsimilis coloris sobolē haud dubie generabit. Qui ex cādido colore in cinereū canescūt, quos vocāt morones, ij ad admissurā nō accersantur. siquidem colores nullo in pretio habiti, magna ex parte reddentur filijs & nepotibus.

Vt admissarius equus in venerem proruat.

Vstam cerui caudam cum vino terito. testes & genitale linito. sic hebes equus, voluptate solicitatur ad venerem. Sed cum furentis in libidinem impetum compescere voles, oleo perungito.

Quæ ætas idonea ad admissuram, Anatolius.

GENEROSI equi tam mares quàm fœminæ, quo describemus modo sunt eligendi. Sit quinquennis equus qui admissuræ destinatur. Decimumquartū agens annum, à superuentu conquiescat. Hoc idem tempus, à quimatu videlicet ad annos quindecim, fœminis præfiniatur. Aetatis notæ non à dentibus solis petendæ sunt. nam hæc probandi ratio non satis exacta iudicatur, quòd planè dentibus suam ætatem non fateantur. Nōnulli à maxillis annos explorant. Si cutis à corpore reliquo non ægrè diducta, trahentémq; manum sequens, perquam facilè suam in sedem resiliat, equi iuuentam denūciabit. Si vero leuata cutis, se ipsa car-

ni tardius agglutinet, senectutem testabitur.

Eiusdem, de tempore admissuræ.

ADMISSVRAE tempus ab æquinoctio verno vsque ad solstitium æstiuũ statuitur. Cum vbertate verni pabuli exhilaratum pecus tunc lasciuiat, non est committendum vt strigosa equa & obsita sorde saliatur: quippe cum talium cupiditate celerius equum solicitari constet, perinde quasi stimulatus hac colluuione gaudeat. Cum autem proriga fœminam mari desiliendam præbebit, eius caudam prius detondeat. Nec desunt qui dent operam, quo magis equarum amore flagrent admissarij, vt iubæ, suorumque capillorũ venustate, necnon cæteris elegantibus honestamẽtis exornẽtur, et ad hoc siquæ pollent aliæ cupidinis huius illecebræ. Quin eam quoque equo tanquã cursu certantẽ proponunt. His autẽ lenocinijs putãt equum ad amorẽ inuitari. Mares quinque mensibus antea q̃ vocentur, à fœminis sunt segregrandi. frumento etiam roborandi. torrido paulatim eruo & similagine aqua macerata largius saginandi, vt veneri supersint, & hoc fulti cibo fortius ineãt. Rursus si equa marẽ non patitur, gallinaceo fimo cum resina terebinthina trito naturalia eius linuntur. ea res accendit libidinem. longeque magis si saliẽdi fastidium est, oblitus scyllæ coeũdi cupidinem elicit. Quòd si semel initum experta, deinceps marem fastidiat, interposito decẽ dierũ spatio mas iterũ adhibẽdus. quòd si rursum maritari respuat, diuortio separanda, vtpote quæ iam ventrẽ perferre credatur.

De asinis admissuræ idoneis, Apsyrtus.

ASINOS eos admissuræ idoneos eligemus, quos cum equis aluimus. Nonnulli, quod recte factum censeo, onagros cicurãt, qui pulcherrimorum seminum feraces sint, optimam ij sobolem fingũt, quòd non tanquã reclusi, sed sua libertate freti, latius euagẽtur. Equas ab asinis iniri, quàm asinas ab equis, longe melius est. Nonnulli studiosius curant, vt equinis matricibus asinorum pulli subrumentur. ideo cum sunt à partu statim editi, equæ subijciunt. Siquidem ita meliori lacte nutriuntur: & sic educati, à tenero magis equas diligere condiscunt, ita vt libidinis furijs promptius extimulentur. Ad bimatũ vsque lactandi potestas fiat, & equorũ more biennij spatio lacte satientur. Non trimis minores asini, aut maiores quàm decem annorum admittantur equæ. Quod seminabit asinus, vernaculum patris præferet habitũ. *Sunt* qui rerum perpulchrarum studiosiores, asinum, equum, aut alium quemuis admissarium, huius coloris vestimento contegunt, quem futuram pullationem referre velint. Siquidem qualem vestitu colorem ij mentientur, in talem enata progenies degenerabit.

Pelagonius de eligendo admiſſario.

SI VTILEM admiſſarium,& ad creandam prolem idoneum libeat experiri, digitis duobus comprehenſum genitale ſemen laneis laſcinijs diſtrahes.ſi reſiliat in ſe,ac ſeſe cohibeat,ita vt non diſcindi patiatur,vtilem admiſſarium oſtendit.hoc Hipparchus aſſeuerat.ſin protinus tactu diſtractum diffindatur,nec viſci more glutinatum lenteſcat,ſeminandis filijs vt inutile repudiatur. talis equus ad ineundas matrices non eſt adſciſcendus. Mores autem equorum laudantur qui ſunt ex placido concitati,& ex cõcitato mitiſſimi.Hi ad obſequia inueniũtur habiles, & ad certamina laborum patientiſſimi. Sunt qui oculorũ diuerſitate gnobiles equos primæ claſſis eſſe contendant, qualem fuiſſe Alexandri Macedonis Bucephalum commemorant: modo linguam habeant tenuem & longam,faciem ſubſimam,erectam ceruicem,ventrem compreſſum,ilia contracta,mediocrẽ magnitudinẽ, prominẽtes in corpore toto venarum toros, nigrum colorem ſaturatum. Plato candidos equos probauit, quaſi huiuſcemodi coloris faſtigia laudari velit: quanquam in alijs colorum generibus bonos inueniri ſæpe contingat.Cæterum probę indolis argumẽtum eſt, ſi ſtans morã non patiatur, ſed pede pulſans ſolũ,curſitare cupiat.

Apſyrtus de partu necando.

APSYRTVS Vero Marcello ſalutẽ. Te noſſe cõmodũ exiſtimo quonã pacto partus in vtero enecetur.Non enĩ ſemper equã ventrem perferre prodeſt,quam mala prędítus indole vel degener admiſſarius ſuperuenit:vel ſi dum quodã genere certaminis exerceatur, vterum gerat. Oportet autem manũ naturalibus inſerere,& in locos equæ transferre, pulliginémq́, ſi iam pilis inhorreſcat,ore prehenſam ſtrãgulare, & caput elidere:vel prius quàm ſemen genitalibus locis animetur,obducẽtem membranam vellicare. Medicamento ſic fœtus enecatur.Teda præpinguis aſſulatim frangitur, & in vini dulcis quatuor ſextarijs efferueſcit, dum ad tertias decoquatur.Hoc ius tripartito digeſtum,per triduũ infunditur. Radicẽ bryoniæ in vino tritã,pulliciem excutere tradũt.Nec deſunt qui creticum ſeſeli,quod tordilion vocant,contuſum infundant.

Apſyrtus de procidentia vuluæ.

EI REFERENDA eſt gratia, qui fœminarum laborãtibus vteris remediũ adinuenit. Si vulua procidit,ſic auxiliũ ferri produnt. Equam proſternere conuenit,& ſupinam in caput reclinantem collocare:multa calida aqua genitales locos ſubluere,eoſq́ tenui acu cõpungere: deinde decocto malicorio in paribus auſteri vini & amurcæ modis,& olei dimidia portione,introrſum, vt in ſedem redeat, cõpellere:mox

vesiculam quæ inspirato flatu turgebit, huic insidētem adprimes: cuius ceruicem funiculo sic obligabis, vt impulsum ore spiritum contineat. naturalia interiecto spatio sic deuincies, vt & intus vesica moretur, & lotiū excerni possit. Tūc vstorum lauri foliorum cinere ex nigro vino austero suffundes: post intermissos decē dies funiculū detrahes, & vesiculam adacto prius aculeo, quò per impressum foramen spiritus euanescat, eximes. Equa bonis pabulis sensim roboranda. siquidem obesam corpore proderit esse.

Hierocles de perferendo ventre, & enecando partu.

NE QVID ex ijs ignorasse videar quæ ad gestationem vteri, & ad necandam pullationem attinent, paucis perstringam. A cōceptu igitur equæ decem mensibus & totidem diebus vētrem perferunt. Quòd si contingat eas maturius, hoc est mēsibus nouem & viginti diebus partum edere: pullus educari, & in iustā magnitudinē adolescere cōsueuit. is tamen ab armēto debet abigi, quòd ad obsequium præstandū inuenietur iners. Si vero partui vicina matrix dextra parte sumē laxet, & papillam aliquantū exerat: ijs signis se marem enixurā fatebitur. Sed si inertis equi superuentu, & ad ineundū certamen inhabilis, pullicie cōcepit: in equæ naturam manum imprimere licet: & si pullus vestiatur pilis, ore prehenso strangulabitur, caputq; cōfringetur. sed si mollis adhuc & glaber fuerit, eius medicamenti sublitu præcox partus eliditur, cuius parandi ratio hæc est. Teda quàm maxima pinguitudine scatens, in tenues assulas discinditur, cōfusumq; vinum odoratum octo heminarum instar coquitur, dum triens ex hoc modo supersit. hoc ius diuisim per triduum infunditur. Porro tritam bryoniæ radicem ex vino præcipiunt ingerendam. Quo minus tamen prægnantes abortu laborent, cauendum ne restinctarum tedarum nidor ab eis sentiatur. eo enim rapto naribus, abortu vitiantur.

Quis sexus concipiatur, Africani.

VBI admissarius equam superuenerit, certis signis comprehendere licet quem sexum generauerit: quoniam si parte dextra desiliuit, marem seminasse manifestum est. si læua, fœminam. Sunt qui præcipiant vt cum progenerari marem velimus, sinistrum testiculū admissarij funiculo lineo aliòve quolibet obligemus: cum fœminam, dextrum. sic nostri arbitrij fore tradunt, vter sexus concipiatur. Cæterum si quispiam marem nasci velit, cum Aquilonius inspirat vētus, insiliendam equam obijciet. si fœminam fingi sit in animo, cum Auster perflat. siquidem Aquilo mares, Auster fœminas figurabit.

Anatolius, Quæ cura prægnantibus adhibenda.

PRAEGNANTIBVS equis conuenientem curam adhibemus, vt eæ sarcinis vel ponderibus gerendis non incumbant, rerumq; vehendarum necessitate vacent, sed eo munere subleuẽtur, ne simul operis & vteri grauentur onere. Danda item opera, vt quiete pascantur. Leuiore pabulo tum firmandæ. Fœnum viride dissectum obijciẽdum. siquidem hoc suauissimum habetur. Maceratum hordeum, & cætera id genus pabula præbeantur. Bis in die potestas ad aquam adeundi faciunda. Curæq; fuerit vt hyeme stabulentur loco calido, nec perfrictionibus obnoxio: æstate, in quem aliquod frigus aspiret. Sint stabula rotundis assibus commode substrata, & paleæ superiectæ, quò mollius incubent fœtæ, & in pedibus vngulæ durescant, vrinaq; facilius effundatur. Præsepia altiora esse oportet, ad quę iumenta capistrentur, vt sursum versus spectãtes cibum capiant. Id maxime pullis obseruandum est. sic enim erecta ceruice niti cõsuescent. quæ res equino pecori maximam venustatem adfert. Cauendũ item ne pabuli mutatione tententur, neq; infestentur aquarum insuetarũ nouitate. siquidẽ huiuscemodi peregrinarũ rerũ obiectu facilè abortus cõtrahitur. Iis deinde quæ partum ediderũt, medicam obijciemus, & antea dictam impendemus diligentiã. Longe magis equa post alterum aut tertium mensem exercitationibus credi debet, quò lac ei præstantius suppeditetur. Sequens equuleus cursibus committatur. Si pulli molles gerant vngulas, asperis locis eos citatius agemus, calculos pedibus substernẽtes. sic enim vngulæ durantur. quæ si ijs parum adhuc solidatæ mollescant, hanc curationẽ oportet adhibere. Adeps suilla vetus, & hircina, sulphur ignem nõ expertum, & alliorum spicæ miscentur. ijs vngulæ & earum caua perunguntur.

Eumelus, vt facilè partus edatur.

Cum tardius grauida pullicium enititur, si comprehensas nareis leniter constrinxeris, continuo remorantem fœtum egeret.

Si secundæ genitalibus locis hærent, ita debent excuti.

Si secundæ non respondent, ita debent exigi. fœniculi quantum manu prehendi potest, in aqua decoquitur. iuris huius octo cyathi cum totidem veteris vini, & olei duobus cyathis igni tepescunt, & naribus ingeruntur.

Hippocrates, vt armentitiæ concipiant.

Si gregalem equã cõcipere velis, vrticã in os equi pellito. si vero quæ semel aut iterũ ventrẽ pertulit equa, partũ edere desierit, hoc auxilio restibilis fœcunditas adferetur. Anisi acetabulũ, myrrhæ sescuncia, croci semũcia, diligẽter & munde simul contrita digerũtur in adultarũ glandiũ formas, quæ sigillatim in equæ naturalia, dum vterũ subeant, impelluntur. genitales loci antea subluãtur, & feruefactæ marinę fotu madescãt, oleoq; instar vnius he-

minæ cum ſtrigmentis balnearum lumbi & genitales ſedes fœminu'm tenus,bis die defricentur,vſq; dum eam concepiſſe conſtiterit. Quinto ſeptimo've quoq; die ternæ lactis heminæ cum roſacei parte quarta & hipporrhizi drachma, adiectis quinq; piperum granis,& myrrhæ ſicilico, cum efferbu'erint, tepefactum ius fiſtula longa quæ ad vuluam perferat, infunditur. hordeaceam farinam in aqua coctam,dum partũ enitatur,dabis potandam.

Vt ſterilis equa concipiat.

Si præſtare velis vt ſterilis equa concipiendi fœcunditate donetur, faſcem porrorum in pila tuſum ex vini cyatho ſuffundes,& cantharidas verſicolores quæ duodenarium impleant numerum, ex aqua biduum oriculario clyſtere in vuluam ingeres, poſtero die equum ad ineundam fœminam emittes.poſtquam deſiliuit,bis genitales locos elues. Nitrum,paſſeris fimũ, reſina terebinthina ſimul deterũtur,& in vnũ coacta naturalibus inſerũtur.

De equarum rabie Theomneſtus.

RARIOR quidem,ſed hæc eſt equarum nota rabies, vt cum in aqua ſuã viderint imaginẽ,amore inani capiãtur,& per hunc oblitæ pabuli,tabe cupidinis intereant.Eius veſaniæ ſigna ſunt,cũ per paſcua velut extimulatæ concurſant, ſubinde circũſpicientes,vt aliquid deſiderare vel requirere videantur. Mẽtis error diſcutitur,ſi deducas ad aquã. tum demũ ſpeculatæ deformitatẽ ſuã,priſtinæ imaginis abolent memoriã.

Apſyrtus de parotidibus Cap. XVI.

APSYRTVS Degmio Plaſtico ſalutem. Te circa equos ſtudioſe verſantem id noſſe neceſſarium eſt, quo'd accidere ſolet equo,vt qua caput ceruici committitur, iuxta aurẽ tumor duritiem præferens enaſcatur.inde parotidis nomẽ traxit.Cui hæc curandi ratio adhibenda. Spongia calido aceto imbuta,bis die deliganda,donec in ſuppurationẽ conuertatur.tum ima parte lunata plaga,corniculis ſurſum ſpectãtibus reſcindi debet,quo velut emiſſario cõceptus humor profundatur.Loco ſal tenuis infrietur.Parotidis ventriculus poſtero die calida fouẽdus,& deterſo quod inibi coierat pure, erui farina melli commiſta reſpergenda. Sic ad ſanitatem perducetur.digitum autem imprimere nõ licet.nam ad talem tactum preſſa pars excandeſcit, & facile' dehiſcit in fiſtulam. Cum vero iugulũ aut fauces,aut ijs intercidẽtes anguſtias, quæ iſthmi græce dicuntur,tumor obſidet:equus tam cibum qua'm potum aſpernatur, lingua tumet,& in exteriorem partem procidit,ac liuido ſugillatur colore, fluidũ ſaliuis os madet, tonſillæ vocantur.quibus eadem ratione ſuccurrẽdum. Quod ſi ad interio-

rem partem decumbat eruptio, pusq́ per os deferatur, auriculario clystere posca in aurem aut nares instilletur. Indere autem oportet forcipem, quo nares diducantur, specilloq́ melle largius oblito tumorem defricare.

Hierocles ad parotidas.

Parotidas his signis deprehẽdes. Cum durus tumor in ceruicis & capitis compage nascitur magnitudine iuglandem æquãs, spongiam calido aceto maceratam bis die superligabis, dum ad suppurationem spectet. Tũ ima parte qua subesse pus senseris, tãtũ rescindes, quãtũ, vt ei pateat exitus, satis esse videbitur: & expresso liquore, sale tenui suffricabis: postero die vbi locũ calida foueris, sordiũ coitu deterso, farinã erui melle conspersam illines. Digitũ inserere non oportet. nãq́ locus fistulis patet, nec ægre fatiscit in hiatũ.

Eumelus parotidibus & strumis.

Si parotidas animal aut tumorem concepit, in quo subter cõcreta quędam ex pure & sanguine continentur, (strumas vocant, nonnulli vernaculo nomine glandulas malunt appellare) purulentam saniem per os remittit. Hoc igitur curationis genus requirũt. Hordeacea farina cum aceto admouenda. Si non profecerit, cutis rescindi debet, & ferramento glãdulæ omnes extrahi. sed manu cutis non contingatur. Quod si huiusmodi medicamentis non finiuntur, locũ inurere cõueniet, quousq́ concreta sanies excutiatur. Tum vlcera igne facta, quo supra dictũ est modo curantur. Præsentius inter initia morbi remedium, cum pecus inflammationem sentit, pilam pensilem plumbo cõflatam sub maxilla capistro gestare, ita vt prorsus cum gutturis pars motibus exerceatur, hac plũbea glande feriatur. Eandem vim curandi præstat cucumeris syluestris radix, si cum farina hordei & acerrimo aceto mista sublinatur. Strumosis sub lingua sanguis mittendus est: qui cũ profluxerit, sale trito cũ farina hordeacea triticeáve confricari totũ os cõueniet. Quidam præsentius putant remedium, cum per cornu singulis ternos cyathos gari demittunt, deinde fissas taleas ferularum lineo funiculo religant, & ita collo suspendunt, vt strumæ ferulis cõtingantur. Si quẽ nodosa collectio aut parotis male habet, medicamenta quæ puri mouendo sunt, imponi debẽt, vt maturescant & aperiantur: cumq́ earum ventriculi patent, linamenta ex oleo & aceto immittenda, dũ quæ coacta sordes adhæsit, expurgetur: tum quæ cicatricẽ inducũt, inspergẽda: & frequenti resiccantiũ conspersu sanescẽt. Parotides & strumas discutit medicamẽtum quod habet ceræ drachmas duodetriginta, resinæ terebinthinę drachmas sex & viginti, mellis põdo denarij, galbani semunciã, ammoniaci põdo denariorũ quatuordeĩ, olei per æstatẽ cyathos sex, sub hyemẽ cyathos octo: quæ miscẽtur dũ in vnũ corpus coalescãt. Parotides frumẽtaceo polline, resina, aceto, axungia cõmistis illinũtur, vt pus citent: & cũ ad maturitatẽ ventũ erit, ferro rescindũtur.

Apsyrtus de vlceribus auricularum. Cap. XVII.

CVM in auricula vlcus aut abscessus innascitur, purulentum humorem tunica duplex includit, aut subest humor glutinosus fauorum mellis similitudinem referens. Recta plaga, vt loci natura fert, incidi debent: postea melle & alumine curari: sed flaccam aurem relinqui necesse est.

Hierocles auricularijs vlceribus.

Si abscessus in auricula protuberet: cum in iustam maturitatem peruenerit, per foramina fertur humor purulentus aut glutinosus in quandam faui speciem cõcretus. In rectum, vt moris est, rescinditur: melle & alumine persanatur. Si tandem in vlcus degeneret, oleo & mero eluitur. deinde tusi porri succus adiecto oleo rigatus instillatur auriculæ. deinde tepida proluitur aqua. centaurium indito vino similiter in aurem profunditur.

Ad aurium dolores finiendos.

Aurium doloribus protinus succurrẽdum est, ne ad demẽtiam animal pręcipitent. In primis autem aures expurgãdę sunt, ne quid interius insidẽs noxam aut dolorẽ pariat. Vbi molli spongia detersæ fuerunt, mel, nitrum & aqua percolata demittũtur in aurem: & vt reliquias humoris sorbeat, penicillus noctem vnam insinuatus anfractui maneat: postera vero aqua calida & nitro perfunditur auris, dum pristinam recuperet sanitatem.

Ad aquam, & alia quæ in aurem inciderunt, extrahenda.

Si aqua in auriculas incidit, sic elicitur. oleũ vetus nitrumq; paribus modis in aurẽ instillantur, & aliquid lanæ eò cõpellitur. Si animal intus est, specillum lana inuolutum in resinam q̃ glutinosissimam demittẽdũ, idq; in aurem conijciendum, inibiq; vertendum, vt cõprehendat quod illapsum est, & eximat. Si aliquid exanime est, auriculario specillo protrahendum, aut hamulo retuso parum recuruato. Si nihil ista proficiunt, id confestim elidit aqua oriculario clystere vehementer intus compulsa. Eisdem modis si vulnus aures acceperunt, medicamina in aurem dari debent.

Hierocles de tonsillis. Cap. XVIII.

TONSILLAE sunt quoties iuxta iugulũ & fauces tumor emersit, ob quẽ tota ligua exterius prolabitur, liuẽs, ac saliuis manans, ita vt transitu præcluso nec cibũ capere nec deuorare possit. His eadẽ quæ parotidibus adhibẽda curatio. si tamẽ ad interiora descẽdat excretio, & ore pus profluat, oriculario clystere posca naribus infundatur, specillumq; melle oblitũ demittatur, quo tumor intestinus defricetur. Si tõ-

fillæ concitentur, aut ad auriũ radices inflammatio decũbat, aquæ feruentis imbre cõsperso, & hordeacæ farinæ sublitu curabũtur. Sed cũ inibi substãte puris coitu glandia cõcreuerũt, scalpello circũcidũtur. reliqua repręsentẽtur auxilia. Si medicamẽtis non cedunt, adurentibus pugnãdũ est, vt sanescãt.

Eumelus ad maxillarum dolorem & tumorem.

Si equo maxillæ dolent, calido aceto fouendæ, & axungia vetere confricandæ sunt: & si ijs non finiatur dolor, adurẽdæ. Eademq́ medicina tumentibus adhibenda est.

Apsyrtus de lapidibus in maxilla concretis.

Apsyrtus Damnato Tomeo salutem. Te equos alentem scire volo, quod concrescentes in maxillis calculi, manum confestim postulant. Nãq́ si diu permaneant, suo maiore tuberculo nocẽt. quare prehenso equo pars ferro resecãda cui calculus subest, deinde vulsella deprehensus eximi debet. Sed diligẽter attendendum ne quæ restent lapidis reliquiæ. siquidẽ eæ rursum in tantam molem excrescerent, vt iterum veterinariam manum desiderarẽt.

Apsyrtus de angina. Cap. XIX.

APSYRTVS Historico equorum medico salutem. Angina cum equis innascitur, facile perniciem adfert. cuius signa sunt hæc. Tempora cõmittuntur. Lingua tumet, exteriusq́ procidit. Caput & itidẽ oculi tumore laborãt. Faucium & gutturis transitus præcludũtur. Non cibum deuorare, non potionẽ potest. Remedium est, caput, tempora, linguamq́ felle taurino perungere, & aqua respergere calida, vinum & oleũ per nares infundere. Sit oleum vetus. si id non adest, alio quolibet vtẽdum. Tradunt ficus decoquendas, & cum nitro & iure decocti in eũdem modum infundendas. Medicamẽtum etiam quod ex bdellio constat, illitu prodest. Si ijs morbus leuatus est, & equus cibũ requirit, dandum viride fœnũ. Melius respondebit, si hærbaceum depasci eum siueris. Sin hoc deficit, siccũ nitro respergendum. Hordeum similiter obijciendũ. Sanguinis missioni ex partibus alijs nõ est locus, quod nihil adferat commodi. ex palato facta dũtaxat anginis auxiliatur. Cum recte valuerit, cucumere nitroq́ deiectionem opus est moliri, quę noxium humorem ad inferiora depellat.

HIEROCLES.

ANGINA fallacibus & periculosissimis morbis annumeratur. Cuius hæc sunt indicia. Caput, oculi, labraq́ tumescunt. Lingua turgens exeritur. Guttur & fauces occluso meatu cibos & potus respuunt. Huic ita succurrendum est. Caput, tẽpora, linguaq́, taurino felle

collinantur,& calida foueantur aqua. Vinum cum oleo vetere naribus ingerendum. Medicamentum quod ex bdellio componitur, illinere proderit. Cum morbus remissior factus est, & iam appetentia ciborum inuitatur, equus dissecto viridi fœno oblectandus. Melius proficiet, si id depastus fuerit. Si viride tēpus neget, aridum nitro perfundendum est. Nec secus hordeum triticeo farre conspergēdum, ac potioni similiter indendum. Sanguis à solo palato mittendus, vt id quod strangulat, euocetur. Cum ad habitum meliorem ventum erit, erratico cucumere nitroq́ venter deijciatur. Nonnulli, quibus Stratonicus adstipulatur, post fomenta præcipiunt farinam in vino diluto decoctam esse delinendam. Alij nitro, oleo, & melle linguam suffricant, deinde farina vino subacta perlinunt. Non desunt qui suillum stercus addito melle circunlināt. sed tantum mellis inesse debet, quātum ad diluendum stercus erit satis. Alij fotibus solum humidis vtendum iubent, quoniam sicca spiritum elidunt.

Apsyrti de rumpendis strumis, Cap. XX.

Struma galice dicitur Gourme: ou estranguillons./

APSYRTVS Damæ Laodicensi veterinario medico salutem. Multa strumosis equis remedia cōplures literarū monumentis prodiderunt, sed aut inutilia, aut quæ repræsentari nō possunt. Tradunt enim aliqui strumas hordeacea farina resinaq́ perlinendas. Quidam hæc in aceto concoqui malunt, sic vt lentorem cataplasmatis referant. Alij vbi triticeo farre cum vino eundem illitum tentarunt, spongiā calido aceto intinctam superligant. Alij ferro dissecant, & hianti plagæ grossum tunsam aut lactucā marinam, quam tithymalon nomināt, aut cucumis syluestris radicem inserūt. Pessime vero mihi facere videntur qui adurēte medicamēto strumas illinunt. Nanq; fieri non potest vt in suppurationē conuertātur, & vt hac emanet quicquid intus humoris concreuerit, sed multo magis obstricta cute tumor occallescit. Equus vitiatam partem manu contingi non patitur. ingrauescit caput totum. tumor oculos obsidet: puluiniq́ venarū eminent. eadem ratione rictus oris intumescit. Sectio quæ apud Alexādrinos fieri solet, præsentissimo est remedio. Dissecandi ea est ratio. prehensis pedibus equus prosternitur, & detento valenter capite, postquā struma forcipibus apprehensa fuerit, cutis scalpello rescinditur, in orbem ducto vulnere, quod tantum pateat, vt hinc erui struma possit. Simili modo forcipe tunicas protrahere oportet, & ferro circunscindere. vbi nudata & explicita membranis apparebit, cultelli mucronem tunicis subijcere, adhęrentem diducere cutem, immissoq́ constāter digito, à superiori maxillarum parte diuellere, eamq́ vtrinq; faucium tenus eximere. Sic autē melius quis incolumitati cōsulet. Sin minus, struma particulatim elidatur, sic vt nullæ prorsus

superſint reliquiæ. Nanq; ſi quod momentum reſtiterit, ijs veluti radicibus reſurgens ſubcreſcet, & rurſus ſcalpellũ poſtulabit. Venæ tamen obſeruari debẽt adhibita diligẽtia, ne lædãtur. Si vero ſanguinis profuſio ſuperueniat equo qui manum experitur, nullus ſubeſt metus, nec aliquid ea periculi minabitur. Sed cũ erectus fuerit equus, hac ratione curari debet. flocci è laneo panno concerpti, q̃ acerrimo aceto & ſale madentes vulneri inculcantur. ſic impetus ruẽtis ſanguinis ſupprimitur. Si vero non abũde profluxerit, oleũ ex aceto citra ſalem indidiſſe ſatis eſt. Hoc medicamentum tertio die ſoluitur: deinde calida aqua proluitur vulnus, linamentiſq; vino & oleo prius imbutis, vſque ad quatriduum impletur. Enati tumores, vnà cum hiante plaga, aquæ calentis imbre perfunduntur. qui cum ſubſiderunt, linamentis ex melle vtẽdum. Cumq; vulnus purgatum, impletumq́; carne fuerit, relinquitur ſolutum, & medicamento quod liparam vocãt, alitur. Ita ad bonam valetudinem recurſus fiet. Potione tamen prohibendus eſt ante quàm ſcalpellum experiatur. ita non accidit equum ſanguinis eruptione periclitari. Hordeum prima die dandum non eſt, ſed ſolo ſit fœno contentus: quippe cum inter mandendum verſentur labra: quo motu longe magis incandeſcit inflammatio. Quinetiam ſtrumás eximi neceſſarium eſt, cum ineunte puerili ætate equulei primos dẽtes emittunt, aut cum protinus adultiores paulo ſecundos edent. tum enim ſtrumoſis collectionibus opportuniores viſuntur. Accidit autem eis quos malis articularia vexat, vt morbi vis ad caput decumbat. hinc vero ſanioſa colluuies ad capaces venas auribus ſubditas ſe conferẽs, tumorem creat. inde nares opplentur, & inferctis meatibus per anguſtias euadens ſpiritus ſibilum elidit: lingua præpeditur: taléſque deſpõdere animũ ſolent, inediaq́; vitã finire. At vero canterios raro ſtrumæ tentant: neq; venit vſu vt concreta ſanies ſic ſubter irrepat: imò quæ primis vitæ rudimentis prodierunt, reſiccatæ protinus abolentur. Apud Sarmatas dum teneri ſunt adhuc pulli, vel nuper in lucem editi, ne ſtrumoſam labem ſentiant, teſticulos comprimere, & paulatim confringere excogitatum eſt: idq; optimum genus caſtrationũ putant: quos natiuos dentes retinere, nouos non emittere contendunt. Armentarijs pullis qui non quintũ vel ſextum mẽſem exceſſerunt, ſtrumæ plerunq; ſic extuberant, & per inflammationem tumeſcunt, vt nec vllam hærbam paſcere, nec matribus ſubrumari poſſint. quibus, vti paulo antè propoſuimus, facto vulnere, ſtrumas euocare conueniet, & tritum ſalem infricare, poſtmodum in armentitium gregem relegare: ſed eius qui pus citauerit, prius curare ſinum, & eluere, tertio die cocta amurca aut pice & oleo munire, ne neglectum vlcus vermibus ſcateat.

Hierocles ſtrumoſis.

STRVMAS hac ratione curari Hieronymus author est. Calida perfunduntur aqua, dein hordeacea farina in aqua cocta cum nitro, ita vt cataplasmatis lentorem contrahat, die bis agglutinatur. Sed si iam intentæ rigent, & præduræ renituntur, cultro rescindendæ. Item tunicæ quibus inuoluuntur, secandæ, vt extra labatur quicquid intus coijt. Post hæc ficulnæ frondes contusæ, vel marina lactuca, quam tithymalon vocant, aut marrubium sale conspersum vtiliter inferũtur donec vlcus purum appareat. Agrestẽ quoq; cucumim immitti placet, vsq; dum carne compleatur. Postremo tenuibus eruilijs aut irino cum melle vtendum, donec ad sanitatem perducatur. Alij strumas scalpello discindi præcipiunt, foliaq; caprifici tunsa, aut cucumeris radicẽ imponi iubẽt. Apsyrtus tamen hanc medendi rationem ac viam refellit. Nam inde duritiem concipi, & obstructo tergore doloribus excruciari pecus asseuerat. Nec vitiatæ, vt ait, parti manũ admoueri patitur. Totum caput grauatur. Facies & nares intumescunt. in eisdem venæ turgent. Hoc optimum curandi genus esse defendit. Pedibus comprehensis equus deturbatur, & detento viriliter capite, struma forcipe deprehenditur, scalpelloq; pellis circulato vulnere discinditur, quod tantum dehiscat, vt per patens foramen struma libere possit elici. Nec secus auulsæ forcipibus tunicæ circũcidi debent. Vbi struma videbitur aperta, spatula tergori subiecta dilaceratur, & immisso audacter digito, primum à superiore parte diuellitur, & excipitur vndiq; digito. qui si vsq; ad fauces vtrinque pertĩgat, rectius sanitati prospicietur. sin minus, particulatim erit extrahẽda, dum tamen reliqui nihil immanserit: quandoquidem si paulũ quid insidere dimittatur, sic in molem coalescet, eritq; necessarium rursus animal curantem manum experiri. Si copiosa sanguinis profusio sequatur, laneum vellus, aut euulsæ pannis fimbriæ quæ quàm acerrimo aceto maduerint, in vulnus immitti debent. ita sanguinis profluuium cohibebitur. Sin magna vis sanguinis non prorumpat, oleum aceto mistum & sal duntaxat imponitur: & tertio die medicamentum resoluitur: mox vbi calida vulnus perlutum fuerit, pannorũ laciniæ in linamenta formatæ, cum tepido vino quotidie vsq; ad quatriduum inseruntur. Sed hians antea vulnus calida fouendum: qua tumentes etiam oræ perfundãtur: & postquam consederunt, flocci pannis euulsi melle conspersi in sinum demittuntur. Si iam purum est, & carne repletum vlcus, lipara nutritur. Sed quo die curationem hanc auspiceris, equus hordeo abstinendus. Castratis tamen strumæ non emergunt: sed si quæ prius equos implicuissent, exarescentes confestim euanescunt. Si pullo qui mensem quintum attigit, strumæ prorumpentes inflammationem mouerint, sic vt viridem herbam depasci nequeat, antè dictam curationem tentare, & scalpellum experiri conueniet. mox vbi quæ subtus concreuerant strumæ, sedibus euulsæ fuerint, vulnus tenui sale fricãdum, equuleus

in armentum remittendus. tertio die amurca decocta, vel oleo & pice circũlinendum, ne quid vlceribus insederit quod vermes creet.

Theomnestus de strumis & tonsillis.

SI SVB faucibus inter angustias iuguli se struma demersit, ea prorsus curantem manum respuit. Quare cataplasmatis pugnandum erit. Primùm medicamentis quæ puri mouẽdo sunt, vitiosa pars inferuescat: ac farina hordeacea, axungia vetere suilla, althea decocta, & contritis alliorum spicis muniatur. Quòd si ijs admotis ruptus locus non fatiscat in foramen, adurens medicamen adhibẽdum, quod solam cutem exest, vt effluentes strumæ excidant: extrahenteq; medicamẽto quod noxium euocet, vtendum. Id habet saponis gallici pondo, axungiæ veteris dupondium, pinguium ficorum, & visci quærni, singulorũ sextantem, ceræ & picis quod ad ea capiunda satis esse videbitur.

Hippocrates strumosis.

STRVMAS maxima ex parte parit aquarum mutatio: exitq; tuberculum iuglandis magnitudine: cui candens medicamẽtum duritia præditum admoueatur. Si tamen tussis premit, & contentius infestante vitio, graue olens spiritus redditur: ea quæ leniunt, infundenda, ne lacessita tussis acerbius infestet. proritata siquidem arteria noxam trahere consueuit. Ergo cedrinus liquor decoctus, & linteolo colatus, tam illitu quàm infusione prodest. Postremo odorata potio quam aromaticam vocãt, ex vino, oleo, melle, ouorumq; liquoribus, instilletur. Sed inter initia sanguis à ceruice demittatur. Strumas discutit cõpositio quæ recipit ficuum libram, nitri, galbani, propolis, singulorum selibrã, picis sextantem. Si sub maxillis strumæ vel tubercula prodierunt, ea primùm fomenta non aspernantur, quibus tentatis, fici & tunsum nitrum miscentur cum axungia vel hordeaceo farre, & decoquuntur in hydromelite & oleo, dum cataplasmatis lentorem referant: & illinuntur. Quòd si iam vetus struma vel tuberculum induruit, neq; sub ijs curationibus desidit, excindi debet, & vulnus aduri medicamẽto. Strumas, furunculos, & articulorũ nodos medicamentum emollit quod habet iris illyricę, irini, singulorum selibram, ceræ vnciam, ammoniaci quadrantem: quæ cum cera in irino oleo liquefacta miscentur, & cum vsus requirit admouentur. Si fuerit in animo malagma componere quod lassitudinem reficiat, acopum vocant: galbani, opopanacis, ceræ, laseris, ammoniaci, singulorum dextantem, aridæ resinæ pinus, singulorum vnciam, resinę colophoniæ dextantem, commiscebis. eo lassitudines discutiuntur. Sequens medicamentum dissipãdi naturam habet. buccina marina ignibus adolẽtur. eorũ cinis cum melle coctus illinitur.

Apsyrti de polypo narium, Cap. XXI.

APSYRTVS Arcadiitæ salutē. Polypus in naribus equi nascitur, qui pecus infestare solet, quòd eius narē impleat, ex qua pus odore putri destillat. hinc anima fœtet, & grauis spiritus inde prorumpit. Totū corpus cibū non sentiens perducitur ad maciem. Tristem vultum vniuerso gestu fatetur. Hinnitū edere non valet. Polypus autē est caruncula acinoso mori ambitu, sed aliquanto minore, conglomerata.

Huic malo sic succurrendū. Cum totus extrà polypus, aut eius pars emerserit, exscinditur, & cruda chalcitide respergitur. Eandem quoq;, si in crassamentum coëat, ex aceto frequentius illini prodest. Amurca item decocta adiecta aristolochia subuenit. Dum intimis partibus hæsit, aut altius pendet quàm vt attingi possit, nullus medicinæ locus. Aliqui plumbo deterendum præcipiunt. Hoc malum plerisq; Sarmatarum tractibus familiare.

Hierocles polypis.

POLYPVS in naribus oritur mori tuberculum orbe suo æquās: qui supra modum animal fatigat. siquidem nares obturans infercit, ex quibus pus odore tetro profluit. grauem halitum expirat. macie cōficitur. cōtinuo mœstitiā præ se fert: neq; potest hinnire. Cum ergo totus polypus aut pars eius tantū descendit, vt oculis pateat, ferro rescindi debet, cruda chalcitide vulnus respergi. Eadem si cum aceto crassescat, illitu frequētiore subuenit. Nec secus amurca cum aristolochia mista prodest. Cū tamen penitior insederit, aut pensilis sursum adhæret, vix medicamētis eliditur. Tradunt etiā nonnulli plūbo perfricandū esse. Id morbi genus maxime locis quibusdā Sarmatarū emergere solet. Sunt qui, vt fama est, treis prælongas acus simul deligēt, & inuerso capite tantisper aculeorū mucronibus lancinēt, dū omne vitiū punctim exemptū, intabescat: deinde oleo protinus eluūt. Hoc idē sequutis diebus tentant, donec pristinæ valetudini restituerint. Item thuris selibra, nitri, lachrymæ papaueris, rutæ, singulorum tantundem, miscentur, & in vini sextario excepta suffunduntur.

Apsyrti de tussi, Cap. XXII.

APSYRTVS Secundo equorum medico salutem. Te latere nolim quòd cum caput equus inclinat, raraq; tussis vrget, hæc ab intestinis partibus excitatur. Cum vero sine vlla temporis intercapedine vexat, ceruicemq; pecus intēdit, & tam cibo quàm potui deditus emacrescit, ea tussis perfrictione contrahitur. Præter hæc non ignorandum, quòd ijs vtiq; quos tussis male habet, primū totius corporis deiectionem sylue-

stri cucumere nitroq; moliri conuenit: deinde quatuor crassiores scyllę cortices intritos, & cyrenaici succi quod fabę tuberculum impleat, in vinum album & oleum vetus cõiecta, comprehensa lingua per os infundere. Ipsum etiam equum subiectis carbonibus oportet tali medicamento suffire, quod recipit alliorum cypriorum & ceparum modos pares, sandarachæ pondo denarij, bituminis tantũdem. hæc omnia simul operose detrita, in treis portiones digerũtur: quarum vna quotidianæ suffitioni destinatur: (sed caput velandum est, & oculi fascijs circunligandi, ne nidore lædantur) post quam adeps ceruinus, & ouillus, ceraq; in vino dulci liquefacta, extracta lingua ingeruntur: vel marrubium ex oleo & sale tritum, cui vinum sit adiectum, similiter infunditur. Sũt & alia pleraq;: sed hæc lõge omniũ optima vidẽtur.

Hierocles aduersus tussim.

SI MOLESTA tussis est, ea sic eliditur. Primũ oportet corpus totum erratico cucumere & nitro vacuare: postea crassiores scyllæ cortices tritos, & cyrenaici succi quod fabæ magnitudinem impleat, in vinum candidum & oleum vetus coniectos, exerta lingua per os infundere: ipsumq; subditis carbonibus huiuscemodi medicamento suffire, quod habet cypriorum alliorum ceparumq; portiones æquas, sandarachæ drachmam. hæc omnia simul minutissime trita diducuntur in treis parteis: quarum vna quotidie equus capite cõtecto & obstrictis oculis suffitur. Postea quàm id suffimenti genus fuit tentatum, ouillus aut ceruinus adeps in vino dulci cum ceræ liquamine educta lingua demittitur, aut marrubium ex oleo & sale tritum addito vino itidem infunditur. Nec secus tragacantha quæ in aqua tepente maduerit, cum sapa & oleo inseritur, aut fresæ fabæ decoctum ius colatur, & cum suillo adipe tritum datur potandum. Itidem stillatitium lixiuiũ, nitrum, oleum, ouũ & mel mista simul ingeruntur. Teneri quoq; brassicę coliculi, allij spicæ, adeps suilla, partibus æquis vbi cedrino liquore fuerint macerata, in offulas quinq; coguntur, & corniculo suffunduntur. Myrrhæ vncia eosdem effectus præbet. Sed equus postea non ante treis horas appellatur ad bibendum.

Tiberius contra tussim.

AXVNGIA cum liquida pice per triduum in equili tertio die, quinto, & septimo pota, tussim finit. sequẽs quoq; medicamentum conuenit delingere, quod habet piperis, gentianæ, aristolochiæ, myrrhæ, singulorum pondo vnciam, baccarum lauri pondo sextantem, resinæ pondo vnciam, lachrymæ papaueris pondo semunciam, opopanacis pondo selibram. ea coguntur in linctum. Aliqui in vacuum oui putamen, cedreum liquorem, & scissile auripigmentum immittunt:

cúmque contusas allij spicas & suillam axungiam ouum incluserit, ter exhibent. Paliuri semen tritum vtiliter ebibitur.

Eumelus ad recentem tussim.

RECENS tussis celeriter sanatur pinsita lente, & à valuulis separata, minutéq; molita: aut piso valuulis exempto, & pinsito. Quæ cum ita facta sunt, sextarius aquæ calidæ in eãdem mensurã lentis miscetur, factáq; sorbitio per cornu infunditur. Viridibus herbis, tenerisq; arborum cacuminibus recreatur ægrotum pecus. Verum recẽs tussis quam arteriarum exulceratio aut gutturis asperitas mouit, trito nitro, & cum vini sextario faucibus indito finitur. Sed corpus totũ oleoso liquore quem expressum lini semen reddidit, imbuendum: aut thuris triens, & myrrhæ ac croci singulorum vncia tunduntur, eáq; incerniculo creta, in tribus heminis vini, & totidem cyathis olei, multos dies instar duûm acetabulorũ in nares dentur. Aut anethi, aut iridis tunsæ paria pondera, aut rutæ tritæ drachmæ quatuor in tribus heminis vini mistæ funduntur.

Theomnestus tussi.

TVSSES pullis maxime concitantur quando frena gestare cœperint. Nam cum præter solitũ necessitate quadam hiant, eorum pectora refrigerantur. Aestate puluerem dehiscente rictu oris rapiunt, quo pulmonum arteriæ referciuntur. inde tusses obortæ fatigant. Adultis autem rarius id accidit vt vel perfrictione vel obstructionibus cõtrahantur, sed multo magis cum lutosam aquam ebiberint, aut si hordeum puluere obsitum offeratur, aut quoties facto per æstum itinere multũ puluerem hauserint. Quæ vero fera tussis dicitur, cõcussu subinde palatũ rumpit, & hinc sanguinẽ extundit. Feram tussim experitur equus, cum ob eius vehementiam & pedit, & simul vrinam emolitur. ea res maxime certatores equos tentare solet. Cum igitur frigore pecus laborauit, laxantibus medicamentis & excalfacientibus vtendum. Cum vero tussis puluere cõcepta persuasit, remedia sunt tentãda quæ meatus infarctos expediunt, & eorum scabritiam leuigãt. Cum fera tussis equum male haberet, vtrisq; medicamẽtis vsus quosdam curaui, alios iam malo victos seruare nõ potui. Cum vero in equo ad cursum instituto, summa cura adeo incubuissem, vt penè rumperer præ solicitudine, & pariter cum equo afficerer, medicamentum excogitaui quo equos à tussi fractos persanaui: id quod etiam omni tussi datum opitulatur: cuius cõpositio recipit vuarum passarum albarum, mellis electi, singulorum heminam, sampsuci põdo dextãtem, cunilæ, quam origanum vocant, pondo vnciam, axungiæ suillæ veteris & insulsæ libras quinq;, vlpicorũ alliorum capita nouem. vt arida tunduntur, ita quę concreuerant, eliquãtur:

mixtaq́ꝫ simul omnia in collyria digeruntur, quæ treis in parteis distributa per triduum animali præbētur. Cum tamen dabuntur, alio melle madescāt, & quoties vsus requiret. Tussis quam æstus aut puluis excitauit, ijs remedijs abigitur. Oua quinque cum suis putaminibus in aceto acri cum aduesperascere cœperit macerabis. diluculo deprehendes exteriorem callum intabuisse, sic vt ea prorsus emollescant: qualia videri solent quę intēpestiue ponuntur, & præcoci partu gallinarum eduntur: quorum folliculus tactui non renitens, in vesicæ modum liquoris capax remanet. Vbi os diduxeris: linguam educēs, integra singillatim faucibus impelles: singula auripigmēto conuolues. sed caput sublime teneatur, dum singula deuorarit. sub hæc autem fœnigræci aut ptisanæ cremor melle dilutus infunditur. ea triduo data vitium extenuabunt.

Hippocrates tussi.

TRAGACHANTAM quàm minutissime dissectam, hordeo eruoq́ꝫ quod edendum obieceris, permisceto. Aut per triduū eandem tragachantam in vna vini hemina maceratam, cui oleum sit adiectum, infundito. Aut radicem rutæ in aquæ hemina decoctā, clystere subdito, & parē modum in fauces dato. Hordeum quoq́ꝫ succo myricę tūsæ conspergatur. *Sed si* purulentum quid ore vel naribus reijciat, adeps suilla quę puerili vrina triduo maduerit, & in singulis vini & olei heminis incocta sit, infunditur. Aut lauri baccę decoctę tunduntur, polentaq́ꝫ & vetus axungia vino dulci respergūtur: quæ coacta in offas, quotidie inferūtur faucibus. Vel artemisia hęrba, quæ in aqua & olei hemina decocta sit, inditur. Malua in vino dulci & oleo cocta idem præstat. Marrubij manualem fasciculum addito vini cādidi sextario, item fœnumgræcum maceratum, ficorum pinguium sextariū, aut palmulas eadem proportione vbi decoxeris ad tertias, per triduum propinabis. Quinetiam ad vngulas vsq́ꝫ delibuto tergore corpus imbues. Item furfuris decocti & quàm optime pressi tortiuus cremor linteo percolatus, addito oleo quod acerbę oliuæ remiserunt, exhibēdus est. sed hanc animaduersionē desiderat, ne euolutus furfure cortex huic immāserit. suillæ adipis coactas offas, butyro & melle exterius oblitas, per os inferes. brassicæ succus cui satis aminei vini sit adiectum, infunditur.

GREGORIVS.

TVSSIM lenit medicamentum in quo continentur hordei sextarij duo, porri cum suis fibris septem, quinque brassicæ coliculi, mellis tres cyathi, ouilli adipis, olei meri, apij, singulorum triens. ea contusa saliuati more faucibus ingeruntur.

PELAGONIVS.

PORROS coctos cum herba quæ sideritis appellatur, tundito, & in pastillos digerito, qui ouorum magnitudinem impleant. hos rosaceo, sapa & melle mistis intinctos, per triduum dato. Nihil quoq; prohibet illis tribus diebus succũ huius herbæ cum decocto reliquarũ medicinarum infundere. Tussim itineribus peragẽdis contractã, ex squalore scilicet, discutiunt laseris baccæ quæ in vinum congestæ, nucis auellanæ magnitudinẽ referant, si vino resolutæ, vnico die per corniculũ infundantur.

Si tussis afficit quę pulmonibus aliquid emolitur, aut pituitam ciet, (talis enim copioso sudore solet contrahi) hanc ijs medicamentis finire conuenit. costi triẽtem, hyssopi fasciculum qui manu capi possit, radicis panacis quadrantem, myrrhæ troglodytidis triẽtem, marrubij, auripigmenti, singulorũ vnciã, cẽtaurij quadrantẽ, simul tũdito, cretaq;, in mellis hemina coquito, & in pastillos cogito, animaliq; quod tussi lacessitur, præbeto. Tussi & vulsis hac ratione succurrendum. spicæ gallici allij pinsitæ, sideritis, & herba quam Romani perdicium nominant, cum axungia vetere cõmiscentur, & in pastillos coguntur, qui melli & butyro immersi, veterino per triduum dantur.

Tussis quã pulmo creauit, eliditur, si veterino præbueris hyssopi fasciculũ vnum, laseris pondo quincuncem, dauci cretensis pondo sextantem, herbæ brathyos, quam Romani vocant sabinam, tantundem, dictãni pondo quadrantem, castorij pondo semunciam, lachrymæ papaueris, nasturtij, mãnæ, thuris, myrrhæ troglodytidis, singulorum põdo vnciam: quæ simul misceri debent, & aceto mulso excipi. Tussis quam fauciũ exasperatio mouit, sic leuabitur. myrrhę sextãs, seminis lini torrefacti sextarius vnus, nasturtij semuncia, vuarum passarũ, nucis pineæ, singulorũ sextarius, mellis duapõdo, hęc omnia diligenter trita in pastillos rediguntur, qui nucis magnitudinem exhibeãt. tres quotidie pecori, quinq; vel septem dierũ curriculo præstantur deuorãdi. Similiter gallina necatur, & dissecto cõfestim dorso, vẽter cui stercus adhuc insidet, eximitur, & inuolutus melle feruens, prius quàm calorem exuat, faucibus immittitur. Si molesta tussis afficit, pilulas cupressi bene decoctas pila tundito, cui adijciãtur folia sideritidis herbæ, & vrceolaris, quã Romanũ vulgus parietariam appellãt, & allia gallica: & cũ axungia in offas cõglomerato: quas aliquot diebus in oleum vinumq; coniectas addita sapa cum ouis præbeto. Quòd si pilulas coxisse non placet, folia cupressi tunsa in farinam redigito, & cum suprascriptis dato cum vsus requiret. Sed in primis opus est totius corporis deiectionẽ tẽtare, inspirato per cornu syluestri cucumere, & alexandrino nitro, quibus vinũ sit permistum: & post triduum hoc auxilium adhibere. Scyllæ quatuor crassiores tunicę, adiecto lasere quod fabæ magnitudinem impleat, & vini veteris sextario, cum olei vetusti libra per corniculum infunduntur. Alij suffitus harum rerum nidore moliuntur.

ſandaracæ,bituminis,ſingulorum vnciam,allia & cepe pari pondere trita in treis partes diſtribuunt:quarũ vna quotidie pecus intecto capite & vinctis oculis ſuffumigant.poſt ſuffitionem adipem ceruinam vel ouillam in vino dulci quod ſatis eſſe videatur,addito faui cõtriti exiguo reſoluũt,calidamq́ ſorbitionem per cornu demittunt. Tuſſim mulcet compoſitio quæ recipit petroſelini macedonici ſeſcunciã,dauci ſemunciã,myrrhę,nardi ſpicæ,croci, piperis,acori,guttę ammoniacæ,caſię,ſingulorum vnciam.hęc tunſa cretaq́ melle & aqua excipiuntur,& in paſtillos coguntur,qui ſapa rigati dantur. Tragachanta vero pridie quàm obijciatur,in hydromelite macerari debet.

Item hęc potio tuſſi medetur. tragachãtæ,cumini,ſpicæ nardi,myrrhæ,piperis,ſingulorũ pondo vncia,ſeminis hormini põdo libra,defruti duo ſextarij,ſimul hęc per corniculum demittũtur.Quin & fuligo quæ ligulã expleat, infriatur,& in cornu coniecta adiecto vino vetere per triduum infunditur.

Veterem tuſſim ſimul & anginã diſcutiunt,ſtyracis fului quadrãs,myrrhæ troglodytidis,opopanacis,iris illyricæ,galbani,ſingulorũ ſextans,reſinæ terebinthinæ triẽs,ſymphoniacæ(quã & hyoſcyamon vocãt)vncia,lachrymæ papaueris ſemuncia. hæc cõtuſa & cum vino miſta demittuntur.Nec ſecus mellis attici libra,axungiæ ſeſquilibra,duodecim fici pingues,nux pinea integre cõbuſta,braſſicæ coctæ ſuccus,miſcẽtur,gari boni hemina adijcitur.ea in orbiculos glomerãtur,& equo quem male habet tuſſis,dãtur.Folia quoq; hederæ,non illius vulgaris qua parietes virent,ſed candidæ,vino miſcentur albo,& per nares infunduntur.Acuti iunci ſemen fœno quod animali repręſentatur,cõmiſcetur. Tenera rutę folia trita cum vino vetere naribus inſpiranda. fœnum quo veſcitur,ſucco ſylueſtris cucumeris conſpergendum. Præſtat agreſtis cucumis ſemen radiceſq; ſiccas hordeo cõmiſcere,& ita obijcere.Placet quoq; ſulfur ignem nõ expertum hęrbæ ſabinę cõmiſceri,& ex vino & melle per ſiniſtrã narem immitti:aut tunſam panacis radicẽ,addita vini hemina,& tribus olei cyathis,ſimiliter ingeri. Hęrbæ ſabinæ ſextula, croci ſcrupuli duo, myrrhæ ſcrupulus vnus,vini ſeſquiſextarius,olei hemina,cõmiſcentur,& appetente diluculo inſtar heminę ſorbitio datur:& ſecũdum prandiũ altera portio per nares demittitur,aut braſſica trita in hemina vini præbetur deuorãda. Item radicis mori ſcrupuli tertia pars,heliotropij ſcrupuli dimidium,trita cum vini calidi hemina, per os inijciũtur. Veterẽ tuſſim ſanãt duæ libræ hyſſopi macerati ſextarijs aquæ tribus. Nam id medicamentum teritur,& cum lentis minute molitæ ſextarijs quatuor,ſaliuati more datur,ac poſtea aqua hyſſopi per cornu infunditur. Porri etiã ſuccus cum oleo,vel ipſa fibra cum hordeaceo farre cõtrita, remedio eſt. Eiuſdem radices diligenter lotæ,& cum farina triticea pinſitæ,ieiunoq; datę,vetuſtiſſimam tuſſim diſcutiunt. Facit idem eruum ſine valuulis pari mẽſura cum torrefacto hordeo molitũ,& ſaliuati more in fauces demiſſum.Lẽtes quoq;

valuulis exemptæ, & minute molitæ, in parẽ modum aquæ calidæ cõijciuntur: factaq́ꝫ sorbitio per triduum infunditur. Vetus autem tussis discutitur porri succo trium cyathorum cum olei hemina per multos dies faucibus infuso. Combustæ vlmi cinis colo cretus in aquam cum pari mensura olei additis ouis tribus, exhibetur. Veterem tussim leuant marrubij succi pondo denarij vnius, ficus duo & viginti, mellis attici vel siculi sesquilibra. ea in ollam coniecta coquuntur ad dimidias, deinde troglodytidis myrrhæ sescũcia adijcitur, & thuris masculi vncia, aristolochiæ sextans, radicis panacis vncia. postea quàm optime cocta fuerint, ligneo vase aut plumbeo reconduntur: & cum vsus poscit, coclearia duo dantur. Torrefacta lens & pinsita, semen lini, & fœnumgræcũ molitũ, pollinario cribro cernuntur, & singulorũ ligula miscetur. spicæ allij gallici modo qui tibi faciat satis, adijciuntur, & infunduntur ex vino. Medicamentũ quod non pecuariæ modo tussi, sed & humanæ quoqꝫ subuenit, habet floris iunci odorati, opopanacis, myrrhæ, lachrymæ papaueris, croci siculi, foliorum nardi, costi, singulorum pondo denariorum quatuor, mellis attici pondo denariûm duûm. hæc inter se cõmista dãtur. Tussim lenit eclegma quod cõstat abrotoni, hyssopi cretẽsis, singulorum selibra, lachrymæ papaueris obolo, costi, spicæ nardi, singulorum sextante, cinnamomi, radicis panacis, singulorum vncia, papyri combustæ sescuncia, myrrhæ, thuris masculi, piperis cãdidi, floris iunci odorati, singulorum sextante, nigri piperis vncia, casiæ dextante, cardamomi, castorij, singulorum semũcia, mellis primi meriti libris quinqꝫ, croci sextãte. omnia sic miscentur, vt in vnitatem coëant. hærbam quæ rumex dicitur, exacte decoctam, in orbiculares offulas conglomerabis. his hispaniense oleum, acetũ, cuminum, & salem adiunges. per triduum animali præbebis, primo die orbiculos treis, altero quatuor, tertio quinqꝫ. sic huius medicinæ adiumẽtum senties. Ipse vero sæpenumero ad veterina quæ tussi vexãtur, accersitus à pecorũ magistris, cum eo me contulissem, remedijs & potionibus alijs atqꝫ alijs aduersus morborum pertinaciam vsus, non aliud præsentius tandem esse deprehẽdi, omnibusq́ꝫ præstãtius, q̃ hoc, quod tribus aut quinqꝫ diebus dandum est. Torrefactæ fabę sextarium postquam decoxeris, in pila terito: adijciensq́ꝫ butyri quadrantem, & adipis hircinæ sextantem, nouo fictili resoluito, subiectis cineribus cum ignis recidit in fauillam feruẽtibus: & huic lomento fabæ commisceto: post hæc fœnumgræcum in aqua æneo vase cõferuescat: primusq́ꝫ cremor eius effundatur: mox is modus cõijciatur aquæ, qui quatuor impleat sextarios: & eidẽ aheno ficos viginti, & radicis dulcis sextantem immisceto: dumq́ꝫ tantum efferbuerint, vt ex quatuor sextarijs tres adhuc supersint, hoc decocti ius supra scriptis, hoc est fabæ lomẽto, butyro, & adipi hircino miscens terito. si vero quid adhuc duriusculũ offendatur, tantum decocti dimittito quod id possit diluere, quò facilè per corni-

culum transeat cum infundetur.

Hierocles ad ceruicis tumorem, & attritum.

SI veterini ceruix attritu laboret, aut cõtusa itidẽ intumescat, vti medicina quã in Cleomenis Libyci monumẽtis inuenimus, cõmodũ erit. myricę & scyllę pares vtriusq; portiones tritas misceto, adipis suilli ceræq; liquefactorum æquales modos adijcito, sulphuris, argẽti spumæ, mãnæ, thuris, cerussæ, liquoris quem cedrus delachrymarit, singulorum paria pondera, cum sicca omnia contriueris, cedri liquorẽ irrores: & vbi cõmiscueris, eo pingui ceruicẽ imbuas. Aut cerussę & argenti spumæ parẽ vtriusq; mẽsuram vbi simul friaueris, rosaceũ oleum superfundito, dum cerati crassitudinẽ contrahat: mox delibuta ceruix hoc vnguentũ perbibat, cũ vsus postulabit. *Si flagello aut alio quouis ictu collũ tumorẽ* conceperit, tritum sulphur & ex aceto feruefactum vitiatæ parti collinitur.

Apsyrti de peruersione ceruicis, Cap. XXIIII.

APSYRTVS Orioni Alexandrino salutem dicit. Literis tuis efflagitasti quanã via ac ratione excidua ceruix deiectaq; suã in sedem cõpelleretur. sed te nolo latere non luxationem esse, sed peruersionem. qua in re cum ad vincula ventũ est, qui fascijs lãcibusq; ligneis ceruicẽ obstringunt, potius equo negotiũ facessere cognoscũtur. Sed hoc huiuscemodi nostræ inuẽtioni assignandum est. Erecto equo, colli partẽ quę in transuersum acta est, & in cõuexum inflexa, in diuersum trudere cõuenit: deinde secundum cutẽ impressis subula foraminibus, traiectoq; tergore, fibulas tamaricinas inter se obuersas inijcere, & inductũ acu filũ nodo cõstringere, quem lycon veterinarij vocant: deinde fibulas cõmittere, & lini capita deligare: bis die partẽ aceto & oleo, donec spõte decidãt, proluere, aquaq; calida perfundere, postremo vlcera lipara curare. Sed funiculus quo distringũtur, lineus aut canabinus esse debet, in arcus nerui crassitudinem intortus.

Hierocles ad ceruicem prociduam.

NOMEN huic vitio, ceruicis excidentia. luxationẽ esse Apsyrtus inficiatur, sed peruersionem esse contendit. illam quoq; ẽ lancibus fasciandi rationem damnat: imò partẽ ceruicis quæ trãsuersa prosilit, incuruataq; promouetur, in suum ordinem repellendam præcipit, dein myriceas fibulas factis styli mucrone foraminibus, secundũ cutẽ inserẽdas. vinculi genus inducẽdum, quod lycon appellare solent, quo cõprehensas fibulas vinciri cõuenit. Bis die locus oleo & aceto perfundendus, quousq; resoluantur: tum aquæ calidę fotu vtendum. Vlcus medicamento quod liparã vocant, curãdum. Funiculus quo fibulas obstringunt, ẽ lino vel canabe contorqueri debet, nerui crassitudinem non excedens quo arcus intenditur.

Theomnestus ceruici quæ mota & deiecta est.

CERVIX equo aut alteri veterino animali conuersa prolabitur, cum primum capistrari consueuit, cumq; arbori contumax obluctatur, aut si proteruius iugũ recuset, aut si quũ iugo applicatus est, euerso curru iugata ceruix distorqueatur: quo casu accidit vt colli pars vna caua dehiscat, altera decuruata conuexaq; promineat, sic vt qua parte ceruix recessit, sinus: qua prorũpit gibber puluinus conspiciatur. Cui malo hanc curandi rationem adhibere solemus. Humi sinus cauum, & supra, quod incuruatũ emersit, collocabimus: idq; valide degrauantes propulsabimus, dũ emotæ loco suo vertebræ, in natiuã sedem resiliãt. mox fibulas treis oportet è myrica fabricare, & subula ceruicem paribus interuallis qua curuamen exurgit, perforare, easq; per cutem transfigere: funiculoq; validius intorto, qui nerui crassitudinem habeat, per tergus ducto deligare, amentiq; nodum efficere, quem lycon nuncupant: commissisq; fibulis dum sponte decidant, obstringere: aceto & oleo ter die perluere, aquaq; calida fouere. Sic enim ceruix fideliter contenta non amplius excidet.

Eumelus ad emotam ceruicem.

SI CERVICEM equus sua sede moliatur, ouillo fimo cui vinum vetus ex oleo sit adiectum, vbi igni concaluerint, sæpius collum defricato, potioni tepidum hydromeli conijcito. Si vero eo loci duritia pertinax immãserit, suilli adipis & caprilli singulorum libra, resinæ corinthiæ drachmę sex, pinguis anserini quarta pars, olei cyprini tres cyathi, simul omnia molliusculo igni resoluta, vt ad miscellam coëant, immisto melle & oleo, per nares infunduntur.

PELAGONIVS.

SI FRACTA ceruix aut crus fuerit, axungię, aluminis, spicarum allij, singulorum sextans, ceræ libra, omnia eodem vase trita coquuntur. hoc cum res postulat, vtendũ. Si ceruix mota & deiecta est, cõsyderabimus quam in partẽ declinet, & ex diuersa auricula sanguinẽ detrahemus. Ea porro vena quæ in aure videtur amplissima, sarmẽto prius verberatur: deinde cum ad ictũ intumuit, cultello soluitur, & postero die iterũ ex eodem loco sanguis emittitur, ac biduo ab opere datur vacatio, tertio die leuior iniũgitur labor, & paulatĩ ad iusta pducitur. Quod si ceruix in neutrã partẽ deiecta est, mediaq; intumuit, ex vtraq; auricula sanguis emittitur. qui cum intra biduum q̃ equus vitium cepit, emissus non est, intumescit collum, neruiq; tenduntur, & inde nata durities iugũ non patitur. Tali vitio aureum comperimus medicamentum, ex pice liquida, bubula medulla, & hircino seuo, & vetere oleo, æquis põderibus compo-

situm atque incoctum. hac compositione sic vtendum. cum disiungitur ab opere: in ea piscina ex qua bibit, tumor ceruicis aqua madefactus subsiccatur, prædictoq; medicamento defricatur. Si ex toto propter ceruicis tumorem iugum recuset, paucis diebus ab opere vacatio danda est.

Apsyrti ad ignem sacrum, ceu pusulam, Cap. XXV.

CVM EQVVM pusula veterinum inuasit (ea autem dossuarijs præcipue euenire solet) res ad periculũ spectat. Nanq; tumoribus magnis, in quibus sanies coijt, locũ obsidet. Qui fictilis testæ duritiam cõtrahunt, exanguibusq; pustulis scatẽt, ij scalpellum desiderãt, quo debent incidi. Mox in vulnus ferro factũ adstringẽs punicũ immittitur. Polenta superiori parte conspergitur. Postero die cupressi frutices contundendi, polentæq; permiscendi, & ex aceto subacti, vbi, quæ manui subiecta sunt, detraxeris, illinendi. Sed aquæ fotũ respuunt. quare non est adijciẽda. Solum ergo punicum inseratur. Tertio die idem opus tentandum. Cum vero vitium esse deuictum videbitur, tum aqua vulnus eluendum est. folia brassicæ tusa addito polline hordeaceo illinenda. sic ad iusta perducetur.

Hierocles de pusula.

IVMENTIS, potissimum quæ onera tergo subuectant, enasci pusulæ consueuerunt: grauiaq; minantur pericula, maxime si ad muliebrem sexum referantur. masculis autem tumor qui partem vitiatam cingit, grandis, sanie turgens, in testaceam duritiem degenerat. Tumores itaq; pusulosi qui sanguine vacãt, excidi debẽt, & in vulnus adstringens punicum inijci, supraq; polẽta respergi. Secuto die cypressum opus est contundere, & cum polenta & aceto subactam illinere, sed prius eximere quæ manui subiacebãt (aquæ tamen fomẽtum aspernatur) rursus punicum indere, nec antea quàm bene res cesserit, aqua perluere, & brassicæ folijs cum farina hordeacea illinere (sic vlcus purum euadet) aut porrũ cum erui farina dum sanetur, inspargere. Nonnullis videtur post sectionẽ vulnus aceto proluendum, decoctoq; punico replendum, secuto die polenta & lente palustri quæ prius in aceto maduerit, illinendum: dein cum tumores resederunt, circunfricandum, & subluendum vulnerario medicamine.

Hierocles ad præfractos armos & vitiatos.

SI ARMOS equus læsit aut perfregit: ita, vt Hieronymus author est, curetur. Sanguis è pectore mittendus. Aestate frigida, hyeme calida perfundantur. Omni motu corporis abstineatur equus, donec sanitati restitutus sit. Nonnulli produnt optimum esse fotum si folijs vlmi ad tertias in aqua decoctis perfundantur.

THEOMNESTVS.

SI ARMOS equus cōfregit,hoc vtendū remedio. Bituminis, gūmi,ammoniaci thymiamatis,galbani,sulfuris ignē nō experti, bdellij,singulorū æqua pondera miscētur,& affecta pars illinitur.

Ad conuulsos armos.

SAEPE etiam veterinum vel grauitate longiori,vel in proscindendo obuiæ radici obluctatum,cōuellit armos. quod cum accidit, è prioribus cruribus sanguis mittendus est. si dextrum armum læsit,in sinistro.si læuum,in dextro.si vehementius vtrunque vitiauit,item in posterioribus cruribus venæ soluentur.

Apsyrti de luxatione armorum.

APSYRTVS Apellæ Laodicensi veterinario medico salutem. Quicunque luxationem armorum & articulorum se curasse profitentur,id quod euenire solet,ignorant. Luxatio enim accidit cum neruus qui scapulas cōprehendit,rumpitur,aut articulus quem gumphum vocant,acetabulo propulsus excidit. tunc nullus medicinæ locus. repulsi siquidem in suas sedes,inibi nō remanent,sed iterum soluta compage lubrici delabuntur,cum non habeāt quo cōtineantur. Tum demum autē curationi locus est,cum aut neruus extenditur,aut humerus laxatus fatiscit. quo casu inter ambulandum vngula protrahitur,aut ingredientis articulus qui sede sua prosilijt,sursum spectat. Huic vitio sic succurrendum. Articulus in naturalem sitū impellēdus. Fibulæ myrica factę,aduersis ordinibus traijciēdę. Armus oleo & aceto perfundendus. Sed antea calida foueatur,dum fibulæ decidant. Tum vlcera medicamēto quod lipara dicitur,nutrienda. Cum ad sanitatē perductus est,is ad articulum vsque ductu ferri candentis orbiculari, & inde illito adurendus. In posterioribus vero partibus curatio ægre succedit,fereque in claudicationem euadit, coxendixque non sentit alimentum, sed ariditate conficitur. vngulam tractim ingrediens deterit. Ea res accidit cum cursitans lapsatur, & ita caducus distrahitur,vt innatātes ranas imitetur. id βατραχίζειν græca consuetudine nomināt. Nonnunquā etiam cum in campis equo vector insidet,in alterū decursu ludicro pergit: ex equo nerui distentio sequitur,& sæpius armum conuellit. Id iumentis quæ tergo vectitant,facilius vsu venire cōsueuit,item cum cōtumax parietem,lignum,aut lapidem, aut aliud id genus calce percussit,aut aliqua ex causa cōsternatus malleolum iactans excussit. qui vbi spōte in natiuam sedem resilijt,protinus sanguinē ex talo mittere necessum est,& perinde ac cætera fracta quatuordecim diebus vincire,firmis fulcire statuminibus,vt recondatur,postremo firmatum inurere. Porro nisi sanguis emissus fuerit,cum sanie in locum se conferet,in

quo diuortium partis factum fuerit. sic præter naturã informis ambitu suo malleolus promouebitur, ac longe maiorem claudicatum excitabit.

THEOMNESTVS.

SAEPE in itinere faciundo cum citatius agitur equus, aut veterinum aliud, armũ frangit, aut alterã in partem conuertit: id quod claudicationẽ adfert. Si vtiq; à positu natiuo prorũpit, sanguinis missione ex armo, recõditur. Sanguis qui profluit, vase recipitur: cui oleum, tria oua, defrutum, crudi bulbi bene contriti, exilésq; cochleæ quinquaginta, cõmiscentur: & eo calente perlinitur. Vtendum etiam agglutinãte medicamento, quod repellendi gratia compositum est: anacollema vocant.

Hippocrates luxatis armis.

SI ARMI cruráq; suis compaginibus prolabuntur, ita vt os in aliquam partem veniat, claudicatio concitatur. Cuius ea sunt indicia. Anterius crus non potest replicare, sed ad se cõtrahit. In descensu quoq; præcipitanter fertur. Huic olei & vini sublitu succurritur. Sanguis prioribus cruribus detrahendus. Septem dierum spatio perluitur, dein vno die puerili strigmento cum vino & aceto linitur.

Hierocles armorum doloribus.

SI DIVTVRNVS dolor armum infestet, ijs vtendum remedijs quæ Apsyrtus proposuit. Inclinandus est equus, & armus ferula aut tenui sandalio molli panno conuoluto verberetur, & vbi ad ictum intumuit, pugione iuxta exortum armi in mediam prominentiã eius perforare tergus oportet. sed Hieronymus præcipit, vt parti quæ à summis armis quatuor digitorũ interuallo distat, excisorius scalper adigatur, & diducto tergore, fistuláq; intro indita, valide flatum inspiremus, qui manibus in orbem circunductus adusq; nympham ambiat armum, pugionisq; mucrone tergus compungatur, dein sal tenuis infrietur, & aceto cum sanguine defricetur. Sed cum decumbit, hoc opus est illitu. Sal & acetum sesquiheminam impleãt. tertio die & deinceps calida aqua perfundi debẽt. Sub hæc hoc vnguento vtendum, quod ex bdellij malagmate, adiecto oleo constat. sin minus, ex oleo vinum infricetur. Vulnuscula punctim inflicta dum claudicatio finita sit, seruentur aperta. Cum autẽ ad sanitatẽ ventũ est, ad obeũdum opus, quod tamen à ratione non abhorreat, paulatim vtitor, & vt vires tulerint. Aestate potius ratio medendi tentãda est: cum hyeme res ex animi sentẽtia non respõdeat, sed interdum noxam adferat. Cum autẽ vtrunq; armum vitiũ hoc occuparit, synomiasin vocant: ratio tamen curãdi nõ euariat. Cum in armorum flexu sub alis spõte tumor innascitur, quem

putant nonnulli cruditate contrahi, recens illito vrente medicamento discutitur. Si tumori pinguis humor subest, aut durũ quid intus coijt, scalpellum postulabit, dissectusq́ue, reliquorum more, curabitur.

Hierocles de vlceribus in spina dorsi, & armorum compage.

VLCERIBVS quæ in spina dorsi, & qua cõmittuntur armi, prodierunt, vt Apsyrto placet, vstio præsentissimum est remedium. siquidem cum circunscinduntur, magnã carnis iacturam faciunt, sic vt cutis partẽ eam prorsus deficiat. Quare difficulter damnũ cicatrice resarcitur. Quo fit vt sæpe penitior sinus in putrida vlcera degeneret. quæ vbi neruosam partem tentarunt, concidens equus sese non potest erigere, sed animum despondens in perniciem agitur.

Hippocrates armis sua sede propulsis.

SI EQVVS aut aliud veterini genus armum é suo situ promouit, hunc humi prosternito, ita vt armus sede sua deturbatus in superiorem partem veniat: & vbi pedem alligaueris, & arbori nixus extenderis, pectori vellusculum imponito, in perforatam armi cutem ficulneos clauos spatio quatridui pangito, & circundatis vellere clauis, oleo liberaliore proluito. post quatriduum resoluito: dumq́ue similiter clauos refixeris, rursum eisdem eluito. Dolorem armorum lenit hoc medicamẽtum. autolycium vel veratrũ candidum, & putamina quatuor ouorum cremata, cucurbita, poma cerasia tria, & syluester cucumis, vnà tũduntur, vt cataplasmatis lentorem referant: & ita consperguntur.

Apsyrtus doloribus armorum.

SI DOLET armorum compago, primum multa calida aqua perfundere debes, postea vinum inspirare, & calido oleo locum defricare, postridie ex armis non copiosum sanguinẽ, sed qui sex heminas cõpleat, emittere, ne multo magis membrorum robur infirmes: & vt antea, perfundito aqua, & defricato. His itaq; remedijs dolor finietur. Sin parum id profuit, excisorio scalpro iuxta summos armos cutẽ transfigito, ita vt hinc duûm digitorum spatium intercedat: deinde indita fistula auram inspirato, cutémq́ue ad articulum armorum ducito, vt vndique uersus æquabiliter abscedat: mox exempta fistula, vulneri succidam lanam inculcato, & calida perfundito. Sed danda est opera ne quid aquæ in ambitũ aberret. Quòd si pinguis apparuerit, obseruabis ne per biduũ effundatur. Tertio die vbi lanam sustuleris, aquam excludi sines: reliquamq́ue curationẽ quam prẹcepimus, adhibebis. Si nihil proficitur, teretibus ferramentis quæ igni prius incanduerint, armos adures.

Hierocles armorum & spinæ doloribus.

SI ARMI cursitatione immodica aut ferendo onere dolorem conceperint, sic vt colligati cohæreãt, ceruixq́ in descensu doleat, calida perfundi debent, & citate pecus agi. Hoc repellens medicamentum agglutinetur. hordeaceæ farinæ sextarij quatuor, aceti quod satis esse constabit, mannæ thuris semuncia, cum ouis duobus simul tunduntur: quibus tam armi quàm collum linũtur. Si his remedijs dolor non cedit, rectis ferramentis candẽtibus vritur: postmodum sale & oleo perlinitur: rursumq́ septem diebus balnearum strigmentis imbuitur. postquam obductæ crustæ deciderint, erui farina, vti moris est, vtendum.

Apsyrtus de coriagine.

APSYRTVS Epiphanio equorum medico salutem. Te equini pecoris studiosum scire necessarium existimaui, coriaginem, quæ græcis echedermia vocatur, quòd pellis appressa tergo pertinaciter adhæreat, nasci cum diuturno dolore armi languẽrunt. Quod ad curãdi rationẽ pertinet, equus inclinari debet, & armus ferula aut rude laneo pãno circũuoluta feriri, vt ad verbera pellis abscedens inturgescat: tum secundum tergus excisorio scalpro pro armi natura in mediam eius prominentiam perforatur: tum etiam adigitur scalpellus, & pellis subtrahitur, vt imposita fistula vehemens ore spiritus impellatur, qui manibus in ambitum armi deducatur adusq́ nympham: & aculeo cutis lancinetur: quæ prehensa qua spiritus est offusus, crebrius fodicatur, vt aperte vulnusculis scateat. Tum tenuis sal inspergendus: acetum cum sanguine infricandum: idque dum adhuc incubat equus. Huic negotio salis acetabulum, & aceti sesquiheminam depleuisse satis erit. Die tertio aqua calida perfundere conueniet, secutis diebus quotidie vnguentis & illitionibus vti. Malagma ex bdellio compositum in oleum demittitur. Quod si non adest, vino & oleo defricetur. Danda est opera vt facta aculeo vulnuscula tantisper dehiscant, donec cutis tumor considat. Vnguentis & fotibus vtendum, dũ ne amplius quidem claudicet. Cum vero secunda valetudine fruetur, ad faciundum opus sensim magis ac magis adurgendus est. Aestate hæc remedia experiri conueniet: quando hyems difficulter coriaginem tollit, imò iumentum hac noxa sæpius implicat. Cum autem hoc vitium ambobus armis inhæsit, synomiasin, q armũ vtrunq́ cõplectatur, appellant. Sed curandi ratio similis est.

Pelagonius coriagini.

SI ANIMALIS alicuius pellis resiccata sic tergori adhæreat, vt digitis deprehensa nec reuelli possit, nec alimenti sentiat profectum, veterinarij coriaginem appellãt. Ea res accidit quoties æ-

stui magno multæq; insolationi diutius iumẽtum patuit. Cui sic succurritur. oleo rutaceo corpus imbutũ prius mulcetur, dum delibuto tergore medicamen ebiberit: deinde sequens mistura datur potanda, pastinacæ, tragachãtæ, rutæ syluestris, mentastri, singulorum sescũcia, apij, sertulæ campanæ, absinthij pontici, singulorum pares modi miscentur, tritaq; simul omnia in aqua coquuntur, potio calida inditur faucibus.

Ad coriaginem Theomnestus.

EST ET infesta pestis equino pecori, coriaginem rustici appellant, cum pellis ita tergori adhæret, vt prehensa manibus à costis diduci non possit. Ea res non aliter accidit, quàm si iumentum ex aliquo languore ad maciem perductũ est, aut sudans in opere faciundo perfrixit, aut si sub onere pluuia madefactũ est. Quæ quoniam perniciosa sunt, custodiendum est vt cum ab opere iumenta redierint, adhuc æstuãtia, anhelantiaq; vino respergãtur, & offæ adipis faucibus eorum inserantur. Quòd si vitium inhæserit, proderit decoquere laurum, & ea calda fouere terga, multoq; oleo & vino confestim subigere, ac per omnes partes apprehendere & attrahere pellem. idq; optime fit sub dio feruente sole. Quidam fraces vino & adipe commiscent, eoq; medicamento post fomenta vtuntur.

Suppurationis remedia Apsyrti.

SI SVPPVRATIO summos armos aut costas occupet, aut abscessus exiliãt, omnes rescindãtur, facto procliui parte suppurationis emissario, quo facilius inde pus emanet, & patens sinus residẽ aurã expiret. Cũ vero non exiguam sectionem acceperunt, vulnus ad cicatricem perducitur. Sed quoties inusseris, aut ferro resecueris, hanc adhibebis curam, quã in alijs ambustis præcepimus. Suppuratio melius ferro rescinditur, quàm medicamẽto. Expressus deinde sinus calida vrina proluitur, atq; linamentis pice liquida & oleo imbutis colligatur: vel si collui ea pars non potest, lamina candenti seuum caprinum aut bubulum instillatur. Quidam cum vitiosam partem inusserunt, vrina vetere eluũt, atq; ita æquis põderibus incocta pice liquida cum vetere axungia linunt. Suppuratio melius ignea lamina quàm frigido ferramento reseratur, & expressa postea linamentis curatur.

Pelagonius ad læsos armos.

SI ARMOS equus lęserit, in medijs ferè cruribus parte surę opposita venæ soluãtur, & thuris polline cũ eo qui profluit sanguine immisto, armi linãtur: & ne plus iusto exinaniatur, stercus iumenti fluentibus venis admotũ, fascijs obligetur. Postero quoq; die ex eisdẽ sanguis detrahatur, eodemq; modo curetur, hordeoq; abstinea-

tur,exiguo fœno dato. Poſtridie deinde vſq; in diem ſextũ porri ſuccus inſtar trium cyathorũ miſtus,cum olei ſelibra faucibus per cornu infundatur. Poſt ſextum diem lente ingredi cogatur: & cum ambulauerit, in piſcinam demitti eũ conueniet,ita vt natet. ſic paulatim firmioribus cibis adiutus,ad iuſta perducetur. Proderit quoq; ſpumam nitri,vinum,oleum, ſapã, axungiam,bulbos,contundere,& ijs armos confricare. Si leuis dolor inſedit, aut tolerabilius vitium ſcapulas vrgeat, vino & oleo perfricuiſſe ſatis eſt. Si vehemẽter excruciet, ferro tergus oportet tranſigere,& à iuba inter cutem & iugulum inſtar octo digitorum ſectiunculam auſpicari, ſic vt ne ſcalpello quidem iugulus ipſe contingatur. Poſtquam arundine ventum inſpiraueris,tenui rudicula ſcapulas molliter cædas, & ſale oleoq; eodem die confrices. Poſtridie medicamentum cõcinnabis quod habeat ſimilaginis triticeæ farinæ aut hordeaceæ ſextarios duos,duûm ouorum luteũ liquorem,thuris ſeſcunciam: quæ ſubacta in aceto, manu ſecundum ſcapulas infricantur: compluribuſq; diebus armi calida foueantur, dum humorem ebibant. Sed quotidie nonnihil huius medicamenti agglutinetur,modo prius vino locus ſubluatur. Sequens medicamentũ ſuo perlitu proficit. Baccarum lauri ſelibra,vini veteris libra vna,cum nitro quod ſatis ſit,ita temperantur,vt nitrũ & lauri baccæ ſimul contuſæ,& incerniculo cretæ,cum vino in vaſe miſceantur:& perfuſis aqua calida prius ſcapulis,hoc auxilio ſub dio cãdenti Sole linũtur. Si vero ſua ſede ſcapula prorupit,recõdatur,& eadem tentetur curatio. Si nihil profuit,vrens medicamẽ admoueatur. Infricuiſſe quoq; iuuabit, vt vnguentum armi perbibant,baccarum lauri libram, ſulfuris ignem non experti quadrãtem,picis liquidæ ſextarios duos. omnia ſimul tuſa, vino & oleo excipiantur.

Tiberius luxatis ſcapulis.

SI SCAPVLA ſedibus elapſa procidit,in eaſdem repellatur: tum picis aridæ libras duas, reſinæ colophoniacæ tantũdem, reſinæ terebinthinæ, galbani, ſingulorũ ſextãtẽ miſcebis, & locũ delines.

Apſyrtus ad tumorem armi,& puſtulas.

APSYRTVS Marco equorum medico ſalutem. Volo te ſcire quòd armis in alarum ſinu aut ſub cinctum tumores erumpunt ſua ſponte. Nõnulli maiorum cruditate potius enaſci tradiderunt. Quorum ſentẽtiæ non ſubſcribo.

Recenter cõtracti,ſi flatus inſidet,illitu vrentis medicamẽti ſanantur. Sed cũ adipale virus ſubeſt,aut ipſe tumor occalluit,præſcinduntur: & cæterorum vlcerum more quæ in dorſo prouenerunt,curantur. Puſtulis quæ tergo prodierunt, adurens medicamentum

præsenti est remedio, vt ijs quæ in armorum coitu consurgunt. Nanque cum circunsecta velluntur, magna fit carnis iactura. sic vlcera difficile cicatricem ducunt, in profundoque marcorē creant: qui posteaquam subditum cōtingit neruulum, concidens erigi non valet, nec multo post emoritur.

Pelagonius luxationi vertebræ.

SI VERTEBRA suis sedibus excussa decidit, sapone in primis perluitur, dein oleum in aquam cælestem defusum, ouique candidus liquor simul agitantur, donec in corpus vnum coëant, quod glutinis instar lentescat. Itidem ficulnei rami persiccati cōburuntur, donec in cinerem fatiscant. huic in pilam coniecto vini satis adijcitur, & tantundē olei, & duûm ouorum candidus liquor. omnia simul subiguntur, & cum poscit vsus adhibētur. Si quid in vertebris aut tergo ruptū aut collisum fuerit, ceræ libra, resinæ aridæ triens, æruginis sextans, cum oleo coquuntur ad vsum. Sed ne mulorū ceruices idem casus maneat, hoc præstabis, vt adipis suillæ recentis dupondium, & aceti duo sextarij ad tertias coquantur, colataque linātur. sic ab hac iniuria vindicabis. Si dolor vertebras infestet, mittere sanguinem oportet, & calfaciētibus vnguentis vti, quæ recipiunt oleum, axungiam veterem, nitrum, picem liquidam, bitumen, lauri baccas: quibus in vino mistis corpus imbuatur: et si necessitas vocet, in balnea descēdant, vt lauentur. Post hanc adhibitam curationem hac saliuandū potione. gingiberis, petroselini, cumini, lachrymæ papaueris, baccarū lauri quod esse satis visum sit, cū vino bono & melle cōmiscentur, & calida propinātur. Quòd si dolor vertebras male habet, aut neruorum distētiones excitentur, vtrisque partibus munde vertebram vrito, dein axungia perlinito, & exactis diebus septem calida proluito. Postquam refrixerit, vnguētis calfacientibus collinito, lanaque cutem obligato.

Hierocles ad vlcus spinæ dorsi, & clauos.

SI SVMMAM cutem vlcus obsidet, ita vt iam glabra caluescat, cremati capitis canini cinis inspergitur. Is enim huic vitio prompte medetur, & areas ad pilum reducit. Sin altius insedit, clauum sub se continet. tum erui farina melle excipitur, & adiecto lucernarum ellychnio instillatur, dum cauum expleatur. ea res clauum excutit, & ad cicatricem perducit. Eundem effectum exhibent ficulneæ frondes in furnum coniectæ, dum sic inaruerint, vt contundi queant. eæ tunsæ & cretæ linuntur. expurgant enim, & ad cicatricem trahunt. Idem præstat tithymalus virēs, si cum radice tritus & cretus illinatur. cui, quo paucior adfuerit, eo plus salis adijcietur. Medicamētum quod sua glutinandi dote scapularum defluxiones suspendit, continet coni selibram, resinæ pini, taurini glu-

tinis, singulorum quadrantē, mannæ selibrā, pollinis sextarium, vini veteris quod satis sit, in patellā omnia cōijciūtur, & cocta per pilū animalis linūtur.

Cum equū armi male habent, opobalsami, croci, singulorum vncia, cinnamomi triēs, thuris masculi, nardi syriacæ, myrrhæ troglodytidis, piperis cādidi, opopanacis, resinæ pini, singulorū vncia, mellis attici libra, omnia miscētur, & vsui ministrātur. Hoc medicamentū quod subscribitur, adurit, imbecillas parteis firmat, spinæ dorsi & articulorū omnium vlceribus opitulatur. Resinæ frictæ, bituminis iudaici, picis, ceræ, æruginis, singulorum pōdo, ammoniaci thymiamatis selibra, thuris triens, galbani dodrans, opopanacis sextans, eliquescant quæ liquari possunt, & rudicula moueantur, donec in malagmatis lentorē coalescant. Hæc illinenda prius quàm suo calore spolientur. Si tamen medicamentū obdurescat, axungia vetus adijciatur: cumq; molliusculum se præstiterit, vsui debet esse. Secundū quoq; quod roborādi facultate donatum est, subiunximus: non quòd præcedens virium imbecillitatis dānemus, sed quò maior habeatur remediorum supellex, faciliusq; sibi pauperes copiam vendicent, & ad vsum possint comparare. Bituminis iudaici, aluminis scissi, singulorum selibra, veteris axungiæ pondo, spumæ argēti quadrans, galbani, opopanacis, singulorum vncia, aceti scyllini sextarius, olei hemina, omnia coquuntur, & illinūtur. Si pecus dorsum læsit, polenta cum vino & oleo subacta vulneratæ parti agglutinatur. Quæ si tentetur inflammatione, scalpellum experiri, & ferro rescindi conueniet, & stercus equinū ex oleo aceto & torrefacto sale admoueri. Si spina dolore conflictetur, sanguis mittendus est, eaq; calidis vnguentis illinenda. His dolor discutietur. Baccæ lauri, sulfur, oleum, axungia, nitrum cum cedrino liquore & vino miscentur. totum equi corpus insolatum defricatur, postea calidissimo detineatur stabulo, ad quod nullum frigus adspiret. Si vulnera tergum accepit, ostreorum testa minutissime trita, dum in farinam redigatur, affectæ parti respergitur, aut paguri combusti cinis instar libræ vnius imponitur. Si dorsum negotiū exhibet, recrementi ferri, ęruginis æris, singulorum vnciam commiscebis, & in farinam digeres. sed antequam nonnihil aridi huius medicamenti consperseris, dorsum equi vino proluatur.

Si dorsum vulnus accepit, gallas syriacas tritas & melle cōspersas indidisse proderit. Si sessor per imprudentiā vulnus intulit, arida folia quibus cęparum fasces ligati pendent, in calidam aquam demerguntur: cumq; efferbuerint, super inflammationis locum imponuntur. vbi calorem exuerint, fascia colligantur. Aut si mauis, huius vice ephippium admouebis, quod interdiu noctuq; tergo resideat.

Apsyrti de orthopnœa, Cap. XXVII.

APSYRTVS Secũdo equorum medico salutem. Cum nõ nisi subrecta ceruice spiritus trahitur, orthopnœa est. cuius eæ sunt indices notæ. Ambulans equus retrocedit, grauiter & sine vlla intercapedine respirat, in edita progredi non potest, sed ita labori succũbit, vt concidat. Proclinatus sese non extendit, neq; dilatare tentat, sed tãtum exurgere cupit. Curandi ratio hæc est. thuris siciliquus & sulfuris drachma vna teruntur optime, & in vinum candidum odoratum cum melle coniecta per nares infunduntur. Aut serum picis & nitrum torrefactum tritúmque quibus mel & vinum addita sint, oportet tantisper immittere, dum creber ille spiritus finiatur. exercitationibus credi non debet, quo minus inhorrescat. Nitrum potionibus indendum. Fœnum eodem aspergendum, vt pro conditiuo cedat pabulo. Quòd si morbus ijs non leuetur, medicamento deiectionem moliri conueniet.

Hierocles de orthopnœa, & spirandi difficultate.

ORTHOPNOEAM signa hæc ostẽdunt. spirãdi difficultas infestat, ardore nares deflagrant, ilia cõuelluntur. Quod ad cibos pertinet, huic calfaciẽtes obijci debent, vt Cleomenes Libycus est author, eruum maceratũ, auena, cicer, hordeum: farina potioni permiscẽdá. Tragachanta, & sulphuris ignem non experti paulum ex vino dulci infundendum. Catuli iugulati feruẽs sanguis diebus nouem per os ingeritur, inspersis æthiopici cumini ligulis duabus. Hali, quod symphitũ appellant, & equiseti succus expressus, qui heminas duas impleat, cum cumini æthiopici binis coclearibus imbutis vini hemina infunditur. pollen thuris, & sulfur, iniecto vino & melle, per sinistram narem immittuntur. Hæc dum modica est, neq; ex toto strãgulat, spirãdi difficultas vocatur. Qua si laboret equus, eius hæc conditio est. dexter oculus subuirescit, vtraq; nare graue virus odoris expirat, trahit ilia, sub maxillis tubercula prodeunt. Verum ingressum eius consyderare licet. si hanc speciem præbeat, vt in latus pendere videatur, vix curationi locus erit. Si recẽs adhuc vitiũ afficit, hæc medendi ratio tentanda. Sanguis per triduum mittendus. Hæc danda potio, quæ recipit vini veteris sextarium vnum, olei laurini, & lentiscini, singulorum heminam, olei rosacei libram, croci, myrrhæ, singulorum vnciam, hydromelitis sextarios treis. hæc omnia aheno nouo coniecta cum gallinaceo gallo ad tertias coquuntur. Hoc decoctum heminatim ex aqua mulsa, & vnius oui liquore, per nares sex diebus inditur. cuius etiam portionem, si tibi in animo est, in caput defundes: & pedes fouebis. ita morbum abiges.

Mago Carthaginensis.

SI VEHEMENTI difficultate spirandi tentatur equus, spiritus per angustias euadens sibilũ elidit. ilia pendent. vtrunq; oculum vel certe dextrum insolens colos inficit. maxilla sentit inflammationem. is non recto gressu permeat. Hoc vitium inter initia facilè propellitur, modo iugis adhibeatur diligentia. sed habitus equi scrupulose est obseruandus. Si in dextram curuetur partem, medicinæ locus erit. si in sinistram repandus flectatur, difficillime remedijs patebit, quòd iam morbo victus animum despondeat. Ea tamen experiri cõueniet auxilia. duodecim equi venæ scalpello soluentur, ita tamen distribuendæ, vt tridui spatio quatuor quotidie feriãtur. deinde potio hæc danda, quæ habet croci, myrrhæ troglodytidis, spicæ nardi, piperis candidi, singulorũ vnciam, hydromelitis sextarios tres, olei veteris sextarium vnum, olei rosacei, lẽtis, singulorum heminã. omnia vase nouo demittuntur, & cum catulo qui decẽ dies non excessit, coquuntur, adiecto hydromelite & ouo: decemq; diebus perpetuis aut pluribus infunduntur.

PELAGONIVS.

CVM equus spirare sine sono & anhelatione non potest, suspirium nostris, asthma græcis appellatur. Tum sapę cretensis sextarius, iris illyricæ, piperis, myrrhæ troglodytidis, croci, pollinis thuris, tragachantę, singulorum vncia, vuarũ passarum quod satis esse videbitur, hæc miscellanea præbẽtur. Suspiriose laborãti fauces melle, butyro, axungiaq; demulcentur, deinde tenuis sal infriatur. Cum spiritus non nisi recta ceruice trahitur, orthopnœam græci vocauerunt. quæ ijs notis deprehenditur. arrectas aures animal continet, & igneum quid expirat. ilia identidem retrahit. oculi patent aperti. Remedium est, sanguinem è dorsi vertebris mittere, & cõmisto oleo & aceto cum sanguine qui profluxit, pecus illinere: cibo, quãtum maxime fieri poterit, abstineri: aut ijs quæ calfaciendi vim obtinent, vt eruo, aut ciceribus, vesci: hyeme triticeo farre, per æstatẽ hordeaceo sustineri. Item tragachanta, defrutum, bitumenq;, quibus caninus sanguis sit adiectus, & triti cumini quãtum tribus digitis capi potest, ex vino propinãtur, aut cãdidus oui liquor ex melle & pineis nucibus intritis, diebus viginti aut pluribus, donec pulmo persanetur. Sin nihil ijs fuerit adiutus, curabitur inserta pectori radicula, quam veterinarij consiliginem vocant, aut narium vel auricularum radicibus impacta. siquidem has in parteis omnis vis morbi noxiumq; virus elicitur. Aut pastilli cum hydromelite dentur, qui amaris nucibus, & syluestris cucumis radice, melle exceptis, cõstẽt. Aut radix mori trium obolorũ instar, trita cum calido vino, naribus infunditur. Sed equorum capita qui spirandi difficultate premuntur, prius olei cyatho, & vini

sextario perfricetur. his enim deploratis ferè valetudinibus remedia pollicentur. Porrò difficultas spirandi, sudore, plurimo labore, aut suspirio cōcipitur. Qui hoc vitio conflictatur equus, naribus purulentā saniem expuit. cui potio maximū adfert cōmodum quę capit sapæ cretensis heminas treis, abrotoni quadrantē, floris hyssopi, casiæ, eryngij, tragachātæ, pollinis thuris masculi, singulos sextātes. hæc omnia diligenter tunsa, & sapæ cōmista, faucibus immittūtur. Suspirioso sanguis detrahitur, & cum sextario vini atq; olei, thuris semuncia, marrubij succus instar heminæ mistus infunditur.

TIBERIVS.

SPIRANDI difficultas his signis cognoscitur. ilia equi identidē semicāt, naresq; sibilū edunt: sed mœrore iam elāguescens cōficitur. Cui hac ratione succurritur. Oua tria in aceto macerata primo die, altero quinq;, tertio septem, expressis eorum putaminibus, induntur ori.

Ad exulcerationem pulmonis Hierocles.

EST ETIAM grauis pernicies cum pulmones exulcerantur. inde tussis, & macies, & ad vltimū phthisis inuadit. quæ ne mortē adferant, radix coryli inusta perforatæ inseritur auriculæ. tum mellis bini cyathi, & liquidæ picis oleiq; tātundem cum butyri & suillæ adipis offis faucibus infundūtur. *Sin ijs* morbus nō leuetur, porri succus instar heminæ pari olei mensuræ miscetur, & cum vini sextario potandus datur diebus compluribus. Sunt qui oleo radicem syluestris rutæ adijciant. Alij thus malunt immiscere.

Apsyrtus ad vlcera putrida maxillarum.

SI VITIVM freni iniuria creauit, torrefaciēs chalcitē, vbi igni incāduerit, cum melle teres, dum in puluerē leuigetur, & in pyxide recondes. cum vsus deposcet, ad vlcera quæ putrescunt, aut in ore vorant pascuntq;, aut quacunq; parte corporis erumpant, adhibebis.

HIEROCLES.

SI MARCIDVM aut putrescens vlcus in ore delitescat, id vbi sic explicueris vt oculis pateat, adures. Sed non est committendum vt tendones aberrante ferro contingas. Si in spinam dorsi se demersit vlcus: vbi tunicam dissecueris, candens medicamentum adhibebis. Sed hoc sedulam animaduersionem desiderat. Si in costis hæreat, osse tenus excindes: deinde cupressum bene tusum cum æquali polentæ modo subactā parti vitiatæ sublines: (vlcus nō ante quartū diem circunluatur: ante quod tempus omnem manus contactum respuit)

aut brassicæ folia tunsa, adiecta polenta perlues, aut syluestrem porrum satiuumq́ tritũ adiecta farina hordeacea impones. Si crustæ deciderint, sic vt marcor conspectui subijciatur, illinens prius vulnerario medicamine, tunsam aristolochiam aut crudam picẽ indes. Anchusam, aut tritam chalcitin, aut verbasci folia, aut sideritim hærbam superpones. Habes aduersus putrida vlcera secundo volumine quæ de ijs medicamentorum compositionibus præcepi. Si os putridũ vlcus inuasit, acidum punicum tusum cum polenta cõspersisse, & in aceto subactũ liuisse prodest: aut tunsos cupressi frutices ex polenta & aceti imbre rigatos sparsim indidisse satis est, aut chameleæ & aristolochiæ rotũdæ caules tũsos & cretos æquis põderibus deligasse.

Apsyrti de cardiaco morbo, Cap. XXIX.

APSYRTVS Agathocli artis veterinariæ prudenti salutem. Te qui iumentorum alimonia lætaris, cardiacorũ indicia nosse commodum est. Laborans equus eo morbo exhaustus elãguescit, & ilibus substrictis trahit ventrem: cæterum demissis oculis tristitiã præ se fert. Testes & genua tumẽt. His itaq; notis vitiũ aperte fatetur. Cui ita succurrendum est. Calfacientia per os aut nares educta lingua conueniet infundere: id est piper, vinum, oleum, scyllam, item lauri baccas, aut thymum. Alijs quoq; calfaciendi dote præditis, modo subueniant, vtendum. Cibo sicciore roborandus. Viridibus pabulis prohibendus. Vino oleoq́ defricandus. Sed venter contectus esse debet, & pectus maxime vestimentis opertum. Tritũ ex oleo sulfur infricandum. Equile in quo versatur, identidem euerrẽdum, cui nõnihil insternatur quod iucundũ odorem expiret, vt myrtus, laurus, & id genus alia. Verum cum talibus signis sic implicabitur, vt ingredi nõ possit, cõpulsus ab equisone vacillet, & tristem vultũ, vt ante monuimus, præferat: si ex ventre & armis sudor prorumpit, ita vt tremor & intẽtio neruorum accedat: si subinde concidit, nec protenditur, sed iacens in ventrem decũbit, ac magis excruciatur doloribus, ita vt eis par esse nequeat: cum surgẽdi voluntas incesserit, impos sua spe frustratur, nisi magno impetu conatus prodeat: testes conuelluntur, & genitale prominet, ac paulatim vrina fertur: scire licet ad extrema ventum esse, quod bilis iam in arterias prorepsit, & cordis officinam expugnat.

HIEROCLES.

CARDIACVM equum ijs notis cognosces. ventrem & ilia contrahit, & tristitia cõficitur. caput insudat. Quod ad curãdi rationem pertinet, quæ calfaciunt, vtiq; fusa per os aut nares opitulantur, piper ex vino & oleo, scylla, thus, aut aristolochia, bacca lauri, aut

myrrha, thymus, vel quodlibet aliud quod sibi calfaciendi naturam vendicauit. ari diore cibo fulciatur. Vino & oleo cōfricetur. Cum venter tum pectus maxime conteguntur. Sulfur ex oleo suffricandum. Stabulum in quo cubitat, subinde cōuerratur. Etenim equile mundum expostulat, vbi ea cōspergantur quæ bonum odorem efflant, vt myrti & laurus frondes, & consimilia. Porro cum cardiaco languore victus fuerit equus, pedibus insistere non valebit. quòd si cogatur ingredi, parietes consectatur, & in ea quæ sese ferunt obuiam occurrens incumbit. venter sudore digeritur. armi maxime contremiscunt, neruorum distentio sequitur. vires omnino labant, nec nisi maxima vi nisus erigi potest. testes ita contrahit, vt lotium paulatim egeratur. iam flaua bilis per arterias illapsa, cordis arcem obsidet, sic vt ne amplius quidem prorogari vita possit.

THEOMNESTVS.

SI DEFLVXIO aliu'sve dolor in cordis sedem decubuit, neruorum distentio sequitur. labāt genua. cum corpus, tum maxime caput afficitur. Ergo cum hæc indicia repræsentabit, opus erit infūdere laseris quod magnitudine fabā æquet, mellis trientē, nitri quadrantē, aquæ sextarios duos, calfacti aceti heminas duas. quæ in eodē vase recipiuntur: misturaq; per triduum ingeritur. Viridi fœno, gramine, aut medica pascatur. Sed si ijs prosperā valetudinē non recuperet, sanguis priorū pedum poplitibus, aut etiā suffraginibus emittēdus est. Sanitatis cōpos recreetur.

PELAGONIVS.

CARDIACVM hæ notæ demonstrant. Equus continenter humum capite compulsat. ilia subinde demordet. conquiescens etiam sudore digeritur. Cui ita, si malo ferendo fuerit, subueniendum. Sinapis, laseris, singulorum quod fabæ magnitudinem impleat, mellis acetabula duo, aquæ calidæ cyathos duos in aceti cyathis quatuor vnà terito: misturā propinato: insuper equū agito: viride pabulū obijcito. Postquā sanitati fuerit restitutus, tēdonū venas sauciare, & à posterioribus partibus sanguinem emittere conueniet, quò lōgiori sanitate fruatur.

Eumelus ad dolorem cordis.

CORDIS dolor cognoscitur, cum equi dexter oculus collachrymat, & genua labant. tū sanguis, vti præcepimus, detrahatur: sorbitio per sinistram narē infundatur, quæ habeat seminis fœniculi acetabulum, anisi tantundem, vini candidi heminā. hæc miscentur, factaq; sorbitio per triduū ingeritur. Si permaneat dolor, sanguis è crure mittendus, deinde laserpitij radix instar fabæ, nitri tantundē, mellis acetabula duo,

calidæ aquæ quatuor heminæ, cum vna aceti hemina commiſcētur, & faucibus infunduntur. Aut ſcylla & ariſtolochia, thus, myrrha, thymus, vino excipiuntur, miſturaq́ꝫ per nares immittitur. Sed animal operiatur ſtramētis. Omnis ſtabuli ſpurcitia deuerratur, quòd mundum cubile deſideret. idq́ꝫ myrrhæ & foliorum lauri nidore ſuffiri debet. ſed abſtineatur hordeo.

Apſyrti de nephritide, Cap. XXX.

NEPHRITIDIS indicia ſunt hæc. poſteriore parte tractim progreditur, reſolutuſq́ꝫ vacillat: & inter incedendum, parietes ambit. Hunc igitur aduremus qua clunes ad veſicam coëunt, arrectis clauis non pluribus quatuor & viginti, vtrinq́ꝫ ſecundum ſpinam duodenis, ternos verſus efficientibus.

HIEROCLES.

NEPHRITIDEM hęc ſigna portendunt. teſtes ſublimes tolluntur. poſterioribus pedibus non inſiſtit equus, & vrinam facit nigram, cruore perfuſam, craſſamq́ꝫ. Cui ſic ſubueniendum eſt. Clunes & lumbi fouētur, delinunturq́ꝫ cerato. Veſtimētis equus muniatur. Obijciunda ſunt quæ vrinam cient, & humori mouēdo ſunt, vt fœniculum & apium. Viridis medica danda, & cādidum cicer in vino præbendū, deinde apij binarum ligularum inſtar, dauci pares modi, anethi binæ portiones, myrrhæ terni oboli. hæc terūtur, & in paſſi hemina infundūtur. Leni greſſu procedat. Tepida aqua quę congium impleat, per ſedem ingeratur. Culmis mollibus cubile ſubſternatur. Si vero ſynceram vrinā ferri cōſpexeris, teſtes gracileſcere, ac pedes poſteriores ſenûm digitorū ſpatio minus ſupergredi, non aliter ſentio quàm, vt Cleomenes Lindius prodidit, vſtam verbaſci radicem in vino conterendam, & addito pari aquæ modo, in aluum ex inferioribus partibus indendam. Sunt qui præcipiant farinam tritici præſtandam, fœnum bonum, & panem quantum voluerint exhibēdum. Item cicer dandum. ſed lenibus exerceatur ambulationibus.

TIBERIVS.

NEPHRITIDIS ſigna ſunt huiuſmodi. Nerui ex quibus genitales partes depēdent, quos Gręci cremaſteras appellant, impleti turgeſcunt. ilia palpitant. pedes ſubſiliunt. oculi tanquam emiſſitij ſuſtolluntur. ingredi non poteſt, quòd erecti renes incumbant. Quod ad curandi rationem pertinet, ſanguis inguinibus emitti debet. Cibus eſt ſubtrahendus. Hac potione vtēdum. Thuris ſextās, fabæ freſæ quarta pars, hęc minutiſſime detrita cum melle cōpluribus diebus per

nares infunduntur. Progressibus subinde credatur. Deinde tali sorbitione vtẽdum. Catulus genitalibus locis exẽptus, in ptisana feruescat, & cũ melle colatus, per os multis diebus infundatur, dum ad sanitatem ventum sit.

Nephriticorum præsagia, & curatio.

SI EQVVS aut veterinum aliud hac mala valetudine corripiatur, hæc aderunt indicia. nõ oscitatur omnino, nec hiscit: partibusq; posterioribus inniti nõ potest, sed subinde status mutat: inter gradiendum prioribus deficitur: posteriora in gyrũ torquet, quasi circulos ducat. nonnunquam vtraq; in orbes implicat. malleoli crassescunt, & tardiores deprehenduntur. Morbus discutietur si calida aqua spina dorsi largius foueatur. Si renes equo dolent, ilia & testes micant. lotium ægre it. posterioribus pedibus circulatiore motu, quàm prioribus graditur, & solito magis hinnit. Hac curãdi ratione subuenitur. Hastulæ regiæ radix in meraco vino decocta, mox trita cum aqua egelida, subijcitur aluo. renes quoq; calidioribus vnguentis demulcentur. Equum si renũ dolores excruciant, lac ouillum instar vnius heminæ per triduũ infundatur, aut tãtundem ceruinæ medullæ decoctę cum oleo pari. Aut odorata potio, quam vocãt aromaticã, cum vino, oleo, melle, & ouorũ liquoribus immittatur. Vino, & oleo, & nitri spuma perfundatur: & vbi calida adhibueris fomẽta, dorsum pannis inuoluere prodest. Hoc vitij genus citatiore discursu cõtrahitur. Renũ dolores abigit hæc mistura. Piperis, petroselini, troglodytidis myrrhæ, singulorum triẽs, spicæ nardi, seminis apij, castorij, singulorum vncia, lachrymæ papaueris sextãns, anisi, casiæ, singulorũ triens, si hæc tusa cretaq; ligulæ plenæ mensura propinẽtur cõdito diluta. Renum inflãmatione, quam nephritidem appellant, tentatur equus, cum nimia sarcina grauatus, ferendo oneri cedit, aut vbi lacũ transilijt. Cui peculiare est vt posteriores pedes subsidãt. Solet etiam vitiũ concipi cum eximium frigus sensit. Curatio itaq; erit, vt lumbi calida perfundantur: adurẽnsq; medicamentũ, cum vsus poscet, adhibendũ.

Sequens potio ijs auxiliatur, quos renum dolor male habet. vndecim cupressi gallæ cum adhuc virent cremantur, quibus tritis, nitri siccati & triti, & olei primæ notæ, singulorum quadrans adijcitur, & in vini veteris sextarijs quatuor hac mistura per quatriduum equus saliuatur. Quòd si vehemẽtior quàm vt ferri possit dolor vrgeat, vngularũ venæ soluentur, & sanguine qui profluxit, ex axũgia & oleo delibuti renes leniũtur. Quòd si necessitas efflagitet, malagmatis vti nõ erit alienum. Renum dolorẽ leuat, & lassitudinẽ discutit acopum, quod habet olei libras decem, euphorbij deuncem, siccæ radicis chamæleonis trientem, olei cyprini libras duas, sulphuris ignem non experti trientẽ, piperis, radiculæ, singulorum quadrantẽ, pyrethri sextãtem, hęrbæ pedicularis, tapsiæ, singulorum trientem, syluestris cucumis radices

aridas, omnia sicca contundito, cribrataq́ oleo rigato, dum mellis crassitudinem contrahant. vitreo vase recondito, & cum res postulabit, vtitor.

De lumborum doloribus.

SI DOLOR equi lumbos infestet, signa hęc adsunt. Posteriora circunuertũtur, & interversandum aberrãt, & identidem lapsantur. cui mederi oportet vrentibus medicamentis. Exorsus igitur à flexu ad genua, vtrinq; candens ferrum compellito, vt quod igni deflagrat, penitus adigatur. locus siquidem graui cõstat carne, quæ non facilè premẽti cedit. dein friatum salem parti glabræ respergito. mox admista calida aqua vinum & oleum inspirato. panem quoq; hordeaceũ merum vbi perusseris terito, & ambustæ parti linito. Pecus non antè agito, quàm cõplures dies exigantur, & quàm plurimo cibatu firmato.

Vnguentum lumbis efficax.

ACETI, bituminis, sulfuris viui, opopanacis, pares modi miscentur, & eo, cum poscit vsus, imbuuntur ad leuandos lumborum dolores. Brassicam tritam adiecta vini hemina cum frigida aqua imposuisse prodest. Item cupressi folia in puluerem detrita qui mensuram heminæ compleat, addita polentæ libra, aceto subiguntur, & dolenti loco admouentur. Itidem aridæ resinæ sextans tantisper coquitur, dum eliquescat. hordeacea farina, & caprillus adeps, adijciuntur, eousq; dum spissescat. hæc affectæ parti calida imponuntur, & subinde applicantur.

Dolorum coxendicis remedia.

SI DOLOR coxendicẽ male habeat, posterioribus cruribus perinde quasi vinctus esset, ingreditur. Sanguis igitur vtrisq; inguinibus extrahitur instar quatuor heminarum, & multa calida perfunditur, & inspiratis oleo vinoq́ defricatur. sic enim ex toto cõualescet. Si ne sic quidem is morbus discutiatur, in orbem vtraq; coxẽdix candentibus ferramentis exulceranda. Reliqua curatio vti scriptis antea mãdauimus, adhibenda. Si à ceruice equi posteriorem in partem rigente, aut vndecunq; coxendix indolescat, protenta cauda venæ verberentur: quæ vero distẽta magis ad ictum intumuit, scalpello soluitur. At vero equus qui hoc vitio corripitur, frequẽtiorem spiritum promit, lumbos eius & spinam dolor exercet. Tum hac vtendũ curatione. A fœminibus & vngula sanguis emittẽdus. Agglutinãda quę repellant cataplasmata. Fotus etiã adhibendi. Equili calido continẽdus, in quod nullũ frigus aspiret. Ischiadicorũ dolorẽ finit medicamen quod habet colophoniacæ librã, terebinthinæ, veteris olei, singulorum sesquilibrã, opopanacis sescunciam, galbani sextantẽ. Sed quod

constat euphorbij vncia, adarces, alcyonij, singulorū sescūcia, baccarum lauri triente, piperis vncia, cyprini olei sextāte, inter valentissima auxilia est. Si rupta coxendix, aut collisa est, equus anhelat crebro, & gemitus exprimit. venter flatu distenditur. Lumbos igitur, & doloris sedem manibus contrectes: & vbi vinculis equum coërcueris, candente ferro locum oportet exulcerare. sic noxius humor euocabitur, qui putris oui luteū repræsentabit. Itaq; friatum salem, & irrigatum pice, vlceri ignem experto instillabis.

Claudicanti equo quod remedium adhibeatur.

HVMOR ruens in pedes, claudicationem adfert. quod cum accidit, vngula statim inspicitur. tactus autē iniuriam demōstrat: nec equus vitiatam partem vehemētius premi patitur. Sed si humor adhuc supra cornua pedis in cruribus est, assidua fricatione discutitur. vel cum ea nihil ꝓfuit, scarificatione demitur. At si iam in vngulis est, scalpello leniter aperies. postea vrina vetere fouebis, & asperso sale, spōgia vel pānis deterges. deinde seuum bubulū vel caprinū lamina ferri cādente instillabis. Postremo pannis aut solea spartea pes induitur, quousq; pedibus valeat insistere. maximeq; datur opera, ne in aquā pedem mittat, vt sicce stabuletur. Hic idem humor nisi emissus fuerit, saniē creabit. qui si suppurauerit, tarde procurabitur. ac primo ferro circuncisus, & expurgatus, deinde linamentis oleo vetere, melle, & erui farina madētibus, inculcatis, mox punico malo & ficis cōtusis, & linteo superinductis, ad sanitatē perducitur. Si dolore neruorū claudicat, oleo & sale genua poplitésq; & crura cōfricanda sunt, donec sanetur. Si genua intumuerint, calido aceto fouēda sunt, & lini semen, aut miliū detritū, conspersumq; aqua mulsa, imponēdum. Spōgiæ quoq; feruēti aqua imbutæ, & expressæ, atq; melle litæ, recte genibus applicantur. Quod si tumori subest aliquis humor, fermentū vel farina hordeacea ex passo & aqua mulsa decocta imponitur: & cum maturuerit, suppuratio rescinditur ferro, eaq; emissa linamentis curatur. Minus tamen claudicabunt iumēta, si opere disiunctis multa frigida lauentur pedes, deinde suffragines, ac coronæ.

Hierocles de ventris dolore. Cap. XXXI.

CVM VENTER equo dolet, signa sedulam desiderant animaduersionem. nōnulli enim tāquam vrinæ difficultati medeantur, cōmouentes, efficiunt vt nōnihil intra animantē rumpatur. aluus autē quietem postulat. Sudor itaq; ex lateribus ilijs & testibus prorūpit. venter eminulus attollitur. Pecus solum pedibus pertūdit, & in affectā partem vtrinq; volutatur, quasi doloris sedem nutu demonstret. Interdum corpus totum intremiscit. Sed hæc accidunt etiā equo quem vrinæ tormina

fatigant. Verum reliqua non exprimit signa quibus vrinæ difficultas deprehenditur: de qua consequenter nobis differendum erit, si modo quibus remedijs sedetur dolor ventris, dicere proposuimus. Pertusis pectoris venis sanguis multus elicitur, & vncta manu per anũ inserta, fimũ quod trãsitum precludit, extrahitur, tenuisq; sal instar acetabuli subditur: crebroq; proritãdus vt alui recrementa deijciat. ita dolor finietur. Porro multa calida fouere terga coxendicesq; proderit, & betæ decoctũ cum passi sextario per sinistrã narem infundere: aut ficos in quatuor heminis vini coctas, quibus nitrum tritum fuerit adiectum, ingerere: aut polij foliũ itidem in vini sesquihemina decoctũ indere: dein agere currentẽ, sed nõ tam concitate, vt anhelet. hordeo per triduũ abstinere. Quin & intra diem quàm equus noxã traxit, nulla potestas aquæ faciunda est, sed viridi tantũ fœno sustinẽdus. Post triduũ hordeum sensim copiosius ministretur. Interest quoq; doloris causam didicisse. Cum ad intentiorem cursum extimulatus equus subito cõquieuit, statimq; hordeũ deuorarit, id minime concoquit. quo fit vt cibi maior pars indistributa coẽat. hinc ventris tormenta concitantur. Aut si fœno vescens, exilem araneũ phalangio consimilem ederit, quem buprestim appellant. Siquidem vsq; adeo inflãmatur equus, vt se ipse in terram allidens deturbet. Cui folijs brassicæ tritis, adiectis vini sextarijs duobus, & olei hemina, succurritur. Absinthium etiam in vino coctum per sinistram narem infunditur. Venter sulfure trito in oleo quod satis eliquescat, inducatur. hordeũ aqua perfusum betæ adijciatur. Eadem ijs quos vermes torquent, præsidio sunt.

Theomnestus ventris dolori.

VENTRIS dolor equum exercet si cibos non concoxit, sed crudus integrum hordeũ deijcit. quod si in ventre diutius remanet, cum sitis ob cruditatẽ excruciet, liberalius ebibit. hinc hordeum sucto humore tumescit, aluumq; replet, & tormina ciet. & nisi celerius excrementa ventris exigãtur, periculo locus est. Oportet itaq; clysteribus oleũ & aquam ingerere, & per sedem inserere manũ vnctam, & continuo fimum elicere. pastillum quoq; cum scammonio instar oui vnius in anũ indere. sic vtiq; venter resoluetur. Horũ similia quædam ostendit ventris cruẽta proluuies, quam dysenteriam vocãt. sed refert, quòd priuatim sese demordeat equus, & ventrẽ passim dentibus sauciet, molestia in sese sæuire stimulante. Cui brassicæ succũ ex oleo & vino per sinistrã narem oportet infundere. Sit autem modus vini sextarius, & olei pars quarta, brassicæ succi tantundem. Subinde causis alijs cõpluribus venter dolorẽ contrahit, vt cum delitescentẽ in fœno buprestim deuorarit (est autẽ similis phalangio vermis) aut cũ araneum cognomẽto lycum depastus est, quod frequẽter in fœno natũ residet. Aquarum quoq; vitio accidit, dumq; peregrinarũ nouitate tentatur. Cum

adhuc malum id recẽs hæsit, potionem infudisse proderit. Si dolorem quoq; ventris, tineæ crearũt, cum dolore crebro se volutat equus. cui psyllij tunsi, scobis ceruini cornus singulas vncias, cum opopanacis semuncia permiscere oportet, & in aqua mulsa infundere. mentæ decoctum detur potandum. teneris lauri cacuminibus vescatur. Si vrinę difficultas huic vitio succedat, oleum cum drachma cretensis opopanacis ingeritur.

Verminosæ alui doloribus.

Solẽt vermes quasi lũbrici nocere intestinis. quorũ signa sunt, si iumenta cum dolore crebro volutãtur, si admouent caput vtero, si caudam sæpius iactãt. Præsens quoq; medicina est inserere manum, & fimũ eximere, deinde aluum marina aqua vel muria dura lauare, postea radicem capparis tritam cũ sextario aceti infundere. Nam hoc modo supradicta intereunt animalia.

Eumelus ad ventris dolorem quem vermes excitarunt.

Aquæ quæ potanda præbetur, aut fœno quod estur, nitri paulum adijciatur. succus brassicæ in passi hemina mistus, & per sinistrã narem defusus remedio est. chamæmelũ ex vino & oleo tritũ per corniculũ infũdi prodest.

Tineosæ alui doloribus.

Ventris dolor creari consueuit, quando vermes vicinas parteis lancinãt, suisq; vellicant morsibus. tum sine vlla cruciatus intercapedine torquetur pecus, & crebro volutatur. venter intumescit, & admouet oculum & os vtero. Suprascriptis remedijs est pugnandum. sed si tua fert opinio, centaurium & syluestris cucumis radicem admiscebis. Iuuabit etiam ex inferioribus partibus medicamenta quædam indidisse. Siquidem nitrum & oleum pari pondere viridi betæ miscentur, adiecto decocti iure in quo capræ caput cum gallinaceo sit incoctum: & ex ptisanę cremore instar sextarij commode subter in aluum dantur. Cum autem dolor inuadit, fomẽtis venter muniatur, aut apij semen tritum, aut trisago friata cum myrrha in vino candido odorato suffunduntur.

Pelagonius cõtra colicos cruciatus, & hos qui putri fœno noxã cõceperũt.

PELAGONIVS Lucio salutẽ. Colicorũ indicia non omnibus habẽtur conspicua: quando non ijs dissimile quiddã intestinis valetudinibus accidere solet. Hoc vno tantum dissidere videntur, quod sine vlla doloris intercapedine grauioribus molestijs adficiuntur, quam qui cardiaco morbo languent, aut torminibus excruciantur. quorum sequaces notas ab ijs edocti subinde cognouimus. Stans pecus subito cõcidit, perinde quasi comitiali morbo corripi putetur. interposito tempore ad se redit, dein nec multo post recrudescit dolor, & languor refricatur. sese quoq; proiectans decumbit. cum frigidam ebibit aquam, tremore concutitur, &

ſudore diffluit,ac ægre ſpiritus eliditur,& quaſi per anguſtias euadens animantẽ angit. Quibus ſequenti potione,vt Celſus eſt author,auxiliari cõueniet. Radicis põticæ,piperis,allij,petroſelini,ſeminis fœniculi,piperis nigri, marrubij,abrotoni,ſingulorum vncia,aneti ſcrupulus,libyſtici,cẽtaurij,ſingulorũ vncia,aiugæ ſemũcia,eupatorij ſextula,pulegij mundi,rutæ,ſeminis apij,ſingulorum vncia,eupatorij,gingiberis,ſemuncia, mellis primi meriti libræ duæ,ſicca tunduntur,& incerniculo creta,melle excipiũtur. cum neceſſitas vocat,auellanæ nucis tuberculo cum ſextario tepidæ aquæ medicamẽtũ ingeritur. Aut mellis quaternæ ligulæ, farinæ thuris vncia,aceti coclearia quina,vini veteris hemina,omnia contrita in treis portiones digerũtur, vt triduo per os indantur: ſed ſtragulis opertum pecus cogatur dimoueri. Sunt qui corticem capparis in fumo ſuſpenſam deſiccent,dein ex pipere & vino tritam propinent. Si equus fœno putri noxam contraxit, primum inconſtans ſpiritus erumpit,ſemperq́ micãs vibratur:debili nititur greſſu. Huic è ventre & armis ſanguis emittitur. defruto pecus ſaliuatur. hordeo abſtinetur. Cæterum remedijs eſt vtendum quæ vrinæ ciendæ ſunt.

Idem ventris dolori mulcendo.

AD LEVANDVM ventris dolorẽ proderit panacis radicis ſcrupulos duos,ariſtolochię ſcrupulũ in odorifero vino cõtriuiſſe, & faucibus infudiſſe,aut ſeminis rutæ acetabulum ex vetere vino præbuiſſe, vel ſolani & naſturtij tritum in vino & oleo ſemen egelidum indidiſſe,aut ſtillatitiã myrrham,quam ſtacten vocant,in ſextario vini veteris addito ſalis callo. Sed prius hoc medicamentum candenti ferro ſit inuſtum,deturq́ tepidum. Quinetiam humano ſtercore palatum pecudis infricuiſſe iuuat. Itẽ leporis fimum cum nouem coclearibus mellis,& piperis quindecim granis,in pila tritum, cum ſucco braſſicæ per corniculum vtiliter infundunt. Aut ſuillos tres talos,quos humani dentes nondum attigerunt,crematos,& in vini & olei hemina contritos inferunt. Sũt qui ventris & inteſtinorũ dolorem ſedari viſu nantium, & maxime anatis,putent: quam ſi conſpexerit cui inteſtinum dolet,celeriter tormento liberatur.

Apſyrti de iocineris dolore, Cap. XXXII.

SI IOCINERIS dolor equum exercet,identidem cõuertitur,& doloris ſedem veluti oculis luſtrans oſtendit. Gemitus quoſdam exprimit. os aridum adeſt,nec ſaliuis fluidum: qua re lingua exaſperatur, & ſimul intumeſcit. Concidens huc illuc verſatur,nec ſuper hoc viſcus decumbere valet: verum cum volutatur,dolores recrudeſcunt,& longe magis infeſtant: excituſq́ ſubinde conſurgit. Quod ad curandi ratio-

nem pertinet,exiguis exercitationibus dimoueatur. Compluribus ſtramẽtis aut aceribus contegatur,quibus molliter incubet: & olei & vini confrictionibus demulceatur. Egelida potione cũ nitro ſaliuetur. ſed quotidie nõ eſt dandum nitrum. Polij folium in vino decoctum,& per os aut ſiniſtram narẽ defuſum,vtile eſt. illyricam irim tũſam in vini aqua diluti duabus heminis itidẽ oportet ingerere. Præſens auxiliũ eſt polemoniũ hærbã ex vino terere,& conſimili modo ſuffundere,quæ latioris calaminthę ſimilitudinem refert, ſed longe magis incaneſcit, amariore guſtu, odore graui. naſcitur in vliginoſis pratis. aut conyzam,quæ quibuſdã cunila dicitur,incoquere conuenit,& ex vino & oleo fundere. Hordeũ quod debet obijci,prius aqua calida madeſcat. Nec ſecus tuſa polemonion hærba hominibus illita ſalutaris eſt. Ad eadem cunila adiecto oleo efficax erit.

THEOMNESTVS.

SI IECVR equo doleat,tuſſiens gemitus exprimit,oculi vitiãtur. etſi ſolito voracius exeſt,ſitq́ cibi copioſioris edax,potũ tamen reſpuit. Cũ ſic afficitur,hoc infuſum medicamen ſubueniet. mellis pondo,nitri ſelibra, vini candidi hemina,aquæ ſextarius, miſcentur,dum in vnitatem coëant,& diebus quinq́ per narem dextrã demittuntur. Si per hæc ad ſanitatem ventum non eſt,ſanguis à prioribus pedibus emittendus. ſi hæc non ſoluerunt,tertia ab alis coſta, lignea rude candenti cõburenda. ſed vna inter vtrunq́ ſinum coſta prętermittatur. verum igni flagrans ſtolo digitos quatuor exarato verſu non excedat.

AGATHOTYCHVS.

SI DOLORE iecur prematur,has notas equus præmõſtrat. præcordia dextra parte tument. tetrum ac grauem halitum exſpirat. curſitationibus inferior cedit, & inter gradiendum pigrius poſteriora crura mouet. equile refugit. Ea victus ratio ſequẽda eſt. ſalubri cibo & humidiore roborandus. in leuiuſculas ambulationes prodeat: ſed exercitatione prohibeatur. paulatim pabulum eſt dãdum. dãda opera vt molliter incubet. pingui perũgatur. aqua detur in qua abrotonum ſit incoctum. ſiquidem potionibus magis quàm infuſis medicaminibus morbus abigetur.

HIPPOCRATES.

SI IOCINERIS dolore conflictetur equus, à curſu præcordia ſentiũt exulcerationẽ. nõnihil in pulmonibus rũpitur. cõcidit corpus. pabulum faſtidit. venas recurrens ſanguis explet. Hunc ſanguinę à ceruice miſſo curabis,& myrrha & thure inſtar denarij cum vini he-

mina infusis, vino & oleo collues. Sed pecudis fastidio succurratur, dato similaginis cremore. Eo siquidem gustu sæpe cupidinē edendi bibendiq́ concipit. Si vitiū permanet, ab vtroq; alarum sinu sanguinem detrahere conueniet. Quosdam hoc vitium cepit, cum per lapidosum solum, aut per aspera loca vel lapidibus constrata vehementius procursarint: quibus acetabulum cumini cū vino & oleo immisisse satis est. Porro mellis, nitri, singulorum acetabulum, cumini acetabula duo, eodem mittuntur, & olei & aquæ singuli sextarij super hæc cōijciuntur, & per nares inserūtur. Si ijs bona valetudo reddita non est, sanguis à prioribus cruribus sub genua detrahatur. Si ne sic quidem dolor finitus est, sub alis tertia costa candēti virgula vel bacillo per medium aduratur, interiecto quatuor digitorū spatio, quò magis igni facta vlcera distent. Lacustres ranas cum vino tepefactas produnt, si triduo per os ingerantur, opitulari. Hæc potio iocinerosis præsidio est. Punica nux quàm tenuissima, croci vncia, cumini æthiopici tātundē, ea diligentissime creta, in vino præbētur. Item polemonium auxilio est, quod in palustribus enascitur, calaminthæ similitudine, amaro gustu: syluestre origanū, cum farina piperis, & vino. aut butyrum & mel, opopanacem & myrrham, æquis ponderibus trita, & cum vino mista, per nares vtile est infundere.

Apsyrti de vrinæ difficultate, dolore ventris, item de stillicidio, & suppressione lotij, Cap. XXXIII.

CERTIOR factus sum, domine Aeliane, tibi satis exploratum esse plerosq; veterinariorum, quòd vitia quæ equis accidunt, non definiant, aduersa remedia sæpius attulisse. Quare dolēti ventri non secus atq; difficultatibus vrinæ subueniūt, animaliq́ nonnihil mēbrorum cōtingit delibari. In eo igitur quē dolor ventris male habet, hæc indicia notantur. Latera, testes, & ilia desudant, vēter sustollitur, pedibus terram cædit, & in partem vtranq; conuertitur, perinde quasi dolentem locum designet. nonnunquam toto corpore tremor exoritur. Hæc ei signa quem vrinæ difficultas manet, euenire solent: è quibus insuper indicijs iam hærere vitium deprehēditur. Cum procurrit, sub fœmina sese cauda verberat, & subinde volutatur, clunésq; demittit, & genitalē exerit partem, vrinamq́ guttatim reddit, quasi micturientis speciē præbeat. Hæ itaq; sequūtur notæ. Equus qui vrinæ difficultate laborat, medicamētorū infusionibus procuratur. Porri fasciculus cum folijs decoquitur, & succus, si eo vti placet, qui heminas duas impleat, exprimitur, quo cum vna vini odorati misceatur: & addito olei acetabulo, per narem dextram infunditur. Dein ambulare debet equus, & excurrere, vt resolutis impedimentis vrinam profundat. Itidem absinthium decoquitur, & cum hemina vini ingeritur. Nec secus opopana-

cis quod parui digiti caput æquet, teritur, & in eadem vini mensura vti scriptum est demittitur. Aut radicis eius quæ estur, vulgo edulem raphanũ vocant, semen instar duorum cyathorum detritũ cum vino inseritur: qua veluti præmonuimus vtendum. Vel seminis apij tunsi cyathũ eodẽ modo dari conuenit. Melius respõdet, si hipposelinum ex vino detur, & erratici fœniculi, quod hippomarathrũ vocãt, radices similiter infundãtur. Sed præsentius auxiliũ erit, quinque longæ ceruicis cepas, vt quæ maiore acrimonia præditæ sint, detractis exterioribus tunicis fractas indere sedi: dein ad progressum aut cursitationem exeat. sic equus vrinam egeret. Quinetiam calidæ aquæ fomẽtum auxilio est, qua clunes subinde perfundãtur. Planius à veritate desciuerunt qui corrigendam esse vesicæ conuersionẽ contẽdunt, cuius gratia manum intestino recto per anum insinuant, vesicam tamen contingere nequeunt, cum manũ in intestino contineant, vesicaque ossi quod sacrum dicitur, insideat, nunquamque sua sede lapsa declinet. Pruritum foramini quo meat vrina, manus inserta ciet. Quanuis interdum manu vrinam moliantur. Verum qui solum sedé tenus hãc admouent, nihil negotij facessere possunt. qui vero penitius impellunt: cum nihil equo commodant, tum etiam noxa ingenti afficiunt. siquidem manus attritu longe maior inflammatio dolorque concitatur, quàm ab equo possit perferri. Quare vel protinus vel paulatim ferè pecus in perniciem agitur: quippe quum equo & veterinis omnibus quæ solipeda sunt, tria hæc vitia in acutissimis numerẽtur, vesicæ malum, intestini conuersio, quæ græcis ileos dicitur, & cardiacus morbus. reliquos affectus cõpluribus diebus sustinẽt. Hi etiã morbi cõfestim equos conficiunt, nisi celerrime subueniatur, hordeatio, strangulatus, ventris dolor. Equo qui ventris dolore conflictatur, auxiliari hũc in modũ oportet: pectoris venas scalpello sauciare, quibus copiosus sanguis profluat, & inuncta manu & per anum inserta fimum eximere, quod naturales exitus obsidebat, salẽ instar acetabuli & mel indere. his enim excernẽdi cupiditas inuitatur, & ita dolor profligatur. Quin & dorsum & clunes calida multa fouere proderit, & betæ decoctum cum vini dulcis heminis duabus per sinistram narẽ infundere. Item decoctas ficos in quatuor heminis aquæ tritas adiecta nitri vncia in fauces dare: idem poliophyllo in vini hemina cocto præstare. in ambulationem & excursum procedat, modo non citate nimis agatur. Hordeum omnino subtrahatur, nec prorsus ante triduum erit obijciendũ. Die quo vitium traxit, ad potãdum non appellatur. Si viride fœnum tẽpus anni ministret, illo præsertim vtendum. Hordeũ transactis diebus aliquot sensim liberalius erit præbendum. Rationem inire quàm optimum est, atque causas nosse quibus difficultas vrinæ concipitur: quæ à nullo adhuc authore literis mandatæ sunt. At vero accidit vrinæ difficultas plurimum cum iter agens equus aut die toto cursitãs in via lotium non excreuit. Hoc igitur de-

clinantem compellere conuenit, & vrinæ faciũdæ desiderio solicitare. Nam meatus ille qui à genitali ad iter vrinæ tendit, inflammationis iniuriæ patet: quæ si concepta persuasit, ægre lotium redditur. quæ causa dolores mouet, & vehementius tormentis implicat. Interdum quòd sistens diutius intorpescat, nec exercitationibus committatur, tunc acerrimos humores parit, qui in vesicam delapsi, fistulæ qua lotium fertur, morsum infligunt. quam ob causam stillicidio vrinæ tentantur. Subinde cũ ingruit hyems, & exuperans frigus aspirauit, vitium corripiunt. Itaq; iuxta succendere ignem oportet, propter quẽ stans equus lotiũ excernet. Id quoq; cognoscas licet, quòd si magnam rhododaphnę vim esitarit, vesica rumpitur, quòd arteriæ quæ per dorsi spinam tendunt, refrigerantur, & solutę fathiscunt, quibus adiacẽs inhæret vesica. quare nihil mirum si rupta dehiscat, breuiq; mulus in perniciem spectet. Equum autem, quòd calidiore constet natura, celeriterq; cibos concoquat, id malum non manet. Dolor ventris cruditate cõtrahitur, aut cum integrum hordeum crudus per aluũ exigit: vel si copiosius inculcauit, venter potionis plenus turget, & dolore distẽtus laborat, & torminibus exercetur: aut cum gallinæ pinna in fœnũ inciderit quod obijcitur, eamq; deuorarit, redundantiam torminosósq; cruciatus ciet. Animalis etiam genus in fœno creatur quod buprestim appellant, phalangio proximum. Hoc vbi pecus ederit, incendio flagrat, ac periculo non vacat. Itidem vitio aquarum accidit, aut cum afficitur peregrini pabuli nouitate: interdum cum vermes aut tineæ occupant aluum. ab ijs enim dolor ventris excitatur. Sed tineosæ pecudi non ita periculo locus est, quòd hæ intestinis insident, faciléq; per lubricos interaneorum meatus euadunt. Vermes longe maius periculum adferunt, quòd propter tenacem ventris scabritiem difficulter abigantur. His itaq; notis verminationem præsagies. Equus sese iactat, terramq; præ dolore mordicus adprehendit. Si interanea vermibus scateant, hoc vtendum remedio. Brassicæ folia quàm leuissime trita, cõfusis vini sextarijs duobus, & vna olei hemina, per læuam narem infunduntur, sulfure cum oleo trito venter inungitur. Huic malo coctum in vino absinthium subuenit. Hordeum oleo perfusum præsertim tineoso generi huic obijciundum. Id quoq; vrinæ difficultati remedio est. Verbenacæ acetabuli modum in vini heminã demissum infundere proderit. Itidem cyrenaicus succus tuberculo fabæ, & nitri torrefacti drachma in vinum demissa, & vt antea scriptum est, infusa, salutaris est. Vt vrinæ reddendæ libido lacessat, propellatur is in locũ vbi cæteræ pecudes meiendi causa concurrunt. quo cum ventum erit, quàm celerrime vrinam emittet. Quòd si is locus proxime non adsit, prodigant in lutosum: & sic illectus hac colluuie faciet vrinam. Hoc prudenti rei rusticæ Magoni Carthaginensi refertur acceptũ. Asserit autem, cum vrinæ difficultate torqueatur equus, si priorum pedum ex infimis vnguibus delimata

ſcobis in hemina vini per nares infundatur, cieri vrinam. Hoc etiam apud Sarmatas didici. Equum oportere aiunt ſtantem tenere, veſteq; inſtrata à ceruice ad veſtigia contectum, atq; ita ventrē teſteſq; caſtorio ſubiectis carbonibus ſuffire: & vbi vas vnde conceptus nidor eructatur, ſubtractum fuerit, pecus agitare. ſic quàm celerrime lotium mouebitur. Quinetiā oportet balanum ſale & melle coactam inſtar oui, ſedi ſubijcere. hoc etiam vtriſque remedio eſt, & eis quibus venter præ dolore tumet, & qui vrinæ difficultate cruciantur. etenim hærentem vrinam euocabit. Doloris qui in excernenda vrina cietur, tria ſunt genera, quæ ſecundum rei euentū appellationem acceperūt. Siquidem vrinæ difficultas dicitur, cum lotiū ægre it, & magno negotio editur, dyſuriā Græci vocāt. Deſtillatio vrinæ, cum guttatim emittitur, & paulatim deſtillat. ſtranguriam nominant. Vrinæ ſuppreſſio, cum pecus omnino vrinā emittere non poteſt. iſchuriam appellant. Quorum duobus, vti ſcriptum eſt, auxilium adfertur. Si remorans prorſus vrina ſic hæret, vt meiere nō poſſit, periculo nō vacat, nec facilè remediū adhibetur. Cum autē obijciuntur quæ acri facultate prędita ſunt, vt pellant vrinam, ea in vrinario meatu pruriginē creant: multoq; magis inde vitiū gliſcit. Cui cōuenit dictū locum ſpongijs aqua calida imbutis fouere, & medicamētis quæ infunduntur, vti paſſo aqua calida pari diluto. ſed non duas heminas excedant. Hoc idem hydromelite præſtari ſolet, etiam ſi læua nare ſuffundatur. Decoctum betæ huic vitio ſubuenit. Nec ſecus maluæ decoctū ex paſſo fuſum auxiliatur. Viride fœnum exhibēdum eſt. ſed ſi non adeſt, ſiccum aqua mulſa conſpergi debet. Nec aliter reliqua'quę obijciūtur pabula, eadem mulſa perfundantur: quando taliū obiectu prurigo diſcutitur, nec erigitur coles. Opus eſt autē hordei cremorē aqua mulſa diluere, & ad hunc modū prębere. Siquādo fœminā accidat vrinæ tormento conflictari, mas ſalaciſſimus, qui flagret ardore coëundi, obijciēdus. ea veneris ſtimulis illecta, confeſtim vrinā emolietur. Ac, vt ſummatim dicā, indicia, & horū morborū curatio, ita ſe habent.

Ne veterina ſtillicidio vrinæ vexentur fluuium nacta.

Cum hyeme veterina iter faciētia in amnē inciderunt, in quo fluentū ita ſit ingens & altū, vt eorū dorſa prolui poſſint, tū diſiūgi ea oportet, & ſtimulari vt vrinā faciāt: rurſus cœptū iter proſequi. Quod ſi tentatum nō fuerit, facilè in quibuſdam vadis vrinæ ſuppreſſione torminibuſq; corripiuntur.

HIEROCLES.

TRES morborū vrinæ ſpecies. Vrinæ difficultas eſt, quum ægre lotiū redditur: ſtillicidiū, cum guttatim ſtillans excernitur: tertia ſuppreſſio, cum remorata prorſus non reſpondet. Quod vitium euenit vbi die toto progrediens equus & excurrens vrinam non edidit: qua de re meatus à veſica ad foramen pertinens, per quem vrina fertur, inflāma-

tionem concipit. quam ob causam dolor maxime refricatur. Aut & cum diu steterit otiosus, nec exercitationi fuerit cõmissus, acres humores in vesicam delabũtur, qui trãsitus vrinæ vellicãt, ac mordicus lacessunt. Si hyeme, vt frequenter fieri solet, exuperans frigus aut gelicidium vrinæ destillationẽ attulit, ignis propter eũ accẽsus auxilio est. Neq; si rhododaphnẽ pastus est equus, ita noxam capit, vti mulus & asinus, quòd calidiorẽ sanguinis habitũ nactus, ab huius iniuria se vindicet. His autẽ signis deprendere licet. venter ei dolet, sed qui difficili vrina tẽtatur. discurrere cupit. sub fœmina caudam concutit. cum volutatur, in clunes decumbit. genitale paulatim depromitur, perinde quasi micturientis quãdam prębeat imaginem. Curandi ratio hæc est, porrorũ fasciculus cũ folijs decoquitur. expressus succus qui sextarium impleat, immista vini odorati hemina, & olei acetabulo, per dextram narem infunditur. Dein ad ambulandum pergat, aut lento cursu ducatur, & ita vrinam profundet. Itidem absinthium in hemina vini decoctum ingeratur: aut opopanacis modus qui caput digiti magnitudine peræquet, tritus in vini supra dicta mẽsura demittitur: aut seminis apij tunsi cyathus in vini odorati hemina simili modo præbetur. Melius si decoctum hipposelinum dederis, aut erratici fœniculi radices. Hoc etiam efficax habetur. quinque longæ acres cepæ exemptis corticibus ano subduntur, deinde cursim procedat, & vrina manabit. Aqua calida perfudisse clunes, auxilio est. Aut cicera cãdida nigra've coquito, deinde aquã infundens, & serpylli fasciculos duos adijciens, vbi heminatim digesseris, per os fundito. Apsyrtus eos non probat qui manu per anum inserta vesicam corrigunt. Nanq; si hanc sedi duntaxat admoliuntur, nullum exhibẽt negotium, sed interius propellentes interanea male habent. Vehemẽs enim inflãmatio concitatur, & dolor maior vrget, quàm vt ab equo sustineri possit. Quare protinus eum tollit, aut sensim morte consumit. Tres acutissimi morbi equis, & alijs quę solidam vngulam sortiuntur, insidere solent, vesica, conuersio intestinorum, quæ Graijs ileos nũcupatur, & cardiacus morbus. Alia ægrotationum genera aliquãto diutius protrahũtur: hordeatio, strangulatus, dolor ventris, equum cito rapere consueuerũt, nisi cõfestim occurratur. Difficili vrinæ piper instar acetabuli in heminã vini demissum, infusu proficit. Equus in lutosam colluuiem abigendus, sed longe magis eo vbi cæteræ pecudes vrinam emittere cõsueuerunt. ita ad meiendum illicietur. Aut hederę frõdes in sextario vini candidi dulcis incoquũtur, & adiecto nitro egelidæ, potio per narem sinistrã infunditur. Sed pecus post hæc inambulare debet. Mago Carthaginensis monumentis quæ de agricultura condidit, author est, si à prioribus pedibus abstersa vngulis infimis ramẽta, in vino trita, per nares infuderis, remorantem vrinã trahes. Valet etiam id quod vsurpãt Sarmatæ. nam equum à ceruice ad ima vsq; vestigia contectum vestimento suffiunt, ventri & testibus

subiecto castorio, quod superpositum prunis, nidorem expiret: dein ambulatum exigũt, vt vrinã accersant. Cum lotium prorsus supprimitur, aquæ calentis imbre conspergi oportet, & vinum dulce calida dilutum, quę sextarium non excedat, infundere, nec secus hydromeli per sinistrã narẽ inserere. Decoctũ betæ & maluæ ex vino dulci defusum, cum primis vtile est. Viridi fœno firmandus equus. si deest aqua mulsa, conditiuum irroretur. reliquus cibus simili modo parandus: & ptisanę cremor & hordei paretur. hęc pecus laxant. Quin & admota fœmĩna, cupidinem meiendi concipit. Aristoteli callidissimo rerum naturæ, fides habenda, qui equũ duntaxat difficilis vrinæ vitio corripi, memorię prodidit. Si alia veterũ placita sequi libet, brassicam cum folijs coctam in aquæ sextario, expressis folijs, & eiecto liquore in quo decocta sunt, addita vini hemina, & olei acetabulo, per dextrã narem infundito, vt vrinam profundat. Absinthium cum vini libra coctum, per narem immitti prodest. Quin & opopanacis quod minimi digiti crassitudinem æquet, ex vino defusum opitulatur. Simili modo radicis edulis semen tritũ in nares datur. Quinq; longioris ceruicis cepæ corticibus exẽptis induntur ano: dein progredi pergat. Sub hæc calida aqua pecoris lũbos fouere cõfert.

Hallucinantur qui manum inserendam intestino, qua conuertatur vesica, præcipiunt: quippe cum hanc vnguibus vellicent, non nisi noxam adferre possunt. Si tardius hærens vrina moretur, caninum stercus ex sale, vino & ammoniaco datũ proficit. Delibrata duo capitula alliorum, & in vino trita, iuuabit infundere, mox currentem equum agere. Ebuli, quod Græci chamæacten nominant, trita radix ex vino vetere pressa, & linteo colata, vtrisq; naribus inditur. Aqua quoq; cum pulegio datur potanda. Herbæ sabinæ decocto feruente testes equi fouentur. Si tardius vrina respõdeat, cimicem viuum in aurem inijcito, alterúmq; parte genitalis superiore foramini quo meat vrina, pertritum imprimito, & statim lotium erumpet. Porri decocti succus expressus, qui sextarium impleat, immisto vetere vino, & olei acetabulo, per nares infunditur, & deinde citatius agatur. id per triduum fiat. Si vrinam exturbare velis, lutum quod in vrina subsidit equi cuiuslibet, vino permistum, colatúmq;, in nares infundito. lutum etiam quod in vrina concretum sidit, & si fuerit exsiccatum, eãdem efficaciam obtinet. Item apij radicem cum vino dulci aut mulso tritã, per os infundes. Valet medicamentũ quod recipit casiæ, costi, singulorum sextantem, spicæ nardi vnciam, cyperi libram, hyssopi cretensis, pontici absinthij, singulorum selibrã, myrrhæ vnciam. ea decoques in aqua, & per triduum inferes: id quod ad animalia ventris propellenda, aduersus neruorũ rigores, & tussim pollet. Sunt qui tritũ ex vino araneũ præstent. Si stillicidium vrinæ vexat, suilli fimi trientẽ cum vini sextario mistum, vnáq; colatum, prębueris potandum. confestim vrina profluet. Proficit quoq; medicamentum quod habet chelidoniæ pondo vn-

ciam, fimi lacertæ pondo quadrantem, ſucci perſeæ pondo ſelibram, opobalſami pődo quadrantem, mellis attici pondo triẽtem, thuris maſculi, calcis vſtæ, auripigmenti, piperis candidi, ſingulorum pondo quadrãtem, adipis ſerpentis pődo trientem, medullæ ouillæ oſſibus pedum exemptæ pondo ſextantem, adipis anſerini, ſanguinis columbæ, ſingulorum pondo quadrãtem. ea in pila teruntur, & ita præbentur. Idem præſtabit ſi achori trium obolorum pondo, ſeminis paſtinacæ acetabulum, cum vini dulcis ſextario tritũ, per narem intuleris: poſt hoc vliginoſiore loco quàm moris ſit verſetur: & vt lotium emanet, impẽdatur opera. Radix huius eundem effectum exhibet, aut ſemen tritũ, & ex vino datum, aut cucumis ſatiuus inſtar acetabuli, aut cimex in aurem iniectus, ſi mas eſt, in ſiniſtrã: ſi fœmina, in dextrã. Tunſa radix aſparagi, & ex vino vetere feruefacta, naribuſq; ſuffuſa, medetur. Farinam triticeam cum ouillo adipe, addita aqua quæ ſextarios duos expleat, incoctã per os ingerito: vel ſeminis cumini ſextarios quatuor cũ vino vetere triduo per cornu fundito. Vel porri ſuccum inſtar cyathorum ſex cum aceti ſcyllini tribus cyathis, & melle pari, per corniculũ ori demittito. Aut opopanacis ſextarios quinq; vino & melle miſtis quinq; diebus præbeto. ſed alatur hordeo quod magna ex parte maduerit in aqua, & fœno tũſo ſuſtineatur. Si veſica ſit infercta, aut concretũ aliquid intus ſe oppoſuerit, fœniculi ſuccum & oua miſcens, & vinum quod dulceſcat, ex aqua tepida in veſicam ſuffundito, & vrinæ difficultas expedietur. Equiſetum hærbam cum vino tritam infundito. Aut vrinæ veteris ſidente luto vẽtrem ſublinito. Si deſtillet vrina, nitri torrefacti, ſucci cyrenaici, ſingulorum pondo denarij feruefacito, & ius decocti dato. ſic lotium prorumpet.

Apſyrti de rigore neruorum, & opiſthotono, Cap. XXXIIII.

APSYRTUS Numenio Hephæſtionis filio Callipolitæ ſalutem. Te nutrientem equos ignorare nolim, eos qui quodam rigore neruorum modo caput in poſteriora proclinant, modo rectam & immobilem ceruicem intendunt, hos tetanicos, illos opiſthotonicos appellari. ſed pleriq; curioſo nomenclationum aucupio ſolẽt cőplecti id quod accidit animanti. Eſt autẽ morbus opiſthotonos, cum vſu venit equo ceruicem & etiam caput intendi, aures arrigi, vt ne flecti quidem poſſint. intus oculi cőduntur, in ijſq; carunculæ angulorum qui propinquiores naribus apparent, retrorſum contractæ nudantur. labra præpedita ſunt. os dehiſcere nullo pacto poteſt. lingua ſic occupatur, vt neq; cibum neq; potionẽ capiat. Cauda reducta eſt, & dorſi ſpina rigens indureſcit, ſic vt in neutram partem conuerti valeat. Ambulans poſterioribus cruribus nequit ſupergredi, ſed intentas ſuſtrahit vngulas. priores nő inflectit. ſic in poſterius vndiq; diſtẽ-

tio ſpectat. Nec equus niſi ægrè admodum ſe ipſe ſuccutit. Cum in edita ſe conferre conatur, retro concidit. Vſu quoq; venit propter diſtentionem neruorum dorſi, quodam conſortij iure veſicam affici, & ægrius vrinam excernere. Cum proſtratus excitur, poſterioribus inſiſtere nō poteſt, ſed perinde vt ſedens canis prioribus nititur: vnde opiſthotonos, ꝙ obſtipus conuerſa retrorſum anteriora ferat, nomen accepit. Quē hyems implicat, difficulter ex morbo ſe recipit. Aeſtate forſitan, vt ferunt, auxilium quiſpiam attulerit, ipſum illinens adipe ſuilla, reſina terebinthina, cera, & piperis polline, permiſto oleo. Alij eruum decoquūt, & eo cremore caput fouēt. Idem hordeo proſequuntur. Sūt qui ſcrobem rotundum in ſterquilinio defodiant, & aggere fimi pecus obruant, aut in arenam candentem ſimili modo demergant. Hoc medicamentum opitulari tradunt, quod habet piperis grana decem, cachryos totidem, nitri pondo denarij vnius, ſucci cyrenaici quod fabā æquet. ſingula terūtur, rurſus in vaſe eodem omnia, adiectis tribus olei cyathis, & odorati vini hemina. bis die per nares medicamen infundunt. Sanguinem bubulum recentem etiam inſerunt. Qui ſi non inueniatur, thuris drachmas treis, ſalis totidem in vinum demiſiſſe ſatis eſt. Quod ſi vetuſtatē ſenſerit medicamentū, multo præſtantius iudicabitur. id imbre vini, olei, nitriq; tradunt imbuendum: crebris frictionibus vtendum. Pellem ſuccido vellere lanatam, eoq; liquamine inſuccatam adalligāt, & potionem vino diluunt, ac nitrū exhibent. Hæc ab illuſtribus viris memoriæ prodita ſunt. Nos tamen ijs vſi ſumus præſidijs. adipis ſuilli pondo beſſem, vrſini caprilliq; tantundē, reſinæ terebinthinæ pondo ſextantem, anſerini adipis pondo trientem, cedrini olei cyathos tres, olei puri pondo triētem, ea vbi colliquata fuerint, conſperges. farinaq; quæ in aqua præcocta ſit, & nitri & ſalis ſingulorum pondus quod octo ſtateres, id eſt trientem trahat, hæc calida inducimus, & offas ſuillæ adipis ex melle & oleo liquefactas naribus inſerimus. Sed in primis oportet, vt adeps eliqueſcat, liquori mel & oleum ſingula permiſceātur, rurſuſq; cum vino feruefacta præbeātur. Vti quoq; conſueuimus malagmate quod ex bdellio componitur, in oleum ſubditis carbonibus immiſſo. Præſentius auxilium eſt, ceruicem, caput, omnemq; corporis partem cyprino perlinere. Frictionibus etiam vtimur, ac veſtimentis opertum adhibito freno in apricum ſolem ducimus, inibiq; curſu inſidente equite leniter exercitamus, quò plurimus prorumpat ſudor. mox totum humorē quo diffluxit equus, abſtergemus: corpus ſubacto pilo defricamus: quotidie hoc vnguine linimus: dein paſtum exigimus: donec vitium inclinetur. Tum equum reliqua ciborum varietate ſolicitari conueniet, præſertim hordeo cui cicera permiſta ſint, quò promptius in motu labra verſentur. ſed fabas non obijcere. animo enim deficit ſimul ac eas attigerit. potionē vino dilutam præbere debes, & nitrum inſpergere, liberaliorē medicaminis illitum

præſtare. hyeme calido equili nec frigoribus obnoxio tectum continere. miſturam vini quæ cum oleo fieri ſolet, vtpote vanam, improbo. Vinum, vt quod refrigeret, magis noxis implicat. pice & oleo perungere iuuat, & poſtmodũ exercitare. Sed magna picis quãtitas adijci non debet. ea ſiquidẽ ſpiracula cutis obſtruit, quo fit vti ſudor elici nõ poſſit. Iis qui neruorum rigore tentantur, ſanguinis miſſio vitanda, etiam ſi maiores noſtros eam vſurpaſſe nemo it inficias. fugiebat enim eos, exhauſtis ſanguine temporum venis, neruoſam labrorum conſtitutionem deſiccari, nec poſtea poſſe moueri: qua re pecus inedia conficitur. Quibus vero aduerſus hos morbos vrentibus medicamentis vti placet, ij in fimũ demittunt. Sed qui ſe huiuſcemodi moleſtijs explicuerit, deinceps miniſterio quo fungi debet, impar cedit. Sed vnde, & quibus ex cauſis opiſthotonos creetur, nunc oſtendemus: quod nec ab vllo adhuc authore, quod ſciam, literarũ monumẽtis traditum eſt. Quũ iter faciens, anterioris pedis veſtigio clauum calcauerit, claudicánſq; concitatius actus fuerit, vt ſudore manarit, id vitium corripit. aut ſi proficiſcens equus ſudore diffluat per hyemis gelicidia, dein alſioſus, ſub dio, aut in cohorte lapidibus conſtrata quieſcens immoretur, id vitium trahit. aut ſi ex itinere ſudans, in loco glacie rigenti perfrixit. aut inedia laborarit, ita vt ne labra quidem ea nocte manſu cieri contigerit. aut ſi conuulſis armis cubili ſe recepit, multóq; tempore iacens decubuerit, & in opere faciẽdo deſudarit, idẽ morbus enaſcitur. aut ſi quæuis alia cauſa vulnus inguinibus intulit, facilè morbus opiſthotonos contrahetur. Sed ne maiorum qui primam claſſem merentur, oracula videamur explodere, vel placita refellere, inter nos conuenit antè ſcriptis notis neruorum rigorem deprehendi.

HIEROCLES.

OPISTHOTONO vel rigore neruorum laborat equus cum ceruicem gerit prætentam, rigidum caput, arrectas aures, oculos reconditos. Genæ quæ naribus hærent, repandæ contrahuntur. labia præpedita torpent. os & lingua carpuntur. nec eſſe nec bibere poteſt. itidem ſpina dorſi diſtenta riget, vt neq; deflecti quoquouerſus valeat. poſterioribus cruribus proficiſcens tranſgredi nequit, ſed protentus tractim vngulas promouet. priores non inflectit. vndiq; retrorſum contẽditur, nec ipſe niſi magna vi ſe ſuccuſſat. Diſtentione neruorum accidit veſicam quadam lege conſortij vitium ſentire, vt ne vrina quidem niſi ægrè profundatur. Vbi poſterioribus concidit, rurſum erigi nullatenus poteſt, ſed more canis inſidet. Cũ ergo hyems ingruit, vitio difficulter equus explicabitur, nec facilè morbo defunctus reualeſcet. Per æſtatem ſaluti reddes, ſi ipſum adipe ſuillo, reſina terebinthina, & polline piperis, immiſſo oleo, collinas. Alij decocti erui iure caput perfundũt. Hieronymus vtiq; præcipit ceræ, reſinæ,

ſulfuri nitroq́ꝫ conijciendum oleum ea menſura, quæ, quantum coniectura colliges, omnia quæ in ollam indita ſunt, liquata poſſit excipere: eoq́ꝫ medicamento magnopere defricādum. Caput erui decocto fouendum. Sin aliter placet hordei cremore, corpus hirſutis tergoribus ouillis ſua ſorde madentibus, non elutis, contegendum: pabulum aſſidue præbendum, quò maxillæ continuo motu agitentur. cicera cruda itidem dari iubet. Sed Apſyrtus hęc probat remedia. Suilli adipis pondo ſedecim ſtaterum, id eſt beſſem, reſinæ terebinthinæ pōdo quatuor, id eſt ſextātē, eorū dein pinguis anſerini duplū, olei cedrini acetabula duo, vulgaris olei ſextarios duos, ea commiſceri, & poſtquam efferbuerint, coctam prius in aqua farinā nitri & ſalis, ſingulorū beſſem adijci, & hoc calido collini medicamento. Idem offas adipis liquefactas naribus inſeri iubet, priuatim mel eliquatum infundi, & oleum conferuefactum dari. Cum iam curatio proceſſit, pugnandum malagmate quod ex bdellio cōſtat, in quod oleum ſimplex ſubditis carbonibus immittatur, vel multo magis cyprinum. Qua miſtura caput ceruicem & omnē corporis partem infricare conuenit. Equum veſtimentis integere licet, & adhibito freno in locum ſole illuſtratū à ſeſſore duci: in eoq́ꝫ tantiſper apricari debet, dum ſudor affatim profluxerit. Tum vbi omnem deterſeris humorē, qua decumbit pilus defricari. Rurſus eodem medicamine perlitum, pabulo firmari. Id tantiſper fieri, dum inclinari vitiū cœperit. Variū cibi genus ſequi. Hordeo maxime cicera miſcenda, quò labia motu concitentur. Hæc ad victus rationem pertinēt. Cum hyems inceſſit, calido ſtabulo, ne frigus experiatur, cōtectus debet contineri. Sed illitionibus reſina largior adijcienda non eſt, quo minus ſpiracula cutis obturās, ſudorē cohibeat. Idem Apſyrtus nobis miſſione ſanguinis interdixit. Vrentibus tamen medicamentis exulcerare, inter valentiſſima remedia contendit: aſſeuerátque veterinum quod ſuperſtes euaſit, obeundis functionibus longe inualidius haberi. Plurimum is caſus equum manet, cum incedens pede poſteriore deerrauit, aut claudicans concitate ductus eſt, aut ſudore ſuffuſus perfrixit, aut labore viæ deſudans, ſtatim algoribus patuit, vel pauitis ſubdialibus locis perſtitit, aut itinere ſudoribus madens noctem ieiunam duxit, nulloq́ꝫ fultus cibo totam exegit, ita vt nullo concuſſa motu labia contorpuerint, aut ſi quid cauſæ cuiuſuis inguina ſauciauit, tum opiſthotonos creatur. Nec deſunt qui hāc curādi rationem ſequātur, vt ſtatim q̄ initia morbi veterina ſentiāt, in balneas cogant deſcendere: & vbi ſudorem euocarint, ſiccis velaminibus extergeāt. Iterúmq́ꝫ vbi paulo longius eos produxerunt, eadem ſuperponunt, quæ excitum humorem ebibant. Poſtea calido deliniunt vnguento, quod recipit acetum, nitrum, ſapam, oua, & oleū: calidiſq́ꝫ operimentis intectos, ad equilia reducūt: deinceps cæteris quæ propoſuimus remedijs vtūtur. Si ſtabulū excalfacere cordi ſit, perbelle prius ambuſtos carbones adhibebis. Nanq́ꝫ ſi

fumum expirent, is animantem ſtrangulabit, & in perniciem aget.

THEOMNESTVS.

NERVORVM rigor equis & reliquo veterinorum generi non aliter quàm frigore concipitur, cum ſolidæ partes affectæ ſunt, & conſenſu quodam neruoſi generis morbos experiuntur. Neruorũ rigor ideo vocatur, quòd corpus diſtentũ rigeſcat. Sed is maxime caput, aures, & ceruicem carpit. Vitam animal tandiu protrahit, quoad cor ſuum calorem membris fœneretur, frigore ipſum nõdum correptũ. eo enim perfrictionem ſentiente, protinus animãs extinguitur. Hoc ipſe cõpertum habui cum in Pæonia regẽ ſequerer, qui me tanto cõplectebatur amore, vt cum eo familiariter verſarer. Et nos quidem petẽtes Italiã, cum Alpes ſuperauiſſemus, repente tanta vis niuium præceps circiter horam primã deuoluta eſt, vt paſſim milites gelicidio cõcreti animam efflarent. equis enim inſidentes diſtenti manebãt. Se vero animã egiſſe non aliter fatebantur, quàm cum labia in rictũ contraxiſſent, aut cum dentes exerti prominerẽt. Equum adhuc vita fungi ſors ferebat, qui militare cadauer gereret, agmẽq; ſequeretur: defunctus autẽ antè, & ſcutum & habenã detinebat, inſidebatq; rigidus, tãquã equo modo quodam agglutinatus cohæſiſſet, ſic vt nõ ſine negotio à viuẽtibus auelleretur. Si vero vnà quoq; mortẽ oppetiuiſſet equus, gelu rigẽs perſtabat, & vndiq; fixus in veſtigio manebat. Ea virorum equorúmq; clades inceſſit. Equus itaq; meus cum primis generoſus, à quo quidam adoleſcens vehebatur, neruorum rigore correptus eſt. quæ res magnum mihi mœrorẽ attulit: quãdoquidem nihil perpulchro & celeri equo præferendum ducebã. Erat equus natione gallicus, octauum agens annum, inuictus curſu, nec vlli pernicitate cedens. Quem ideo noxa liberare, mihi non parum curæ fuit. Poſtquam vero manſuri in opidum deſcendimus, vbi ligna abunde ſuppetebant, in quo optimus mihi hoſpes aderat, equum ſtabulo paruulo locaui, in cuius ambitu igni materiam ſuccendi, quæ nullum fumum eiacularetur. cum ferè mortem obiret intempeſta nocte, appetẽte gallicinio moueri cœpit. habens mecum in vaſculo quodam entrygon conditũ, obieci. poſtquam neq; deuorare, neq; maxillas mouere potuit, puros panes eo maceratos decumbenti fudi. Quin & medicamẽtum reficiendis laſſitudinibus, & horroribus diſcutiendis dicatum, ob id acopum vocãt, ſimplicibus medicinis aduerſus hyemis inclementiam mihi compoſuerã: quo cyprino oleo reſoluto equum perunxi: ſtatimq; ſudor prorupit, equuſq; moueri & comeſſe cœpit. Cuius medicaminis & vires & commiſta rerum pondera nunc exponam. Hoc auxilio omnem equorum reliquorúmq; iumẽtorum rigorem abiges, & omni algori perfrictionibuſq; medeberis, factóſque ſemiaridos in ſuum habitum reſtitues: nec vllum medicamen prorſus vel medico vel rei vete-

rinariæ prudenti valentius eo traditum offendimus. Nunc ſcripto mandabimus. Recipit autem hoc euphorbij pondo ſextantem, caſtorij pondo trientem, adarces pondo ſelibram, bdellij pondo quadrantem, piperis pondo libram, adipis vulpinæ pondo ſextantem, opopanacis pondo trientem, laſeris pondo quadrantem, ammoniaci ſuffiminis, quod thymiama vocant, pondo ſelibram, fimi columbacei tantundem, galbani pondo ſextantē, nitri pondo quincuncem, ſpumæ nitri pondo quadrātem, ladani pondo libram, pyrethri, baccarum lauri, ſingulorum pondo quadrātem, cardamomi pōdo beſſem, ſeminis rutæ pondo ſemiſſem, ſeminis viticis pondo trientem, petroſelini pondo ſextantem, iris ſiccæ pondo quincuncem, hyſſopi, carpobalſami, ſingulorum pondo quadrantem, opobalſami libram, olei irini, olei laurini, ſingulos ſextarios, olei nardini ſextarios binos, olei cyprini ſextarios ternos, olei ſupra modum veteris ſextarios quaternos, picis fumum expertæ ſextarium, reſinæ terebinthinæ libram. Omnia quæ in liquorem ſolui poſſunt, ſeorſum eliqueſcant, liquataq́ꝫ, vt in vnitatem coëant, cæteris permiſcentur: & vbi modicè conferbuerunt, in vas colo tranſfunduntur. medicamento cum vino vtendum. Si vero tractu temporis obdureſcat, oleo cyprino relutum ſubigitur, dum ſtrigmenti craſſitudinem referat. Ea res indita naribus humorem elicit, & eo quod nocet, exonerat.

HIPPOCRATES.

CASIAE drachmas treis, myrrhæ troglodytidis ſiciliquū, tragacanthæ drachmā vnam, ea leuiſſime contrita in ſingulas potiones demittito. Drachmas treis, & duûm ouorum cādidum liquorem, & olei heminam vnā, vini veteris tātundem, mellis ſextarium, per triduum infundito. Sed antequam pabulum obijcias, dato erui parum torrefacti, aut item freſæ fabæ heminam. Si opiſthotono infeſtetur equus, ritu canis humi cōſidet, & poſteriora priores parteis ſequuntur. Huic ſanguis ex inguinibus emittendus, & calida fouendus aqua. Mox oleo vino cōmiſtis lauri baccis illinendus. Caput caprina pellis induat. Lumbi eodem liquore perfundantur. Porrò myrrhæ quadrans, croci pondo denarij, olei quatuor heminæ, & vini ſextarius vnus infunditur. Si neruorum diſtentione laboret equus, toto contremiſcit corpore, ſimul & horrore concutitur. exurgens retrocedit, iterúmque rectus aſſurgit. huic ſudor elicitur. Cui ſic ſubueniendum. Venæ pectoris ſoluendæ, dein quæ in ſedis orbe tument. mox calida largiore proluendus. cerato corpus vngendum. In tenebris, quòd lucem horreat, habendus. Altius ei ſuſternēdum. Conquieſcat in equili. Cum huc ventū eſt vt paucos gemitus exprimat, fœnum nitro perfuſum detur edendum. Hordeo, donec periculis defunctus ſit, abſtineatur.

Rigoris præsagium, & remedia.

SI EQVVS rigore neruorũ tentetur, caput immobile ceruici cõnectit, nec nisi magna difficultate se reuolutat. venę dorsi distẽtę velut in podagra rigent. aures in obliquum iactæ subriguntur. os persiccum est, nec vllis fluidum saliuis. labia similiter arida sentiuntur. Tum cyathum meri calfacti, & tantundem medicamenti quod podagricon appellant, quia pedes ijs molestijs extricet, qua spiritus nare prorumpens magis cohibetur, hac suffundes. Quod vbi rapuerit, cursu confestim agitetur: sitq; reliqua dies abstemia: in qua nihil prorsus præter farinam in cœna prandióque detur hauriendum.

Eiusdem opisthotoni præsagia, & curatio.

PRIMVM aures equorum surrectæ contenduntur. oculos monstrant inuersos, qui nõ nisi tarde admodum verti possunt. Obstipi transuersa colla ferunt, corpusq; totum in orbem ferè cõtorquent, nec in rectum pedes explicant. ceruix rigida sentitur. Ergo si rictus eorum sic contrahatur, vt ne hiscere quidem possint: vitam fame finient, nisi confestim vstione subueneris. Hanc igitur ab oculis auspicatus, eorũ ambitum ferramentis candentibus exulcerabis. in ceruice lineas treis protrahes. In ilibus ductos totidem versus sulcabis: sed in spina longiores: in lũbis iuxta sedem treis vtrinque duces. Vulnera igne concepta, lenibus demulcentur, & aceto fouentur. Diebus septem saliuandum ægrotum pecus: octauo calida aqua vulnera lauentur, & lycio nutriantur. Turundæ succidis lanis factæ, & melle imbutæ, vlceribus inculcentur.

Pelagonij aduersus opisthotonicos remedia.

QVI SEDVLAM alendis equis dat operam, eum in primis hoc malum obseruare oportet: quandoquidem pleriq; diuersa de opisthotono tradiderunt: ignorantésq; non iniuerũt rationẽ vnde hoc vitium traheretur, neq; potuerunt signa quibus morbus deprehẽditur, memoriæ prodere: quæ nos multo labore conquirentes peruestigauimus. Hæc opisthotonum indicãt. ceruix prætenta curuari non potest, nec itidem caput. Aures arriguntur prædurę, flecti cõtumaces. Oculi parui, ossa in facie prominula. Cutis rigida, distentáq;. Labia retorrida, rictus oris sic contractus, vt nec hiscere nec oscitari possit. Cibũ potionémq; respuit. Cauda durata riget, recta immobilisq; perstãs. Latera propellere nequit. Suffraginum gressus inordinate disponit, sic posteriores pedes prioribus præmittẽs vt vngulas atterat. Priora crura flectere non valet. Omnia membra eius anterius distẽduntur. Nunquam aut difficulter admodum se succutit. In anteriora compulsus, retrorsus spectãs redit. is ægrè fundit vrinam. Volutatus

eum exurgere nititur,labat,vix'q; posterioribus fultus nititur. Supra renes considet:vnde nomen opisthotoni ductũ est. Quos id genus morbis hyems implicuit,ij difficulter ad se redeunt. Per æstatem vero,si diligentiam voles impendere,cõuenienti fretus adminiculo liberabis. Primũ talibus vnguentis vteris:suillum adipem,resinam terebinthinam,& ceram tritã oleo excipies.vbi in ceratũ coaluerint,induces. Complures erui cocti iure caput perfundunt. Hoc idem hordei cremore tentant. Aliqui sterquilinijs laborans animal obruunt,aut candenti sabulo sepeliunt,& hanc experiũtur potionẽ. Piperis grana decem,nitri vnciam,lactis sirenaici quod fabæ magnitudinẽ expleat,hęc singula teres,additis olei & vini palmã obtinẽtis duobus sextarijs:quam misturam quotidie dabis potãdam. Quin & sunt qui hoc medicamentum opem adferre tradant,cuius & ipse periculum feci. Recipit autẽ suillæ adipis scrupulos sedecim,adipis caprinæ totidem,resinę terebinthinæ sextulam,olei cedrini heminam,olei cõmunis sextarios quatuor.omnia immiscebis aquæ in qua prius nitrum & sal incocta sint. quo calido medicamine imbecillum pecus est inungendum. Naribus quoq; hoc auxilium instillamus. Adipis suillę quod satis esse videbitur,cum oleo quod oliuę fuderunt,id cõmune nominatur,& melle feruefactũ miscemus,& in continentẽ vsum promimus. Aut malagma viuis carbonibus oleo vulgari & cyprino resoluentes,eo caput ceruicem reliquum'q; corpus oblinimus. Postea quàm hoc vitæ genus duxeris,velaminibus equum integes,& in apricum solem produces. vectorẽ insidere iubebis,qui pernici cursu,quem appellãt calpen, dimoueat,aut veredario,quem tripedum veterinarij vocãt,quousq; sudorẽ excieueris. quem vbi stragulo vel instrato deterseris, supradicto remedio corpus imbues,donec auxiliorum vim sentiat:deinceps pastum exiges. Interim assuetis pabulis roboretur. hordeo cicera adijciantur.in eius potu vinum addatur. Hyeme loco à perfrictionibus tuto,ne frigus experiatur,cõtineri debet. Potus sequatur calidos. Hunc liquida pice lini prodest,& modo iam exposito exercitari.sic tamen moderandum,vt ne à pice quidem sudor erumpẽs supprimatur. Vrgente vitio sanguinem emittere nihil adfert cõmodi. Pleriq; vrentibus medicamentis vsi sunt. Sed si ignẽ expertus periculum euasit,deinceps causarius,& ad obeũda munia segnis inuenietur,nec labores viæ tolerabit. Consequens est vt demonstrem quibus causis morbus hic equos inuadat. Quoties calculosa scabra'q; via progreditur,& iter faciens priori pede prolapsus,aut alia de causa claudicarit,dein adhuc sic perambulare cogitur quoad sudore madeat:necessario quæ de supra dicta valetudine meminimus,consequẽtur. Si hyems accessit,longa'q; via vexetur,aut secũdum exercitationem statim sub diuo frigoribus expositus inalgeat,aut loco perfrictionibus opportuno,aut vliginosiore,vel horrẽti situ perstiterit, aut si post luxati membri coagmentationem adhuc infinito dolore in ipsam

decubuerit, hoc morbo cõflictabitur. Huic in primis vrentia adhibere non erit alienum. Calidiores potus ijs auxiliantur. laser, aut cyminũ, aut allium, aut lauri baccæ, singula quotidie ex vino data, sanitati pecus reddunt.

Eiusdem ad rigores neruorum, distentiones, & dolores.

SI NERVORVM rigores, distentiones, doloresve in postera decubuerunt, signa hæc sese offerent. Crura complicantur. armi ac vertebræ ad caput vsq; frigus sentiunt. lachrymæ oculis exciuntur. cauda friget. His vtendum auxilijs. vertibulũ lumbosq; crurum tenus vrito: mox calidissimo equili concludito. Carbones viuos nihil expirantes fumi, quò maior erumpat calor, imponito. Dein in cubili sale & oleo per triduum illinito. Cum autem vlceribus crustæ deciderunt, humana collues vrina, & aqua tepente perfundes. Ficulnea folia cum hordeo largiore & frumento aqua macerato pro cibis cedant. potio sit egelida. farina triticea calida aqua subacta ieiuno detur. Hæc autem potio ita contemperata præbet vt magis equus siti crucietur. Sed cum eo longe melius actum erit, si febris inhæreat. accedens enim morbi reliquias digeret. Deinde fabæ equinũ pecus saturent. si non inueniantur, hordei ptisana. Si nihil horum secũdam valetudinem præstat, necessitas incumbit insuper, vt aurium radices & ceruix vrentibus modicis exulcerentur. Salutaris habetur vnctio, quæ cõtinet baccarum lauri duapondo, picis liquidę libram, radicis panacis vnciam, thuris pollinis selibrã, vini veteris sextarios duos. Hæc omnia in vnguentũ coëãt quod candenti sole linitur. Si ea res nihil proficit, caput aduritur, & lanoso tergore conuolutum obligatur.

Apsyrti de profluuio alui, Cap. XXXV.

APSYRTVS Ammonio veterinariæ artis prudenti salutem. Ad te prius de hordeatione, quam crithiasin vocãt, scripsi: nũc de alui profluuio scire te necessariũ duxi, quòd vbi diùtius protractum fuerit, aut inueterauerit, animanti periculum adfert. Ratio curandi hæc est. Hordeum aceto perfusum paleis triticeis immiscere oportet, aut aliquantũ rhoos coriariæ, aut rhamni folia terere cum polenta, & in offas digesta præbere. item nasturtij semen torrefacere, tritumq;, & non multæ aquæ immistum, infundere per os. conditiuum pabulum non largius obijcere, neq; potionem liberalem præbere. tusos lentisci frutices in aquam conijcere, aut tenera rubi cacumina pauca: ne nimium is cibus ventrem contrahat. Paulum ad incedendum procedat. Auxano medicus equorũ præcipit syriacã rhoum conijci, & torridum hordeum aceto suffundi. ijs aluum firmari contendit. sed hordeum sensim torrefieri debet. Nanq; si postquam ignis feruorẽ ex-

pertum est, imbre aceti consperseris, nidore offensum pecus non esitabit.

Hierocles profluuio alui.

Ventris profluuium si in vetustatem incidat, animali necem molitur. Hordeum igitur aceti rore conspergito, triticeas immiscēs paleas: & coriariam rhum, qua coriarij vtuntur, paucam adijcito. Semen nasturtij tostum tritumq; cum modica aqua per os infundito. siccum pabulum, parce tamen, præbeto. cæterum equus largo potui non indulgeat. in aqua lentiscum tusam, aut pauca rubi cacumina, ne ventris impetus subito cohibeatur, macerato. Ambulatione non nisi pauxillum concuti debet. Si equus aut aliud iumentum alui profluuio cõflictetur, polentæ & tritici quaternos singulorum sextarios, vinaceorum tantundem, torrefacta tusaq; tenui cribro succernes vt in vnitatem aliquã coëant: & vbi puræ aquæ binos congios insperseris, hoc dabis potandum. Si sorbitionem hanc respuat, oriculario clystere receptam faucibus insinuabis. Non hordeum, sed paleas obijcies.

THEOMNESTVS.

Equum alui profluuio laborantem continebis hordei aceto macerati obiectu, addita rhoë coriaria. Ruentem aluum sistes si trita rhamni folia cũ triticeo polline subacta in aqua, & in collyria formata indideris, & poscam exhibueris potandam. Salutare est in aqua quam bibit, tenera lentisci aut rubi cacumina contundere, & ita præbere.

Hippocratis citatæ ventris proluuiei infusiones.

ALVVS plerunq; corpus & vires carpit, operiq; veterinum reddit inutile. quæ cum accidunt, tum acuti rumicis cortex ex austero vino fusus aluum supprimet. Itidem rhamni folia cum vino austero pota ventrem confirmant. Et vt summatim dicam, omne medicinæ genus quod sibi facultatē sustringendi vendicauit, dari potest. Tritici farina & polenta cum vino data opitulãtur. Sed iam præsagium & auxilia proponamus. Equi profluuio laborãtis aluus, sæpius q̃ ex cõsuetudine fertur, sudor prorumpit, spirandi difficultas exercet. Cui sic subuenitur. baccarum nigræ myrti sextarius operose teritur, & additis satiuæ portulacæ duabus heminis, & passi sextario, baccæ dimittuntur, & per os infunduntur. Si potionem hanc fastidit, ex amylo dari conueniet. Hordeo torrefacto sustineatur. Si non restiterit citata ventris proluuies, danda erit hæc infusio, quæ iure valentissimis annumeratur. Rosarũ quas pinus edidit, rhus qua coriarij vtuntur, singulorum libra, gallarum alexandrinarum tantundem, absinthij, abrotoni, hyssopi, rutæ, singulorum selibra, miscentur, vt in vnũ coëant: quæ vino mysiato excepta faucibus infunduntur. Laseris semuncia cum diluti vini sextario itidem ingeritur.

Apsyrti aduersus conuersionem intestini remedia. Cap. XXXVI.

APSYRTVS Valenti decurioni salutem. Literas ad me dedisti, quibus rogabas quænam aduersus conuersionem intestini remedia ministrētur. Eius gratia tibi exploratum esse volo, quòd qui manum interaneis insertam altius impellunt, magnopere negotium exhibent. Siquidem existimantes conuersionem resoluere, grauissimam inflammationem excitāt, & flatus inibi cōmouent. Huic tollutaris ambitio pernixq́; cursus auxiliantur. Nihil esse debet impedimento quo minus possit volutari: vtpote cum ea re vitium sæpe discutiatur. Cyrenaicam lachrymam ori & naribus inserunt. Intestinum maxime quod monenterum appellant, vitio huic est obnoxium. Nonnulli, quòd cæteris intestinis nullo nexu cohæreat, colum dixerunt. sed suopte ingenio in sinus implicitum voluitur: ideoq́; in progressu & cursitatione sonat, & strepitum quendam edit. Hęc signa vitiū exprimunt. Inter ambulandum prioribus paulum transgreditur, & eodem posteriora cōfert. ob dolorē quo premitur, se ipsum flexuose contrahit. Natura vero interaneorū non apud omnes æqualis habetur. Quorūdam intestina pleniora duûm & sexaginta pedū longitudine protenduntur. Tenuia, duûm & sexaginta pedum magnitudinem æquant. Sunt qui duûm & quadraginta pedum longitudinem definiant. Sed eorum intestina metiuntur, qui prorsus adoleuerunt, vel qui iā senectute confecti sunt. Natu iunioribus longe minora pro ratione ætatis intelliguntur.

Hierocles de morbo intestini plenioris.

SI CONVERSIO intestini, quam ἐπιστροφὴν vocant, inuadat, animal in alea vitæ est. Ea morbi cōditio, vt prioribus pedibus parum diuaricetur, & posteriores eisdem admoueat. Se conflectere præ doloribus non potest. Nascitur hoc incōmodum in intestino quod monenterum aut colum ideo vocant, quòd vtrinq́; reliquis intestinis non coniungatur, sed in sese sinuatū, reuoluatur. ideo inter procurrēdum obstrepit, atq́; sublatrans crepitat. Hallucinantur itaq́; qui manum insertam propellunt, vt prolapsum vel in sedem restituant, vel in ordinem suum redigant. Nam quod pollicentur, præstare non possunt, sed potius inflammationem mouent, & inflatione discruciant. Cui citatior cursus, vel quo tollutim incedat, inter auxilia est. sed postea volutari permittatur: quippe cum hoc vitium nonnunquam ita finiri constet. Succus cyrenaicus ex vino dulci per os & nares infundatur. Equus cui intestinū dissilit, cita morte rapitur. nāq́; naribus cibum & epotam aquam reijcit: & subinde malo victus, in exitium se præcipitat. Est & medicamentum huius gratia comparatum, quod inte-

ſtinos dolores digerendo ſpiritum compeſcit. Confectio ex ijs conſtat. Calaminthæ, apij, ſingulorum pondo, taurini adipis, rutæ, thymi, cunilæ, pulegij, laſeris gallici, ſingulorum ſelibra: quæ coquuntur ad tertias. id quàm maxima poterit portione præbeatur deuorandum.

Curatio doloris inteſtinorum.

SI INTERANEA doleāt, ſic ſanabūtur. Velamina quędā ſatis calida ventri conuoluta ſubſtringantur, deinde volubili motu cōcitetur equus. Poſteriore parte ſanguis retro ex ſuffraginibus abunde detrahatur. Aqua in qua triticea farina ſit incocta, detur potāda, adiecto nitri ſextante, & vncia olei. aut vua vite recēter decerpta cū aqua & olei ſelibra coquitur, & in fauces inijcitur. Eundē effectū præbet medicamentum quod recipit myrrhæ trientem, piperis candidi, opopanacis, ſingulorum vnciam, reſinæ terebinthinæ ſextantem, ceræ libram. pix & cera in fictile nouum demittuntur, vt inibi cum aceto colliqueſcant: mox detritus ſtyrax opopanaxq́ confunduntur, & ſubtracto ab igni vaſe galbanum & terebinthina, bdelliumq́ ſubactum atq́ bitumen adijciuntur. cum opus erit vti, ammoniacum infrietur.

Apſyrti de inteſtini tenuioris morbo, Cap. XXXII.

APSYRTVS Aſclepiadi ſalutem. Te equos alentē ſcire volo quibus remedijs vtendum aduerſus inteſtini tenuioris morbum, quem chordapſon nomināt: in quo cibus per os & nares redditur. Oportet autē manu per anū inſerta eximere recrementa quæ trāſitus præcludunt: & aquā, oleū & nitrum per nares infundere: aut betæ decoctum ex nitro & oleo dare. calida aqua tergum & clunes eluere. in frigidam non deſcēdere. viride fœnum offerre deuorandum, aut farinam hordeaceam, aut pinſitam ſiliginem nitro conſperſam.

Hierocles de tenuioris inteſtini morbo.

MORBVS inteſtini tenuioris dolorem circa vmbilicum mouet. fit eo loco inflammatio, nec aluus nec ſpiritus infra tranſmittitur. cibum equus ore vel naribus reddit. Vitium chordapſus appellatur. Remedium eſt ſedi manum inſerere, & quicquid naturales exitus obſidet, extrahere, dein naribus aquam & nitrū ingerere, calida aqua dorſum & clunes fouere, equum ad frigidam aquam non appellere, viride fœnum obijcere, aut cocto hordeo, aut eiuſdem farina, aut pinſita ſiligine nitro reſperſa ſuſtinere.

Apsyrti de aqua inter cutem, Cap. XXXVIII.

APSYRTVS Possidonio salutem. Te nutriẽtem equos nolo latere, quod quum animal distenditur aqua cutis, vitium Græci vocant hydropa, ijs notis deprehendes. Venter, crura, & testes, intumescunt, item genua, poplitésque. Spina dorsi, clunes, & ilia, sic præsiccantur, vt latera parte vtraq; tergi videãtur in ossa occalluisse. Venæ capitis & faciei cæcæ nusqua patent. sub lingua itidem abditæ delitescũt. Tumor manu tãgenti nõ renititur, sed ita cedit, vt premẽtis vestigium relinquatur. Supra ventrem decumbens persistere non potest, sed se ipse dilatans protendit. Pili tergoris in frictione defluunt. Cui sic subueniẽdum est. Ad progressus euocetur sensim longiusculos, quò diutius insoletur. sed villosis pellibus cõtectus esse debet, quæ sudorẽ accersant. Totius corporis frictiones tentãdæ. Brassicæ cymas & coliculos pabulis offerre cõuenit, item apium obijcere, & etiam quæ aluum ducunt, & vrinam mouẽt. Viride fœnum, si tempus anni patitur, dandum. Si neget, aridum nitro conspergẽdum. Medicæ potissimũ cibo pecus firmãdum. Cicercula interdiu noctuq; macerata in aqua, exhaustoq; stillatim liquore, præbenda. Si per hæc vitium nõ tollitur, ab vmbilico vel media parte, quæ centris græce dicitur, tribus interpositis digitis locum oportet perforare, & arundinulam inserere, per quam noxius humor effundatur. At vbi tota vis eius euocata est, sic vt nullum aquæ vestigiũ appareat, vulnus cæterorum more procuretur. Sectio in amplum foramen non dehiscat, ne omẽtum per hoc euadens sequatur. Cum vulnus ad sanitatem perductum est, citatiore cursu concutiatur, vt eo plurimi sudores eliciantur. Potione multo magis prohibeatur, ne rursum ventris sinus expleantur.

HIEROCLES.

ANIMANTEM aquæ subter cutem fusæ morbo implicitam, signa hæc ostendunt. Ventrem magnũ exhibẽt, prætumida crura, oculos in luteum languescentes, vt nonnulli referunt, testiculos tumentes, genua prioribus pedibus persicca, spinam dorsi & item coxendices prędura, latera vtrinq; videntur in ossa occalluisse. Venæ capitis, & faciei, & quæ linguæ subsunt, occuluntur. Manu tangenti corpus cedit, nec digitis renititur. Pili frictione reuulsi, defluunt. Supra ventrem recumbens sese dilatat, & extendit. Notæ ita se habent. Quod ad curandi rationẽ pertinet, in sole sensim longiuscule perambulet, crasso tegumento velatus. Corpus totũ secũdum pilos perfricetur, brassicarum caulibus & folijs, apio & frondibus vlmi pabuletur, & ijs quæ ventrẽ deijciunt, & vrinæ mouendæ sunt. Fœnum si per anni tẽpus licet, viride: sed si desit, cõditiuũ nitro cõspersum deuoret. Sed pręcipue medica vescatur. Ciceculam nocte dieq; maceratam, expressa

ſtillatim aqua, præbere cõueniet. Si per hæc ventris tumor non ſubſidit, ſub vmbilico ferè interpoſitis quatuor digitis verſus caudã mucrone cutẽ perforare opus eſt, & arũdineam fiſtulã indere, quę ex obliquo foramen habeat, quo velut emiſſario copia humoris effluat. Sed non magnopere vulnus impreſſum hiet, ne ſequax omentũ elabatur. Cum vero cutis cicatricem duxit, vehementiore curſu cõcitetur, vt ſudores eo largius euocentur. Nulla poteſtas bibendi faciunda, ne vacua ventris ilia compleantur. Si vero contingat omentum ſequi, lino cutis deligari debet, & vinctum tãtiſper dimitti, dum ſua ſponte reſoluatur. Quum cœpiſſe vitiũ ſenſeris, cæteris vti præſidijs ſatis eſt: quo tẽpore circa vmbilicum tentare ſectionẽ alienum eſt. Si ſubter cutem aqua fundatur, & iam malum inueterauerit, equus vinculis diſtrictus cõſterni debet, & ab vmbilico interpoſitis tribus digitis cutis reſcindi. Sed hanc animaduerſionem deſiderat, vt cum totus humor fuerit emiſſus, tunc vulnus conuenientibus remedijs perſanetur. Candentibus ferramẽtis inter ſe diſtãtibus venter in orbem exulcerãdus eſt, ita vt caueatur ne quod attingatur inteſtinum. deinde in latus inclinandus, vt per hæc vlcera frequens feratur humor, punctura tenui acu facta. Si pecus aqua inter cutem male habeat, huic ita ſubuenietur. Potio danda eſt quæ habet ſeminis ſinapis cyathos treis, lactis heminam vnã, olei acetabula duo. Si ea nihil profuit, radicis corrudæ, fœniculi, apij, ſingulorum ſextans in ollulam demittitur, & additis olei veteris vndecim ſextarijs, ea coquuntur dum ad binas redigãtur heminas: dein faucibus infunduntur. Aut radicis panacis ſelibra contrita datur potanda. Si id morbi genus eſt, quo in vterũ aqua cõtrahitur, gramen coctũ datur: aut bubulũ fimũ crematum, & paſtinacæ ſemen, vnà terũtur in aqua, & infunduntur. Si id cõmode nõ ceſſit, ſub armo pellis leniter inciſa perniciosum tranſmittet humorem. tum factum vulnus pice liquida curetur.

Pelagonius de aqua ſubter cutem fuſa.

EQVOS frequẽtius aqua intercute implicari cõtingit, & diutius eo morbo correptos occupari. Non autem omnibus id cõſtat, ſed complures hac in re plurimũ falluntur. Nam qui aqua inter cutem tentatur: aut adipibus obeſum, aut flatu turgentẽ exiſtimãt. etenim ijs quos lienis exercet, tumorẽ ventris natiuum eſſe ſuccrementum quodam modo conijciunt. Cum vero diſtendetur aqua cutis, hæc ſigna notabuntur. Venter cum duritie inflãmationem experitur. crura tumeſcunt. impulſus æger circunflecti nõ poteſt, ſed ſtatim ad motum incaleſcens, frequentiorẽ ſpiritum reddit. hinc progrediendi difficultas oritur. Sed qui lienis incremẽto laborat, alui diſtentione oculum fallente laborat. ſed cum exercitatur, continue ſternutamentum elidit, caputq; præ dolore huc atq; illuc tranſfert. Eos vero quibus intento ventre creber ex motu ſpiritus ſonus eſt, ſiue quibus vterus

crepitans ſubinde murmurat,quos tympanicos vocant, hæc indicia ſequũtur. Venter flatu diſtentus increſcit,capronæ,iuba & vertebræ ſubriguntur, & complurimum in diuortio partium inteſtina inflammatione,excrementorumq; deſcenſu diuellũtur. Quibus vtilia ſunt quæ modo propoſuimus. Ab vmbilico ad pectus in rectum interiectis duobus digitis adigatur mucro, & in impreſſum foramen fiſtula conijciatur, per quam concepta ſanies effundatur, aut humor aquam intercutem creans tranſmittatur. cuius ſextarios circiter quaternos debes elicere. poſt quod, ſi venter adhuc ſanie prægnans intumeat, tantum emittes, dum tota videbitur euocata. ſed tamdiu deligetur animal, quamdiu tormentis excruciatur. potionibus quæ vrinam cient, vtendum: aſſiduo, donec ſudor effluat, defricãdum. Pabulum eius viride fœnum eſto, vel maceratum cicer. ebibat aquam ex flumine. ſecundum potionem motibus exercitetur. Latice in quo cicera maduerint, delinatur. dum ambulabit, crura funiculis obſtringantur. Equis auxilium adferre prodwww dunt, identidem circum ſeplaſiariorum officinas verſari, quòd varia odorum fragrantia pulmo cæco ſenſu iuuetur. Cum ad remedia ventum erit, hæc potio commodiſſimis annumeratur, quæ petroſelinum tritum vino excipit, aut punicum intuſum vino. Quãtum poterit apium eſitet. Proderit quoq; paſtillos melle & butyro coactos, in pila cum olei cyatho terere, & cum vini ſeſquiſextario per os infundere: aut radicis corrudæ ſextantem in tribus vini heminis ad tertias decoquere, & per corniculum inferre: aut radicis panacis ſemunciam ex vino ſuffundere. Præſtabit vt à potu temperet, & crucietur ſiti, quàm vt ab eadem vindicetur.

TIBERIVS.

EIS QVORVM aluus ſpiritu diſtẽta ſonat, & tympani more crepitum edit, quos vocant tympanicos, vſus horum opitulatur. teneræ cucurbitarum cymæ feruescunt igni, & per os ingerũtur. porro radicis ſuccum oportet naribus infundere. melius cedet ſi cum eorum ſemina vigent, nec vetuſtate ſunt exucta, quis vtatur. Si inflatio, & ex ea creber dolor eſt, calidum cinerem cum axungia panno aut linteo illitum ventri aut vmbilico admouere. A cõpluribus autẽ hominibus detineri debet, ne repugnans, ſibi noxam adferat. Cęterum panacis radicẽ cum ſeſeli gallico leuigatam oportet in miſto vino & oleo tepefacere, & per corniculũ dare. Si per hæc tormentum non tollitur, thymi ſylueſtris, ſeminis cumini, mellis, ſingulorum acetabulum, laſeris callum qui fabam æquet, aceti heminam, in aquæ ſextarijs tribus contrita per os infundere conueniet. nocte cibis abſtineatur. Si ne per hæc quidem dolor finitur, vltimum auxilium eſt ſiniſtra parte proxime nouiſſimam coſtam quaternûm digitorum longitudine non altius digito cutem candentibus ferramentis exulcerare. Vulnera

facta igne,quo diximus modo persanare.

Apsyrti de dysenteria, Cap. XXXIX.

APSYRTVS Chæreæ Alexandrino salutem. Quibus intestina sic exulcerantur, vt ex ijs cruor manet,isq; cum quibusdam mucosis strigmentis excernatur, dysentericos vocant: ijs accidit conuersio procidentiaque intestini eius quod ad sedem spectat. Quibus circuncisione mederi licet:sed cauendum ne quid ani contingatur: quippe cū non amplius in interiora resilire posset,sed semper aperta hiansq; prodiret,intestinumq; quod sedi iunctum cohæret,procideret. Quæ res vbi accidit,de equo actum esse,nec amplius protelari vitam posse,constat. Postquā manum expertus est equus,malicorium in posca coctū, per os instar duûm heminarum expedit infundere,aut gallam tūsam & cribro cretā cum posca subigere,& in offas digestā per os immittere:hederæ frōdes hordeo pmistas obijcere,quæ cultello aut alio simili instrumento particulatim cōcidi debēt. Hoc autē non peculiariter equo perinde atq; mulo asino've prouenire solet.

Hierocles dysentericis.

SI CREBRA deijciendi cupiditas, simulq; cruenta quædam strigmenta descendunt,vitium dysenteriam vocant:qua cum laborat equus,sedes è situ digreditur,& procidit. Hāc,vt Apsyrtus author est,curare oportet exterioris circunsectione.quod ferè superuacuum censeo.Sed attendendum subdit,ne quid coronæ sedis circuncidatur.non enim introrsum anus recondi posset,sed semper aperta dehisceret.hinc mortem obire necessum est.Sed vbi scalpellū experta est,malicorium in posca coctum opus est per os infundere,vel gallas tusas cretasq; & posca subactas in offas cogere,& per os demittere:hederacea folia hordeo mista præbere.sint ea minutatim diuisa gladio, aut alio quolibet. Sed scire licet hoc minus equo,maxime mulis asinisq; suboriri.

Pastilli ad coli cruciatus,ad dysentericos,torminosos,iocinerosos,vrinę difficultate correptos,ad demorsos à phalangijs aut rabioso cane.

RECIPIVNT croci pondo vnciam,myrrhæ pondo sextātem, floris abrotoni pondo trientem, petroselini pondo vnciam,rutæ satiuæ pondo trientem, pyrethri,hyssopi,singulorum pondo sextantem,casiæ pondo vnciam.hæc tusa cretaq; acri excipiuntur aceto,donec in offam concrescant:& in pastillos scrupulatim digeruntur,& in vmbra siccātur:qui detriti cū cremore ptisanæ dantur ijs quos dysenteria vexat, aut ijs quos male habent tormina,item ijs quos vrina difficilis torquet, vel ioci-

neris vitium exercet, cum aquæ calidæ heminis duabus. Si phalangium aut rabiosus canis morsum impressit, ex meraco vino.

De dysenteria Democritus.

SEQVITVR intestinorum vitiũ, Græci dysenteriam vocãt, cuius signum est cruenta & mucosa ventris proluuies. interdum strigmenta quædam carnosa repræsentantur. Remedia sunt folia rhamni bitumine lita, & pabulo data. Sunt qui punici frõdes & coliculos polenta conspersos exhibeãt. Alij tritici torrefacti farinã instar sextarij ex aquæ hemina propinãt. nec desunt qui lentisci myrtiq́ & oleastri cacumina viridis obijciant. Alij cupressinos quindecim conos, & tunsas totidem gallas, adiecto vtrorumq́ ponderum vetustissimo caseo, cum austeri vini quatuor sextarijs miscent, & per quatriduũ pari mensura dispensant.

Apsyrti de liene, Cap. XL.

APSYRTVS Hemerium medicum equorũ salute impertitur. Equũ lienis incremẽto laborantẽ cognosces, cum venter sinistra parte tumescit, duriorq́ prementi renititur. equus crebrius solito respirat. Cui subuenitur, si in plures ambulationes & cursus maiores in dies maioresq́ ꝓdeat, vt ijs sudores euocẽtur. Lienem coërcet myrobalani triti expressus succus ex posca per sinistrã narem instillatus, aut ex fructu myricę tunso cum eadem posca, aut chamælea trita cum vino. Omnium heminam dedisse satis est. Sed diebus multis medicamentũ repetatur. Vix enim vitiũ medicamenta sentit. Aquæ quæ datur potui, nitrũ adijciatur. Sunt qui vice nitri potionibus alumen imponãt. Nonnulli lienẽ vrẽdum præcipiũt. quod nobis non placet. Quippe cum visceris huius sedes fenestrata videatur, candens ferramẽtum subtercurret, subrepénsq́ fallet, nec vrente vi grassabitur.

HIEROCLES.

LIENOSOS his signis deprehendes. læua parte venter intentus tumet, maiorq́ duritia subest, vix prementi cedens. Spiritus frequentior redditur. Cibi largioris edaces sunt ij quibus lienis affectus est. Curantur ambulationibus aut cursibus crebris in dies intensioribus, ita vt sudor moueatur. Lienem extenuat succus expressi myrobalani sinistra nare defusus ex posca, aut chamælea trita cum vino. Sed sorbitio tota heminam non excedat. hoc in complures dies dispensandum. Nanque medicamẽtis difficulter vitium discutitur. Nitrum adijciatur aquæ quæ potanda ministratur. fœnum hordeúmq́ eodem cõspergatur. Non desunt qui pro nitro potionibus alumen substituãt. Curationem adurentibus tẽtatam Apsyrtus improbat, quòd valuatus ille locus ferrum respuat.

EVMELVS.

INTESTINVM visceris dolorē leuat infusio cōtinens cumini seminis acetabulū, mellis tātūdem, laseris quod fabæ magnitudinē impleat, aceti heminā. hęc in aquę sextarijs tribus resoluas vesperi, & per os inijcias. noctu cibo abstineatur. Si nihil ea iuuerūt, sinistrum latus propter vltimam costam longitudine quatuor digitorū inuras: sed nō altius digito ferramenta descendant. Vlcera igni facta, vt ante dictum est, curētur.

THEOMNESTVS.

SI LIENIS tumor exercet, aut viscus id duritia laboret, capparis radicis corticem in aquæ sextarijs octo, donec in minimam mensuram redeat, coquito: & vbi recte pecus concoxit, præbeto. Sed ab armorū venis sanguis emittēdus est, & hordeo prohibēdus, dum in tenuiorem habitū corpus perducatur. Quinetiam potionē hāc parabis. Allium, nitrū, marrubiū cum absinthio & austero vino cōmiscens, per corniculū instillabis. Ambulatum exiges. Mane spōgijs aqua calida imbutis fouebis, deinde strictis manibus cōfricabis. Si vētris tumor nō resedit, vrens medicamentū adfigere post triduū conueniet, & vtrinq; circiter digitos treis locum metiri. Sed diligenter obseruādum ne qua vena cōburatur.

De liene præsagium, & remedia.

SI CIRCA lienem vitiū exoriatur, venter intētus turget. equus crebros gemitus exprimit, magnisq; doloribus excruciatur. Quod si velis auxilium ferre, candens ferramentum à globo, intercedente palmo, vtrisq; lateribus admouēdum. huic destinatur locus partis quæ solet ab equite punctitari, aut calcaneo premi. Itaq; pars dicta vstionem primam experiatur. ab hac intercedentibus digitis tribus alterum adigatur. & cum vti diximus, vsseris, vulnus suprà memorato medicamine curetur. Solet æstate veterinū splenis incremēto laborare, cum nimis auidum pabuli dulcedinem cōsectatur. Cui intestino tumori compescendo, ex tamaricibus & rusco pabulatorias corbes fabricāt, aquáq; repletas sitientibus obijciunt, vt epoto medicabili fruticis succo, lieni vitioso succurrant.

De teredinibus. Cap. XLI.

TEREDINVM genus, vermium vocabulo venit, qui in intestinis & ventre nasci solent. Ii cum inter stercora excernuntur, in sinu sedis, ac eiusdem inuolucris impliciti cohærent. Quorū signa sunt. Caudam & sedem præsepio & parietibus affricat. Oportet igitur inserere manum, & vermes eximere. cinerem è foco cum excremēta reddiderit, inspergere. Sed hac in re nihil periculi versatur. Verū in ceruorū

ventre vermes innaſcuntur:qui,quum ruminant,ſurſum feruntur,& faucibus inuoluti reſident. Cumq; inibi morantur, ceruus ſibi non conſtat, ſed circuncurrens vagatur. At contra hoc vitiũ huiuſcemodi ſolertia præditũ eſt id animal,vt ſerpentes reptiliaq; deuoret:& ita perducitur ad ſalutem.

HIEROCLES.

Animalia quæ ſibi teredinũ nomẽ vendicãt,in interaneis & aluo gignũtur. Sunt autẽ vermes qui cum fimo deiecti,tandẽ in oſtio ſedis implicãtur. quorũ ſigna ſunt. podicem & caudã præſepi & parietibus atterit. Remediũ eſt immiſſa manu eos extrahere,& foci cinerem vel friatũ ſalem reſpergere.

EVMELVS.

Si teredinibus,hoc eſt vermiculis pecus ſcateat,totum corpus inhorreſcit:vbiq; pruritus excitantur. Chamęleonis itaq; radicem in aqua decoquito,dum tertia pars ſuperſit;& addito opopanacis ſextante,& hemina vini, per læuam narem ingerito.

THEOMNESTVS.

Teredines, & animalia vẽtris, aluus & inteſtina creant:quæ nihil aliud ſunt quàm vermes candidi. verum qui ab ijs torquentur equi, hæc indicia monſtrant. Caudam atterunt, anumq; macerijs confricant. Remedium eſt,vncta manu per anum inſerta,quæ occurrunt extrahere, & euocata ventris illuuie,opopanacem ex oleo infundere. Deinde tuſam cunilam bubulã quam origanum vocãt,& pſyllium ſali commiſtum in offas formare,corniculoq; miſturam infundere,& eſu ſalis interdicere.

PELAGONIVS.

Cum teredines aluum occupant, corpus totum colligens diſtorquet: idq; creber horror concutit. Tum Chamæleonis radicem oportet excoquere,dum tertia pars aquæ ſuperſit: & hanc cum opopanacis ſextante & vini ſextario per ſiniſtram narem inſtillare.

Teredinibus veterino nocentibus præſagium & remedia.

SI TEREDINES equũ exercent,ſubito conſurgens procurrit,nec multo poſt iterum conſidet,atq; decumbens hiat. Sumẽs igitur cypriorum alliorum,ſi deſint, terreſtrium vermium quos vocant inteſtina terræ,pondo denarij vnius,& terens in aceti hemina,naribus infunde. Sed cum ferè naſcantur cruditatibus,moderandum erit vt veterina bene coquant. Sunt qui dum tali vitio laborant,lupinos ſemicrudos conterant,& offas ſaliuati more faucibus ingerant. Po-

test etiam cum arida fico & eruo conteri hærba santonica, & formata in offam in os demitti. Facit idem axũgiæ pars vna tribus partibus hyssopi permista. Marrubij quoq; succus & porri valet eiusmodi necare animalia.

Apsyrti de sanguine qui ex ano fertur, Cap. XXXII.

APSYRTVS Statilio Stephano salutẽ. Dedisti ad me literas quibus sciscitabaris quod auxilium adferri debeat equis qui sanguinem per anum excernunt, aut cum vrina reddunt. Hi sanguinis missione ex palato, & etiam infusione per os, sanantur. Tum hastulæ regiæ radix trita, cum passi cãdidi duabus heminis sic temperata, vt liquida fuerit sorbitio, demittitur. Cæterum triticea farina munda, cum suillo adipe & malo punico coquitur, dum intabescat: iusq; decocti non multam crassitudinem referẽs infunditur. Ambulationibus validis, cursitationibusq; circumagere cõuenit: aluum liquidiorem præstare, dato potui nitro: & hordeũ fœnumq; eodem respergere. Cauendum tamen ne pecus horror inuadat.

Cum sanguis à naribus fertur, remedio est caput aqua frigida, quæ paulũ salis habeat, perfundere: sed quàm frigidissima debet esse.

HIEROCLES.

QVIBVS sanguis ex sede profluit, aut ex vijs quibus meat vrina, processit: ij non alia noscendi vitij signa desiderant: vtpote cũ res apertior sit, quàm vt indicari debeat. Satis enim profusione sanguinis vitium fatentur. quibus sic succurrendum. sanguis è palato mittitur. hastulæ regiæ trita radix cum passi sextante, more saliuati liquidioris infunditur. deinde triticea farina pura, cum adipe suillo & punico malo in aqua diutius percocta, faucibus ingeruntur: sed non sit pulticula crassior quàm vt facilè possit sorberi. Progressui vehementi credere oportet, & deiectionem moliri misto potioni nitro. fœnũ & hordeum eodem conspergere. sed adhibenda cura est quo minus horror infestet. Cum sanguis è naribus prorumpit, caput aqua frigida fouendum, cui paulum salis sit adiectum. sed aqua vtendum frigida.

ANATOLIVS.

SI VRINA sanguinem trahit, & per hanc cruor editur, fabæ fresæ corticibus exemptis coctæ, adiecto adipe ceruino, & vini exiguo, per os triduo demittuntur: aut caprilli lactis hemina, vel amyli quod ternûm ouorum magnitudinem impleat, cum olei quadrante mistũ per corniculum infunditur.

Pelagonius ad eos qui per vrinam sanguinẽ edunt, aut naribus reddunt, aut si vomitus cruorẽ extundit, aut si qui profluuio sanguinis sunt exhausti.

PELAGONIVS Arsipo Idio salutem. Sæpius sanos equos sanguinis copia lædit. Siquidem liquido constat, vt cum ipse redũdarit, quocũq; loco potest erumpit. quæ profusio ne equis eueniat custodiendum est. Frequenter equo qui vehementius elassescit, profluuium sanguinis per vrinam redditum inuenitur, aut imbecillioribus, aut lõga via fatigatis, aut onere multo degrauatis, aut larga adipe obesis. his ita opus est subuenire. Sanguis è ventre detrahatur, potentur caprino lacte, amylo, ouis tribus, & succo perdicij hærbæ. Hoc in præpinguibus faciundum. Strigosos citra sanguinis missionem circumages, quippe quum sanguinis detractio nihil ijs vtilitatis adferat. Potio ad supprimendũ sanguinem efficax, quacũq; parte corporis exierit, ea recipit tragacanthæ quæ in vino maduerit semunciam, lachrymæ papaueris sextulam, styracis tantundem, pineos nucleos duodecim. hæc omnia teruntur, & ponticæ nucis magnitudine cũ vini sextario septem diebus per corniculum infundũtur. Quod etiã hominibus perquam vtile fuerit, si instar fabæ dederis in ouo. Sanguinis cursus subsistit, si porri succus ex mulso & ouo, adiecto stillatitiæ murrhæ, quam vocant stacten, momento, faucibus inseratur. Cæterum vt sanguinis impetus auertatur, primum sanguis demittatur è palato, deinde hastulæ regiæ radix in passi sextarijs duobus detrita, adiecto triticeo farre quod diligenter cribro farinario cretum sit, mox rhus syriaca in aqua longo tempore coquitur. hæc vbi cõmista fuerint, per os instillãtur. Non in multas exercitationes euocetur. in primis tamen venter aqua & nitro proluendus. Item hordeum eodẽ conspergendum. Nõnunquam etiam per nares profluuium sanguinis periculũ attulit, idq; repressum est inspirato naribus viridis coriandri succo. Si sanguis per vomitionem respondet, absinthium & spica nardi aheno nouo cum aqua coquuntur, sorbitioq; potanda præbetur, dum cursus cõquiescat.

Apsyrti de obstructionibus, Cap. XLIII.

APSYRTVS equorũ medico salutẽ. Si obstructionis vitium accessit, his notis deprehenditur. caudã protentã gerit equus, eiq; nares patent. pede solum ferit, & subinde stercus odoratur. ex eius alis sudor erũpit. circũ armos interdũ tremore succutitur, & quasi vrinæ crebra cupiditas incessisset, genitale promit, & subinde volutatur. Quę res accidere solet cũ à vẽtre lõgano, id est intestinũ quo recremẽta exeũt, cõuersionẽ cõcepit, & quæ eidẽ insidẽt, retẽta non descẽdũt. Curatur defusione vini, duumq; cyathorum olei, crebra deambulatione, fœni viridis vsu, potuq; nitri. Volutari nõ prohibeatur. Qui tali vitio laborat, difficulter ad salutẽ perducitur.

HIEROCLES.

OBSTRVCTIO prouenit cum à ventre longanonis intestinũ quo meant excrementa, conuersionem acceperit: quo fit vt ijs quę in eo resident, exitus non pateat, & vrinarios meatus habeat intẽtos, & patulas nares. Pede terram equus percutit, & in ventrem cõuertitur, odoratq́; stercora. Sudores in alis profluunt, & tremores subinde circum armos ciẽtur. Cæterum quandã micturientis imaginem præbet, & volutari cupit. Succurritur vini & olei heminis duabus infusis. Vtatur multo progressu. Opopanacem tritũ in vino candido, infusa vini quarta portione, per narem sinistram infundi prodest. Fœno viridi recreetur. Solita volutatione non abstineatur, saltẽ prima die. Farina triticea in aqua tepida defundatur. Nonnulli ante sorbitionem laudant vt vncta manus per anum inseratur, quò possint obsistentia recrementa deuocari. Vbi per hæc consecuti sumus vt exigantur, vrinam faciet.

Apsyrti de sanguinis profusione, quã hæmorrhœã vocãt, Cap. XLIIII.

APSYRTVS Armitio Corinthio salutem. Scripsisti ad me rogans vnde equis iumentisq́; sanguis è dorso manaret. Quæ res accidere solet cum veris tẽpus appetit, quo à siccis ad viridia pabula transitus fit. Tum pascui nouitate capiuntur, & sanies à sanguine secreta, dorsi tergus subit, ad summamq́; faciem secundum pilum fertur, & ad exitũ cutis spiracula laxat: quod hæmorrhoidas, id est sanguinis profusionẽ vocitant. Id cum accessit, pecus expurgatur: & quod intus læsurum erat, vtiliter effunditur. Inde firmantur vires. Quare nulla parte sanguis est emittendus, vtpote cum ab exitu rursum ad venas saniei cursus reuocaretur, & morbũ crearet. itaq; pabulo maxime viridi ac farragine saginãdum. Tum enim cõstat & profluuium & excretionem vehementius cieri. Quod autem ad tractandi equi rationem pertinet, frictio, quòd cutis spiracula denset, inimica est. Quippe cum hæc illuuies eruptura prodit, si non sequatur exitus, vt antea proposuimus, scabiem creabit.

HIEROCLES.

SANGVINIS per ora venarũ profusionẽ, hæmorrhoẽn Græci appellant, in iumẽtis plerunq; à dorso moueri dicimus, præsertim ineunte vere. Nanq; sanguinis coiens sanies, subter dorsi cutem vagans percurrit, & exitu patefacto secũdum pilos per summæ cutis angustias euadit. Quod nonnulli hæmorrhoidas appellant. Est autẽ sua pecudis purgatio, qua vires euadunt vegetiores. Quapropter nullo loco sanguis mitti debet, nisi morbus innascatur: sed potius cum cibis cæteris, tum ma-

xime viridi pabulo, recreari. Videtur enim equus valetudinis causa profusionem hanc excretionémque moliri. Sed ita moderandum, ne frictione cutis meatus coarctentur, & spiracula considant. Quòd si iam patefacto venularum ore sanguis nõ erumpat, sed sua sponte cohibeatur, scabiem confestim parere consueuit.

Apsyrti de torminibus præsagium, & remedia. Cap. XLV.

EQVVS quem excruciant tormina, primũ pede fodiens concidit, recubánsque volutatur. Cum insistit, distorquetur. Caput vtrisque pręcordijs admouet, & totus sudore madet. Vnctam igitur manum per anũ inseres. Deinde centaurij quàm optime detriti quantum tribus digitis sumi potest, addito vini & olei cyatho, tepidum infundes. Mox ad cursitandum educes. Sin ijs non conquiescant, opopanacem, aut myrrham, aut apij semen, aut muscum qui ab Indis defertur, aut chelidonium, vtrunlibet nactus fueris: quæ si nõ offendas, quam feceris vrinam ingeres, vino & oleo confricabis, & eadem faucibus inspirabis, calida sublues aqua, hordeaceámque farinam dabis.

HIEROCLES.

Simplex est aduersus tormina remediũ, ouũ dentibus vt axungiã subigere.

HIPPOCRATES.

TORMINOSVS equus sic deprehenditur. modo huc, modo illuc, frequenter in solum, se iactat. Iterum exurgit, solóque tractim ventrem apprimit. distorquet sese, & gemitus edit. Sudore testes perfunduntur, & collachrymantis imaginem ostendit. Atqui caudam protendit, & inconstans quoquouersus se cõfert. Naribus spiritus cum feruore prorumpit. os concluditur. Siccam linguam asperámque recondit. Flaccescũt aures, pendulæque demittũtur. Subinde somnum captat. Calidis lotionibus curatur. operimentisque munitus concalescat. mox myrrhæ drachmæ quinque in vini veteris sex heminis per os aut nares infundantur. Post hãc sorbitiũculam ad cursum procedat, nõ intercedente longo tẽpore: neque tamen vehementi cursu cõcitetur. Pabulis largũ apium, si suppetit, interponatur. Aqua calida detur potanda. Postquam aluum deiectione solicitaueris, rursus cursitare coges, quò sudorem possis elicere. Cæterum nasturtij semen tritũ ex aqua per sinistram narem demittatur. Vestimentis contegatur. Hęrba quæ dicitur medica, pro pabulo cedat. ramẽta priorum vnguium intrita in aquæ quatuor heminis ingerantur: aut terra scrobiculi quem mus araneus defoderit, trita fundatur.

ANATOLIVS.

EQVVM qui torminibus laborat, calida lauare remedium est, vestibus etiam operire: dein myrrhę pondo denariorum quinûm, & vini veteris sextarios treis, & olei treis heminas, simul omnia percolata, per triduum infundere. Prodest in aluum marinã calidam subter dedisse, in qua baccę myrti sint decoctæ, aut polyophyllum & abrotonũ, aut amaras nuces cum vino mistas, aut malicorium ex aqua demittere, aut nitrum tritum cum vino calfactum similiter ingerere. Insuper dabis operam vt oua quatuor in ore fracta, cum suis putaminibus animal deuoret. Si tormina magis opprimant, nec aluus quicquã nisi coacta reddat, inter crura caudam equus iactabit, & supra ventrem decumbet. Tum rutæ syluestris semen in hemina vini datum, ea digeret. Proderit quoq; cepas decẽ tritas, aridarum ficorum pondo denariorũ trium, nitri scrupulum vnum, fimi columbacei sextulã, simul omnia miscere, & in duo collyria formare, quæ subduntur ano. ex superioribus stillatitiam myrrham, quam vocãt stacten, ex oleo mellisq; momento tepidã faucibus infundere. Si necessitas expostulet, licebit manum per sedem inserere, & fimum eximere. Si ijs hæc tormẽta nõ discutiantur, à sequẽtibus auxiliũ petendum est. Quapropter cymini mũdi ligula vna, seminis rutę dimidium, opopanacis quod fabã æquet, laseris magnitudo quæ dimidiã fabæ partẽ impleat, vini veteris sextarius italicus, olei quod acerbæ profuderunt oliuæ, omphaciũ vocãt, quod esse satis videbitur. hæc mistura per triduũ animali præbeatur. Sed hordei victu tum eis interdicatur. Torminosus equus ijs notis deprehenditur. cõtinuo sese volutat. eiq; venter spiritu distenditur. decumbens gemitus exprimit: & modo huc, modo illuc vertitur. intestina latrant, & cõmurmurantia crepitum elidunt. Quod ad aliam curandi rationem pertinet, fomenta adhibentur quę spiritũ digerant. Totum corpus inspiratis vino & oleo, manu defricatur. Styrax, vinum, oleum, aristolochiáque defunditur, aut porri succus ex vino & oleo. Vinum & oleũ subter in aluũ dantur. Manus oleo peruncta inseritur ano, vt occurrens fimum eliciatur. Vesica clementer ac blande manibus tractetur. Eruum detur esitandum, aut auena eruo mista. Tepidam ebibat aquam.

Apsyrti de iliorum inflatione, Cap. XLVI.

APSYRTVS Quinto Lollio Marrullio salutem. Te nutrientem equos nosse perquam vtile fuerit, quęnam intestini tumoris indicia proponantur, & qua de causa vitiũ hoc inuadat. Hac ratione prouenit. cum equus conditiuo tẽtatur pabulo, ipsum quidem cõcoquitur, verum spirandi difficultatem parit. corpus implet. aluum destringit, & reddendis excrementis duriorem præstat. Paucula quædam excernit. Anus

inflatur. id κωνωπεῖον Græci vocant, quòd vacuæ partes vētris, quæ magna ex parte flaccescere debēt, & ardore deflagrēt, & spiritu distēdantur. Nonnulli flatum in cithara malūt appellare, qui mediū os pectoris esse tenui terebello perforādum inuenerūt, quo per foramen spiritus euanesceret. Alij extractū syluestris cucumeris succū instar heminarū triū, cum pari modo vini, & hemina olei, ex inferioribus partibus infundunt. Nos ijs vsi sumus remedijs. Fimum columbæ aut gallinarū domibus oberrantiū, quantū manus capere potest, immisso vino nitroq; subter in aluū dedimus. Pabulū vino maceratū obiecimus. Vinolētam potionē præstitimus. Præcepimus vt à labore respiraret, ac daretur ab opere vacatio, paulū etiā progrederetur, vino & oleo duriter secūdo pilo defricaretur. Cæterū sanguis è cauda missus auxiliū est. sed statim ab eius exortu, interuacāte quatuor digitorum spatio vena feriatur. Alios inflatio torquet, quorū explicatæ nares patēt. ij difficulter spiritū reddunt, ac inter respirādum vēter & latera ferè cōmittuntur. sicco lædūtur alimēto. Hæc inflatio residebit, si siti equum crucies, & viride fœnū obtuleris.

Hierocles iliosis.

ILIVM inflatio corripit, quoties sicco pastu, qui equo sit alienus, carpitur. is spirandi difficultatem adfert, ilia flatibus implet. Hinc vēter supprimitur, solitoq; durior exigua quædā figurata remittit, sedes flatu distēditur. Nonnulli spiritū in cithara id vitiū vocarūt. Expedit itaq; cucumeris agrestis radicē tusam in succum redigere, qui heminas treis impleat, vini odorati tantundē, nitriq; pōdo denariorū octo cōmiscere, & ex inferioribus in aluū indere. hæc insequētia laudat Apsyrtus. Stercus colūbæ aut cohortalium gallinarū instar manus plenæ coniectū in vinum & nitrum subter aluo suffundendum. Nitro pabulū nonnunquā conspergēdum, & potionibus adijciendum. Paucā progressionē probat. Frictionem cum oleo & vino secūdū pilos adhiberi. Si venā expedit soluere, vt Apsyrtus author est, ab initio caudæ secabis. sed à sede quatuor intersint digiti. Cæterum alios inflatio simplicior afficit, cum nares explicarint, & in spirādo venter & latera ferme coëunt. hos à potu largo vindicare cōueniet, & viride fœnū obijcere.

Apsyrti de pectore, Cap. XLVII.

APSYRTVS Antipatro equorū medico Alexandrensi salutē. Si pectori ferri mucro, aut alia euidēs causa vulnus intulit, hanc curationem desiderat. Fibulæ lineæ aut canabinæ nō tenues transuto tergore vtrisq; labris imponēdæ. Vulnus linamētis è lana vino & oleo madefactis implendum: dein oræ fibulis strictim contrahendæ: quibus post triduum resolutis, aqua q̄ plurima respergatur. Hoc quotidie faciundum,

adhibitis vſq; ad alios quatuor dies fomẽtis. quibus exactis fibulæ reſoluãtur. Erui farina vulnus conſpergatur. Aqua tam hyeme quàm æſtate calida proluatur. Cum expurgatum vulnus fuerit, lipara nutriẽdum, quouſq; ducta cicatrice perſaneſcat. Nõnunquam toto equi corpore prægnãtes ſpiritu puſtulæ ſub tergus erumpunt, ita vt inteſtinæ inflammationis ſuſpicionem quandam præbeant. Oportet itaq; in pectore puſuloſam cutem reſcindere tribus locis per ambitum intercedente dupla pollicis vnguis latitudine. ſic inflationes reſident, & in ſpiritum euaneſcunt, nec aliquod ſuberit periculũ. Si vero penitus vulnus ita penetrauit, ferroq; traiectũ pectus fuerit, nullus medicinæ locus. Siquidem confeſtim equus in perniciem procedit, nec diu vita protrahi poteſt, quòd vicinum cor per vulnus quod in pectore hiat, perfrictionis iniuriam ſentit.

HIEROCLES.

SI PECTVS ferri mucrone, vel alia cauſa vulnus accepit, ratio curandi fibulas poſtulat: quas non tenues vtraq; vulneris ora, trãſuta cute, ſic vt tibi faciant ſatis, impones. lanam oleo vinoq; imbutam quaſi linamentum inculcabis. vbi fibulæ paulũ oras contraxerunt, eas deligabis. Tertio die reſoluẽs, calida fouebis aqua: quotidie etiamnũ vſque ad quartum diem profundes: quibus elapſis fibulas eximes: & calida perluẽs, erui farinam illines, donec quod intus concreuit, purum emanet. Poſtea lipara perũges, dum ad ſanitatem peruenerit. Si ad interiores partes mucro deſedit, & ferrũ penitus actũ eſt, ſeruari vita non poteſt, quòd per vulneris hiatum ad vicinum cor frigus aſpiret, quod ſupplicia vitæ non trahit.

Apſyrtus de genitalis procidentia. Cap. XLVIII.

APSYRTVS Numenio Alexandrino ſalutem. Si genitale procidit, nec iterum poſſit in ſuam ſedem reſilire, currentem agi aduerſis fluctibus maris aut fluuij, dein ſiſtere & perfundere præcipiunt. Alij ipſum inclinãtes appenſis cruribus, cerato cum adipe ſuilla tenuiq; nitro confricant, & aqua calida liberaliter perfundunt, ſicq; in ſedẽ vnde prolapſum eſt, repellunt. ſed longe melior eſt aqua marina. ſi deeſt, ſal aquæ conſpergendus. Nos autem hoc remedio ſumus vſi. Inſiſtẽte pedibus equo, colis cutem adacto ſummatim aculeo tenui ſtimulamus, dein acri aceto accepta punctim vulnuſcula conſpergimus. ſic in natiuũ locum exciduũ genitale ſe recondit. Hoc idem præſtant affrictæ vrticæ. Cæterum procidua ſedes, & excidens glandis folliculus, extraq; prorũpens os vteri, crebro lancinatu acus in vernaculam ſedem redeunt.

HIEROCLES.

PROCIDVVM genitale si in suum ordinem restitui nō potest, nec reducenti paruit, aduerso flumine vel mari cursim impulsus proluatur. Sunt qui prosternentes equum cruribus suspendunt, & cera cum adipe suilla & tenui nitro defricāt, multa frigida subluūt. sed multo efficacissima est marina. si desideretur, salem in aquam conijciunt. Hoc insequens magis Apsyrtus probat, qui acu tenui cutem quæ colem ambit, summatim lancinandam, & acetum acre vulnusculis irrorandum iubet. Sic enim in suam sedem prociduum genitale se recipit. Hoc idem affrictu præstant vrticæ. Cæterum procidens sedes, aut exiens colis folliculus, vel os vteri prouolutum, adacta punctim acu, in natiuam sedem repellitur.

PELAGONIVS.

SI COLES in exteriorē locum venit, & hinc vrina remoratur, thus, ouum, cuminum cum vino mistum infundito. suillum fimū ex aceto percolatū, aut radicis panacis scrypula duo cum nitro trita itidem ingerito. Proderit syluestris rutæ radicē cum cynocrambe mistā itidem infudisse. Hoc etiā aduersus tormina efficax habetur. Quòd si vrinam non facit, eadem ferè remedia sunt. nam oleum immistum vino super ilia lumbos & renes infunditur. Et si hoc parum profuit, melle decocto & sale collyrium tenue inditur foramini quo meat vrina, vel musca viua, vel thuris mica, vel allij pars, vel de bitumine collyrium inseritur, quo diximus modo. Naturalibus hæc eadem adhibēt remedia si vrina genitalia deusserit.

Apsyrti de inflammatione testium & tumore, Cap. XLIX.

APSYRTVS Memnoni veterinario salutē. Te nutriētem equos scire velim, quòd testium inflammationes, aut vulnere, aut morsu quem serpens impressit, concipiuntur, aut quoties inuicem equi sæuiunt. cui ita pleriq; medentur. Syluestris cucumeris radicem fractam in aqua & sale decoquunt, spongiaq; hoc liquore imbuta fouēt. cerusam, oleum, & caprillam adipem cum oui candido contritam delinunt. sic ad sanitatem perducunt. Sed cum alia causa inflammationem mouit, sic oportet auxiliari, bis die calida perfundere, & insperso aquæ sale, cimolia cū aceto linire, aut figulari creta similiter, aut tunsi viridis absinthij succo, aut cicutæ præsertim eius quæ in sterquilinijs enascitur, aut solani succo. Nec secus cerusam tritam ex aqua delini iuuat.

HIEROCLES.

Si ex inflammatione testes intumuerint, aqua calida cui paulum nitri sit adiectum, aut aceti fece foueantur. si vero tumor sub ijs curationibus nō

desidit, sanguis à cruribus prope testes mittitur. si ne ijs quidẽ finiatur, cãdẽti ferramẽto media pars exulceretur. sed custodiẽdũ ne testes ignẽ sentiant.

Hippocrates aduersus testium inflammationes.

TESTIVM inflãmationes illinãtur figulari creta aceto subacta, aut solano in aceto cocto. ab inguinibus sanguis mittatur. nulla frigidæ aquæ potestas fiat. Si ijs non discutiatur morbus, puerili lotio foueatur, subditis molis candentibus, quarum halitu profusoq; vapore sudor euocetur. calida perfundatur aqua. oleo perlinatur. Detur opera, vt ad ambulandum pergat. Si testium exurgens tumor afficit, cretam cum bubulo fimo, cumino & posca tritã, illiuisse satis est, donec dolor conquiescat.

Pelagonij ijs quorum genitalibus pus fertur.

Gallinaceum gallum & catulũ simul in aqua decoques. in colatũ liquamen triti bituminis drachmã adijcies. nouẽ diebus hoc ius dabis ebibendũ.

Apsyrti de intestinorum prolapsu, Cap. L.

APSYRTVS Dio veterinario ciui suo salutem. Scripsisti ad me de eo genere herniæ, in quo ad scrotum præceps deuoluitur intestinum, enterocelen nominant. Si equo nascatur, (ea vetustioribus descendere cõsueuit) scrotum id est folliculum quo testiculi conteguntur, comprimere oportet, & qua põdus verget, fibulas adhibere, & vinculis firmiter obstringere, aceto nitroq; perfundere. vbi fibula computruit, aqua frigida fœmina & vlcus subluere, simplici curare medicamento: locum adminiculo fulcire, dum suæ sanitati reddatur.

HIEROCLES.

Si intestinũ in scrotum desiliuit, quod enterocele græcis dicitur, oportet folliculum quo testiculi comprehenduntur, apprimere, & qua sidit pondus, indita fibula, quàm firmissime deligare, dein aceto nitroq; fouere. Cum emarcuit fibula, fœmina frigida aqua perfundere, vlcus ad cicatricem perducere. Ab relapsu sustentum vindicare, dum ad sanitatem perueniat.

Apsyrti de genuum defluxionibus, Cap. LI.

APSYRTVS Semiæ Centurioni salutẽ. Defluxiones in genua decumbunt, quæ romano sermone flimelia dicũtur. hæ prorsus sectionẽ respuũt. siquidẽ ducta cicatrice, genu in rugas cõtrahitur. Multo deterius efficiunt qui candentibus ferramentis exulcerant. nanq; defluxionis impetum eò deuocant: inde densatus tumor occallescit. Hanc curandi rationem sequuntur. Pilulas quas æstus maris in littus expuit, in tenues

laminas diducunt, cimoliam cretam adijcientes. cum hæ diebus quinque maduerint in aqua, per biduum illigant, tertio die ſoluunt: rurſus illud idem tentāt. nam ſaniem ea res exprimit. Aut cinerem ærariæ officinæ fornaci reſperſum, melli coćto commiſcere conuenit, & linteo agglutinatum ſuperligare, aut hordeaceam farinam ammiſta aqua applicare, aut groſſum tuſam adalligare, in frigidam appelli. Si ijs curſus non ſubſtitit, ſiccum malagma vtiliter adhibetur. Iis remedijs pugnandum quoties liquida ſubeſt ſanies, quæ cum intus concreuit, in internam genuum partem tranſiens, illò ſe recipit, ac nodum inibi creat, quem malagmate ſicco, vt antea dićtum eſt, opus eſt digerere, quouſq; deorſum ruat, & offuſa radio collećtionem excitet, quam inde paracercidia vocāt: cui ex axungia malagma remedium eſt præſentaneum. Verum ea defluxionum generibus annumeratur. Cum autem in inferiores partes proruēs curſus crura repleuit, præſertim poſteriora, ſic vt præter modum intumeſcāt, ſi ſanguis ab ijs demittatur, maior humoris vis eò concurret. Tum progreſſibus & curſitatiunculis vti iuuabit, ac in frigidam aquam deſcendere.

HIEROCLES.

SI DEFLVXIO genibus inſideat, quam romana voce vocant ſlimelium, ea diſſećtionem non deſiderat. nanq; cicatricoſum genu rugoſumq; relinquit. Sed ne illud quidem vrendum. Eo enim magis ruentis humoris impetus fertur, occalleſcente loco. huic ita ſuccurrendum. Orbiculos æſtu maris in littus eiećtos diuellere fruſtatim oportet, & in aqua per quinq; dies macerare, addita cimolia creta ita linire, biduo ſuperligare, die tertio reſoluere, rurſus idem proſequi, vtpote cum ita ſanioſus liquor elidetur. Aut cinerem ærariæ officinæ fornacibus inſperſum, melli commiſcere, pannóque ſublitum obligare, aut farinam hordei ſubaćtam aqua ſuperponere, aut groſſulum tuſam ſimiliter immiſtam illigare. Eſt & malagma ſiccum vtile. His vtendum quatenus liquida ſanies ſubeſſe ſentietur. Cum vero iam coijt, & ad intimam partem effuſa tranſfertur, nodus erumpit, quē ſicco malagmate, ſicuti ſcriptum eſt, diſcutere eſt opus, quoad deorſum verſus ſe conferat, partémque radio vicinam occupans, pariat collećtionem, quæ paracercis inde græcis cognominatur, quòd circiter radiū, quem cercida vocāt, exeat. Cui ex axungia adhibitum malagma inter valentiſſima eſt auxilia. Ambulationibus vti & curſibus modicis non eſt alienum. In aquam etiam ingredi iuuat. Sed obſidentem genua inflammationem diſcutit medicamentum quod rhododaphnæ, bituminis, nitri, axungiæ veteris, ſingulis quadrantibus temperatur.

Apsyrti ad suffraginosos equos, Cap. LII.

APSYRTVS Apolloniadæ medico equorum salutem dicit. Cum defluxiones erumpunt in pedes, quas è Græcis nonnulli σειρὰς, quasi pedicas, aut si mauis catenas, alij chiramata vocãt, quòd calces rimis scissæ rigeãt, ex quo σειριᾶν, quasi compediri dictum est, Romani suffragines nominant. quibus hęc adhibetur curatio. Sãguis è pedibus imis mittitur, dissecta calcanei vena parte exteriore, vel itidem interiore. Sed ab exortu vngulę missionem tentare non oportet, sed infra potius deradere, & cutem leniter scarificare, quò noxius humor effundatur. vino postmodum detergere. Succum acaciæ ruffæ cum aqua tritum, vt mellis crassitudinẽ referat, delinere, aut suillum adipẽ tritũ ex pice liquida admouere. Frequẽter inambulet, sed in aquã pedẽ nõ mittat. Hoc vitium vt hyeme cõtrahitur, sic æstate pecus à morbo sese recolligit, & ad sanitatẽ perducitur. Suffraginosi nõ facilè articulariæ malidis vitio tentantur. Sed ne canterij quidem cõplurimum redduntur defluxionibus opportuni. Vtilia sunt hęc tẽporius adhibita. Erui farina vino aut melli mista, ligata circunducitur. Eundem effectũ fresa faba præstat. Suillum fimum vino subactum, in quo detrita malicoria sint incocta, circunligatur. Tunsa galla etiam illitu prodest. Amurcæ viniq́ austeri feruefactorum fotus est salutaris. Hastulæ regiæ radix in aqua cocta ad idem efficax est. Sale, oleo, & melle suffragines defricentur. Defluxionũ quæ pedes afficiũt, genera sunt tria: quorum iam vnũ proposuimus. Alterũ vngulam in altũ sustollit: in quo maxime sursum versus scarificãdum est, ne vngula protritu cõsumatur. Tertium, cum eadẽ offringitur: quod incõmodum accidere solet prouectis ætate. Qui defluxionibus sunt obnoxij, eisq́ fluidũ est saliuis os, multo maxime senecta cõfectis, vsq́ eo, vt quod mãdunt hordeũ, penitus humectẽt, quiq́ longęuiores degũt, longe magis huic noxæ patent. Iunioribus quoq́ solet accidere, sed quàm veteribus multo rarius.

Defluxionis præsagium, & remedia.

PRIMVM tument genua, claudicantq́ equi, nec in altũ conscendere possunt. Cum manu vitiata pars premitur, recti assurgũt. Si igitur posteriora defluxiones obsideant, candentibus ferramentis teretibus adurantur, in flexu poplitis interno quinq́ citatis igni plagis, in externa parte latis vtrinq́ fastigijs. Si prioribus genibus insederunt, ea cancellatim comburantur, & vt reliqua vlcera igne facta, curentur.

HIEROCLES.

DEFLVXIONES in pedes descendunt, quas Græci siras, alij chiramata vocãt. à quo σειριᾶν, id est cõpedibus implicari, Apsyrtus author est. quod vitiũ sic depellitur. Sanguis pedibus detra-

hatur, soluta scalpello vena quæ calcibus parte exteriore prominet, aut interiore conditur. sed prouidendum ne iuxta originem vngulæ id attentetur. multo magis ab inferiori parte, ne exteratur, scarificari deradiq́ꝫ conueniet, deinde vino detergeri: postea ruffæ acaciæ succum in aqua tritum, vt mellis crassitudo referatur, illinere. Eundem effectum pix liquida ex suillo adipe prębet. Ad aquam equus non debet appelli. Malum hoc hyeme concipitur, sed æstate depulso vitio ad sanitatem recursus fit. Sed nõ facilè castratos defluxio tentat: qui neqꝫ etiã malidis articulariæ iniurijs patent. Hæc inter valentia remedia laudat Apsyrtus, erui farinam vino & melli mistã illini, linteoq́ꝫ deligari. hoc idem fabæ fresæ lomentum præstat, item suillum stercus. Nosse licet quòd quum defluxione corripitur equus, crura tumescunt, solito grãdiora turgẽt, sed longe magis posteriora ijs tumoribus obnoxia. Ad quæ sanguis inde missus, maiorẽ humorũ copiã secum rapiens allicit. Malicoriũ igitur vino subactum, & ex aqua coctum, illinitur. Galla tunsa suo cataplasmate iuuat. Amurca austeroq́ꝫ vino quę simul efferbuerint, fouere prodest. Hastulę regię radix in aqua decocta ad eadem efficax est. verum sale, oleo, & melle defricetur. Hoc vitium in treis species degenerat: quarum vnam ante scripsimus. Altera in sublime tollit vngulã, in qua infima opus est deradere, quo minus iacturam faciat vngula, & detritu cõficiatur. Tertia, cum vngula frangitur: quæ res ætate prouectis accidit. Defluxionibus vtiqꝫ sunt obnoxij quibus ore saliua profluit, ita vt humefaciant hordeum quo pascuntur. quod plerunqꝫ senioribus euenire solet, maxime senio cõfectis. Quinetiam natu minoribus prouenit, sed non ita frequenter.

Eumelus ad crurum defluxiones.

SI CRVRA defluxiones occupent, eas cãdentibus ferramentis adurere conuenit. Sed vulnera ignea vi facta sanabis, si spongia aceto & lasere imbuta superponatur: postridie collyriũ instillatur quod mucosum lentorem excutiat. Cuius cõponendi ratio hæc est. gũmis, ammoniaci, singulorũ pares modi aceto quàm acerrimo detriti cõmisceantur, insolatiq́ꝫ dum siccescant, in collyria formentur. Recentes defluxiones citra ferrum ita discuties. Floris rosmarini, galbani, singulorũ selibrã, resinæ dupondiũ, pollinis thuris pinguissimi cyathos quatuor, nitri semissem, salis sextariũ vnũ miscẽdo cõteres. vbi adieceris acetũ, operã dabis vt efferuescãt, & concrescãt in malagma, quod calidum illines, & per triduũ applicabis. aut bituminis iudaici, seminis sinapis, rhododaphnes, singulorũ librã, admixta axungia genibus oblines. aut radicẽ ranũculi, quod batrachion veterinarij vocãt, eruũ, axungiã veterẽ, cũ aceto acri trita admouebis, vel sinapis alexandrinæ, nasturtij, caricarum aphrarũ, singulas selibras, salis sextãtem, axungiæ veteris librã, aceti quod ad excipiẽdum fuerit satis, miscebis, & vsui dabis.

Hippocrates inflammationibus, ac meliceridi, laxatis & vliginosis artubus.

SAL CVM melle tritus destillationem sistit. Si inflammatio recens infestat, rescindi debet, & cādente ferro aqua frigida prius edomito vulnus emundari, dein spongia aceto madefacta per quatriduum imponi, quinto die hordeacea farina aqua subacta indi, donec vulnus cicatricem duxerit. Tum punici cortex contusus cum lycio sinui patefacto superponitur. Si vel inflammatio afficit, aut si tubercula glutinosum humorem mellea crassitudine concretū eructent, hydatidas vocant, calidi cineris vnciam, glebæ calcis viuæ tantundem, cum vino & melle subacta, prius quàm inarescant, vlceri superlines. Eo remedio pugnabis si recentia fuerint tubercula. Quòd si vetustatē senserūt, more reliquorū adurens medicamentū postulabūt. Si labor huius morbi causam attulit, præsertim cum equus aspero loco vel lapidoso vehementer agitatus fuerit, aut ingenti pondere degrauatus iter fecerit, aut dorsuarius sarcinam comportauit, proderit rhododaphnæ, bituminis, nitri, axungiæ, singulorū quadrantale pondus colatum mistumq́ in medicamentum cogi, & postmodum illini. Si quodam humorum coitu abscessus exiliāt, ferro sunt aperiendi, deinde tentāda hæc curatio. Adipis taurini, galbani, bdellij, piperis candidi, ammoniaci, singulorum pondo quadrans, pollinis thuris pondo triens, baccarum lauri pondo vncia, miscentur, vt in medicamentum concrescant, quo vulnus omne sanari consueuit. Nec ab hac curandi ratione tunc abhorrebit cyclamini radicis crematæ cinerem cum erui farina melle acetoq́ subactum superponere vulneri. Si vero vulnera penetrent altius, quàm vt horum vim possint sentire, linamētis rubrica melli mista madentibus oppleantur, mox pānus aut spōgia posca imbuta admoueatur. Multis tritas gallas aut marrubij succum cum fuligine satis est imposuisse. Si hanc medendi viam tradas, vt inflammatio ferrum non experiatur, sinapis, salis alexandrini, singulorū sextula, nasturtij aceti scrupuli duo, axungiæ veteris sesquilibra, omnia simul terātur, illitaq́ linteo per triduū imponātur: dein soluto medicamine, deletili spongia cyrenaici laseris imbre rorata defricentur. sic vlcerum crustæ puluiniq́ soluti fatiscunt. Non desunt qui fœni florem vstum cum frigida posca tantisper admoueāt, dum inflāmatio prorsus consederit, & euanida abierit. Deinde tritas alliorum spicas talis imponunt. Est autem hoc inter probatissima remedia cum artus laxati dehiscunt, aut aquosa scatent vligine. aloën, mannam, thus, picem brutiam vnà conteres, triticeam farinā adijcies, & candidum oui liquorem, quo excipiantur reliqua: dein articulis agglutinabis. diligenter charta deligabis. post aliquot dies resolues. Rursus idem remedium dum consanescet adhibebis. Si poplites inflammationem sentiant, ceræ, bituminis, sulfuris ignem non experti, paria pondera

resoluuntur,quibus calidis poplites sublinuntur, furfures imponuntur ex aceto. Si in equorum armis nerui crassiores protuberent,aut nodi,quos condylomata vocant, occalluerint,eos adurere necessum est. Si vero ex articulorum sede prosilierunt, sanguinem opus erit emittere, planeq́ꝫ membra fricare.postea tali vtendum remedio. Oleum cum aceto lana exceptum,per quatriduum articulis imponendum, sic vt quotidie id genus medicamenti admoueatur. Post hæc calido auxilio firmandi sunt articuli. cuius remedij compositio hæc capit, sinapis purgatæ libram, galbani quadrantem, medullæ cerui tantundem, aceti quod satis esse videbitur. Si defluxio pedes equorum occupet, genua tumescunt. inde claudicatio concitatur. Si ergo posterioribus insideat,teretibus ferramentis vrantur. interiore suffraginū flexu quinq́ꝫ locis cutem candentibus opus est exulcerare, exterius vtrinq́ꝫ latis. Si vero in priora decumbat, à genu plagæ cancellatim imprimantur. Vlcera igne facta vt cætera sanentur. Si nerui plus æquo incrassescant, fœnumgræcum cum ficis aphris tusis & vino mistum imponitur. id post triduum soluitur. Si circa crura aut genua longo itinere aut multo cursu nascantur inflammationes,proderit frigida aqua partes quæ collectionem experiuntur, perfundere, aut in fluminis vadum agere,& per alueum aduerso flumine ingredi,deinde spongiam lasere aceto visco defruto axungiáque intinctam admouere.

Apsyrtus de marmore. Cap. LIII.

APSYRTVS Iulio Fausto decurioni salutē. Te pecudes enutriētem optimum nosse, quòd pedibus præsertim primoribus iuxta vngulæ exortum, quam vocant coronam, marmora prosiliūt. Ea tubercula quædam sunt,quæ in callosam tophaceamq́ꝫ duritiē coierunt. quorum iniuria claudicantes equi permanent. hyeme quidem ob lutum,æstate propter squallores subterūt pedes, & cotibus elimant.hinc continens calor ex vngulis erumpit.Hoc vitium cōtrahitur cum ex itinere scabráq́ꝫ via vngulæ incaluerunt. tum saniei vis in cōpagem cōmissuramq́ꝫ neruorum acetabuli se inclinat. Neruicis etiam accidere solet, aut quibus talorū intertrigines collectionem mouerunt: quòd venæ ea parte pedis,quam cyna,id est canem vocant,ignea constant natura. E quibus sanguis mittendus non est: quippe cum ad ictum scalpelli locus excandescat,tophaceamq́ꝫ duritiem & inflammationem creet. quare multo melius fuerit malagmate vti quod luxis dicatum est.Mulus duntaxat hoc vitium nouit. Asinos non facilè hoc malumvexat. Cæterum equus non marmore sed podagra tentatur.

HIEROCLES.

VITIVM, periti marmor appellãt, prioribus pedibus in ortu vngulæ, qui corona vocatur, erumpit. Sūtq; prodeūtes calli, qui claudicationem adferūt. Nam luti causa, aut continuo pedum subtritu concipiuntur. Cum itinere aut aspera via calor vngularum inferbuit, sanies ad neruorum compaginem iuxta modiolum cōcurrit, vbi ossa pyxidatim cohærent. Id accidere solet neruicis, aut quibus tali coëuntes intertrigine conflictãtur. In hoc affectu sanguinem emittere non oportet. Nanq; sauciato punctim loco, tophus in maiorē duritiem concrescit, & inflammationem molitur. Multo melius ergo fuerit vti malagmate quod luxationibus sanãdis est addictū. Mulus hoc malū experitur. Asinum rarius is casus manet. Equus huic incommodo non patet. Ficorum aphrarum, calcis, axungiæ veteris, singulorum libram, floris hyssopi cyathos treis ita conterens, vt in vnum coëant corpus, superpones.

Apsyrtus de podagra. Cap. LIIII.

APSYRTVS Artemæ sectori salutem. Te scire optimū quòd cum equum podagra tentat, neq; stare neq; progredi potest: sed non secus atq; correptus hordeationis vitio, decumbit. Cibi fastidio torquetur, ita vt obiectum respuat. os incalescit exsiccaturq;, palatū in sublime tollitur. testes eius singillatim vicissimq; micãt. colis procidit, & exeritur. in stabulo pedes propter ardorem quo flagrãt, vt in subtritu, stercora colligunt. Cui sic subuenitur. Cubitare prohibeatur. Lente ac paulatim agatur sub tecto, vsq; dum sudor erumpat. Corpus frictione demulcendum. Sanguis è palato mittendus, sed minus liberaliter. Rursus post dies septenos ex posterioribus à suffragine proxime talos detrahendus, qui non abunde profluat. ex prioribus eodem modo dimittendus. calida aqua cum nitro triticeaq; farina munda detur potanda. Prodest etiam radicis chamæmeli, quam, quòd vere floreat, eranthemum vocant, pugillum, & acetabulū mannæ, cum vino quotidie per nares infundere. Tridui curriculo vlmi corticem pila tusum, elotumq; vino similiter ingerere. Inter optima id habetur. Betæ ex aqua decoctæ expressum ius additis tribus olei cyathis infundere. His igitur omnibus vsi sumus. Maxime nobis placet medicamento deiectionē alui moliri. Nam cum bene corpus est affectum, fluxionum impetus innocentiores esse constat. Post purgationem acetabulum eranthemi in passi odorati heminã coniectum expedit naribus instillare, viride fœnum obijcere. si tempus deneget, conditiuū nitro respergendum. sed melius est viride, licet cordum fuerit. Si ijs morbus non finiatur, testes præscindere. sic tandem consanescet.

HIEROCLES.

CVM podagra equum male habet, nec pedibus insistere nec inambulare potest, sed humi procumbit, vt qui hordeatione laborat. cibum fastidit. os calidum siccumq́ percipitur. palatum in sublime tendit. testiculi sigillatim insiliunt. genitale concidit, ac depromitur. in equili pedes ob ardorem quem sentiunt, ad se fimum eliciunt. venæ quæ ad dorsum prorepunt, per iubam distenduntur. Hãc curandi rationem desiderat. Recũbere non patieris, sed paulatim, dum sudor euocetur, ages. corpus infricabis. sanguinem non multum palato detrahes. post dies septem ex posterioribus sub articulo suffraginum non magnam sanguinis vim opus est dimittere. itidem prioribus sub flexura propter talos. calidam aquam potui dare, cui nitrũ farinaq́ tritici euoluto furfure sit adiecta. Nõnullis id auxilium ferre creditur eranthemi, quam vocamus anthemidem, quantũ manus capit, mannæ acetabulum vino demissum, vsq́ triduum per nares quotidie suffũdere. Tusum vlmi corticẽ in mortario, elutumq́ vino demittere. Aut, vt quidã sentiũt, betæ decoctum ex vini cyathis tribus ingerere non est alienum. Apsyrto aluum ciere placet. Quãdo cum bene corpus valebit, destillationis cursum in pedes ruere, noxa vacabit: post factã deiectionẽ eranthemi acetabulum in vini passi heminam coniectũ, naribus inserere conueniet. viride fœnum præbere. si deficit, siccum nitro respergatur. Si in ijs non est præsidiũ, testes excindi debẽt. ita saluti reddetur. Podagræ cruciatus leuat insequẽs medicamentũ. Terebinthinæ pineæ, laurei olei, ceræ, nitri, adipis taurini, guttæ ammoniacæ, olei myrtei, iriniq́, singulorũ pondo, vulgaris olei selibra, vini veteris sextarij duo, castorei lachrymę, styracini olei, piperis, singulorum vncia, medullæ cerui, cyperi, singulorum quadrans, serpylli, folij persici, seminis lini, saluiæ, singulorum triens, opopanacis, galbani, sulfuris ignem non experti, sampsuci, bdellij, mãnæ, singulorum sextans, olei cyprini selibra, hæc miscentur. hoc medicamento cum res exigit vtendum.

EVMELVS.

Si ad ĩferiora factus cursus pedes ĩpleat, podagrã creabit. tũ sãguinis taurini heminæ atticæ dimidiũ, thuris drachmas decem, salis hispaniẽsis denarij põdus cõteres, adiectaq́ vini hemina calfacies, & per sinistrã narẽ demittes.

Apsyrtus de pilorum marcore. Cap. LV.

SI PILI qui ex inferioribus caudæ verticulis propendent, marcore confecti defluant, vrina detergere cõuenit, & alumine diligenter eluere, vino oleoq́ perfundere. Ferunt adipem canis aut vulpis illitum præsenti esse remedio. Optimũ quoq́ fuerit altheæ radicem coxisse, hoc decocti iure perfudisse, molli manu demulsisse. Hæc pilorũ

defluuia cõtinent. sed si prius deterseris, longe promissiores, vt inter omnes constitit, exibunt, & glabritiæ ad densitatem perducentur. Hoc hominibus tam viris quàm mulieribus pilos euocat, areásque densiore pilo replet.

Hierocles ad idem.

SI PILI carie cõsumpti à caudæ muscario labũtur, lotio pars ea purgetur, & bene proluta vino perfundatur, dein canino adipe aut vulpino perũgatur. Longe optimum fuerit præpurgatã codam radicis altheæ decocto fouere. Si vero capronis vel iubæ subest exulceratio, prius tondeatur, torridoque nitro detersa meracum inspiretur, deinde lotio defricetur, vulnerario medicamine per quinque dies delinatur: sexto aqua, mollique medicamẽto nutriatur. Si cauda suppuret, simili ratione curandi vtendum, donec ad sanitatem ventum erit.

THEOMNESTVS.

SI CAVDA pilorum defluuia sentiat, deformitásque sequatur, primũ vbi fuerit abstersa, vrina fouebimus, deinde maluæ & brassicæ succis cũ altheæ decocto. sic subinde vino oleóque perfũdemus. Ea labantes pilos firmant. Sunt qui vulpis adipe perlinãt postquam deterserint. ita densiorem pilum euocari contendunt, & glabritias compleri.

HIPPOCRATES.

SI VOLES id præstare, vt iubæ, capronarum, caudæque pili capessant incremẽtum, puerili vrina sublues. postea calcis lixiuium, cerusam, & spumam argenti teres. postquã aqua subegeris, & igni coxeris, vteris. sic in longitudinem venustum capient incrementum.

PELAGONIVS.

PILORVM defluuia sistit charta vel papyrus cremata si adiecto butyro linatur. nam id inter valentissima remedia est. Si vero velis pilos alere, quo maturius increscant, testudinem subiecto sarmentorum fasce comburito: ac vbi in cinerem reciderit, in fictile nouum conijcito: cui aluminis crudi quadrãtem admisceto. cæterum cerui medullæ quod videbitur satis, ex vino tritæ, in ollam demittito: compluribus diebus oblinito. sic pili nutrientur, ac maiore proficient incremento. Defluos pilos restituit lupinorum crematorum cinis, aut torrefactæ fabæ lomentum glabræ parti conspersum. Areas ad pilum reducit nardi spica, si cum vuis passis tusa in aceto ferueſcat. Verum hoc auxilio calido corpus caluitiem sentiens defricandum.

Si caudam laxet, aut crebro motu vibret.

SI CAVDAE muſcariũ magnopere cõmotum equus iactet, eam ſic caſtrare conueniet· ſummũ articulum in ſpinã reductum ad dimidium vſq; reſcindes, cauebiſq; ne cõmiſſuram amputes. Cum vulnus ad ſanitatem perductum erit, vegetius rectũmque muſcarium exibit. Etenim qui ſupra dicto modo caudam vibrãt, aut laxius eiaculantur, complurimũ inutiles reputãtur. Setarũ caudæ defluuia cohibet ſemen fœnigræci vel lini ſufficienti modo decoctum. Sed quotidie cauda eo proluatur. Caducos pilos reuocat caput canis in puluerem deuſtum, quem in prælitum butyro locum inſperſeris.

Tiberius vt vlceribus pecorum concolor pilus enaſcatur, item vt ex vernaculo colore in alienum deſciſcat.

HORDEI pinſiti ſextarios duos ſubigito, & adiecta nitri ſpuma, exiguoq; ſale, panes formato, dein in furnum dimittito, donec in carbones redigantur. poſtremo tuſos tritóſque permiſto oleo vlcerum cicatricibus oblinito. hoc diebus viginti facito. Sic pili concolores nudis cicatricum areis reddentur. Vt concolor pilus erumpat, ſtœben, quæ cortex eſt quo clitellarijs animalibus ad interna ſtragula vtuntur, vſtam tritámq; in nigris pecudibus addito oleo perline. in flauis vero, tritam ſtœben ammiſto vrſino adipe & ochra cremata perunge. ſi animal cãdidum ſit, pro ochra ceruſam ſubſtitue, & illine. Sed caudam antea cura prius quàm exeãt pili, vt recens illitionis vim ſentiat. Vt pili in itinere capiant incremẽtum, ranunculi herbæ crematæ cinis vino permiſtus illinitur. Vt cicatricoſis partibus pilus euocetur, fœni fuligo infricatur. Si velis vt candidus pilus in nigrum degeneret, atramenti ſcriptorij ſcrupulum, ligni rhododaphnæ ſextulam, adipis caprini quod ad ea cogenda ſatis ſit, cõmiſta tritaq; lines. ita cãdidum in nigrum vertas. Si candidum pilum facere tibi ſit in animo, radicis ſylueſtris cucumeris pondo denarij vnius, nitri pondo denariorum duûm, mellis hemina, olei tantundem, miſcentur: & pars quam dealbari voles, infricatur, & candidum creabit.

Tiberius foriolis equis, & ſtercore liquido laborantibus.

CANDIDVM ſtercus ex vino vetere detritum, & colis cretum ori per triduum inſeritur. Equorum foriam nõnulli græce hippoſtilum ab euentu vocauerunt: quippe cum ea res ventrem proluat, ac aluum citet. inde vires cum corpore carpuntur, cruráq; quaſi ligata committuntur. Hoc valetudinis genus vbi durat, periculum minatur. Curandi hæc eſt ratio· equũ afficies ſiti, hyſſopúmq; inſtar acetabuli in aquã defuſum dabis potãdum. Si ad ſalutem perducatur, primo quoq; die ſanguinem ge-

nibus aut cruribus emittes. Cum ad aquam vētum est, semihorā in flumine vadaturum sines, deinde siccatas rubi frondes tusásq; potioni conijcies. Si cordi est, sorbitionem infundes, quæ habeat punicum edule, polētam, & vini odorati heminā, quæ simul omnia cum pari aquę mensura miscebis. plenam huius heminam faucibus demittes. His viridia pabula plerunque nocent. itaque conditiuis cibis sustinendi sunt, ne immaturis hęrbis citetur aluus, præsertim donec à foria perfuncti sint.

Hierocles de radio. Cap. LVI.

SI RADIVS, quem cercida Græci appellant, fractus fuerit, aut collisus, hęc medendi ratio sequēda. Fœnigræci, liniq; semina quàm tenuissime detrita cum farina hordeacea, paribus mēsuris, in diluto vino coquuntur, donec in hāc crassitudinem venerint, vt in glutinū planè lentescāt: deinde perfuso calida aqua loco, septē diebus hoc liquamen agglutinatur. Si huic medicamēto non pareat, cute tenus ductis cācellatim versibus aduratur: sed exarati candenti mucrone sulci non alte decussentur, quòd partes illæ tenues sint, & cum neruis coniunctæ cōsuetudinem ineant.

Hieroclis de serpentibus vlceribus, Cap. LVII.

SI SVB tergore quædam pellicula cādicet, & locus humore turgeat, subter cutē vlcus serpit. quod orbiculatim viuo tenus circuncides. punicum quod estur, instillabis. E polenta hordeacea lacustribúsq; lenticulis cataplasma adhibebis. Sed antea locus aceto foueatur. Sunt qui postquam scalpello circūsecuerunt, primum scylla & brassica ex oleo tunsa perluunt, postea valenter extergentes erui farinā illinunt. Alij serpenti vlceri hoc remediū opponunt. passam vuā sole maturatā exemptis vinaceis omnibus apprime terunt, eóq; tantisper vtūtur, dum ad sanitatem perduxerint. prodest hastulæ regiæ radicem ex vino coctā tritamq; illinere.

Hieroclis de pilari rigore, Cap. LVIII.

IN CAVDA sæpe pili suillis setis similes subriguntur. quod vitium ideo hystrichida vocant, quòd missiles hystricum aculeos spinásq; suo rigore videātur æmulari. Quo vitio contracto equus caudam parieti affricat, & vlcus mouet. tum autem ipse vt cures, lectis & erutis mūde pilis lachrymam papaueris quæ in aceto maduerit, vlceri instillabis. sed prius nitro locus defricetur. Verū modus, vt sapientum aliquis memoriæ tradidit, oraculis breuibúsq; sententijs cōstans, optimus esse censetur: cuius dicto audientes, finem primo volumini fecimus.

VETERINARIAE MEDICINAE LIBER SECVNDVS, IOHANNE RVELLIO SVESSIONENSI INTERPRETE.

HIEROCLIS PRAEFATIO.

HESIODVS principium dimidiũ eſſe totius, memoriæ prodidit: nos, quantum equidem arbitror, rei huius adhortans, vt optima quæq; ſtudia ſectaremur. Quo pulchre animos eorum erexit, qui in capeſſendis diſciplinis operam impendere cœperũt: quippe cum ſtudium aliquod auſpicati, iam ex dimidio cenſeantur abſoluiſſe, nec magni debeat æſtimari quod ex dimidia parte ſuperſit: quanuis longe maius eſſe decet quod reſtat, vt ad vmbilicum ducatur. Quam rem maxime confido me oſtenſurũ. Siquidem cum librũ cõſcribere cœpiſſem, nec facilè ſummã manũ ſperaſſem impoſitũ iri: è regione illi quodammodo oppoſitum librum hunc ſecũdum melicorũ more poëtarum produxi & extendi, magno id ſtudio cõtendens efficere, ne quid ad operis abſolutionẽ deſiderari poſſet. Vt enim eum qui opus vindicare à lectionis ſatietate cupiebat, primo libro modũ imponere operæ erat pretium: ſic decens fuit non infectum relinquere negotium: hoc optimum eſſe reor, præſertim ſedulis de rebus cõſtructum. Etenim hæc omnium animantium equus ſumma gratia præditus, ſummoq; ſtudio affectatus inter homines iure exiſtimari poteſt: nec immerito: cum iter facientem dominũ labore leuat: pompam agenti venuſtiorem circunſpectioréq;, quaſi ea re ſibi placeat, præ ſe fert apparatum. In bellicis vtiq; certaminibus fidelis periculorum comes, non detrectans pugnam, officioſus operum particeps, ita vt fuſos hoſtes, & in fugam verſos, ictibus morſuq; conficiat, amicos & ſocios in diſcrimine ſeruet. Ideo iure optimo apud homines equus maximo in honore ſic pridem habitus eſt, vt Olympiadibus, & Pythijs, & vbicunq; locorum certamina proponebantur, equis, non ſecus atq; viris, pernicitatis præmia decernerentur. Apud deos quoq; tanto dignus ſtudio fuit, vt non modo diuinis curribus iungeretur, ſed etiam in chorum ſyderum relatus extiterit. Proinde non alienum forſitan, nec abhorrens ab operis inſtituto nõnullis videretur, mentionẽ eorum partim facere, quæ rerum naturæ calliſſimus Ariſtoteles literarũ monumentis tradidit, qui equum non adipem ſed pinguitudinem habere contendit, & iecur in treis fibras eſſe digeſtum: in quo viſcere fel nullum hærere putatur, ſed inteſtinis copioſum grauéque

virus olens insidere. Cæterum equorum quorundam mulorúmque cordi inesse officulum inuenitur: quanquam non pauci talia prorsus ignorauerunt, vt vetus ille Micon, qui arbitrabatur equum in inferiore gena pilos edere, quos blepharides Græci, nos palpebras vocamus. taxat igitur Simo iure Miconem, ac ignorantiæ constanter insimulat. Verum postquam non de animātis natura differere proposui, sed singularū valetudinum medendi rationem explicare, hæc silentio dissimulanda duxi. illa tamen mehercle non omittam, quæ eleganter refert Aristoteles, perpulchre pecudis huius ingenium simul & modestiam testatus, quod equus matrem stupro non superuenit. hoc itaq; memoriæ mandauit. Cum equum, matrem vt saliret, capite diligenter obuoluto peroriga produxisset, tum equus veneris voluptate captus matrem collusus iniuit. detracto oculorum operimento, posteáque cognito cum matre coitu, petijt prærupta, & crepidinibus dilacerans se præcipitem dedit. sic huius facinoris impietate atque indignitate despondens animum, sibi ipse necem consciuit. Verum hæc alia desiderant volumina: iam nostrum sequamur institutum.

Hieroclis de vlcerato ore, Cap. LIX.

SI VLCERA os occupent, vt ad guttur faucésque descendant, aridum malicorium tusum, & cribro tenui cretum inspergitur ori: lingua foris semissem horæ vincitur, quò vehementius perfrigescat: solutaq;, & extra os prehensa, meraciore vino perluitur. Quod si præsto non adest, oleaginæ frondes siccatæ tunduntur, ac densiore incerniculo cretæ consperguntur. ligata prius per dimidiam horam lingua, dein aqua, dum sanescat, eluitur.

Hieroclis de vlceribus oris manantibus, quas vocant aphthas, Cap. LX.

SI APHTHAE os obsident, (sic enim vitiū Græci vocant) os grauiter olet, spumātem saliuam expuit, & ardore quodam deflagrat. Tum igitur esculento punico tunso cribratoq; os perlinitur, & semihorā ligatur lingua, postmodum soluta lauatur aqua. ijs tātisper pugnādum, dum conualuerit. Hoc vitium præsertim verno tēpore, cum viridi fœno pascitur, concipi cōsueuit: quod equorum ora male habet. Sed genus vnum est, quod in duas differentias distribuitur. Etenim modo citra marcorem graue virus odoris os expirat, feruentemq; spumā eructat, modo cruenta exulceratione os & fauces ambit. quarum curationem nunc aggrediar. Aphtham grauiter olentem, spumosam, & incandescentem igni,

sic curabis. Punica quæ edendo sunt, sicca quàm minutissime tundito, dein vbi linguam animãtis extraxeris, hancq; loro alligaueris capistro, hoc punici polline os aspergito: cumq; paulũ defricueris, per horæ dimidiæ curriculum in sublime suspendito, & ita lauato. Hoc si septem diebus feceris, pecus ad sanitatem reuocabis: sitq; tibi curationis argumentum, cum os graui liberatur odore. Si vero aphthæ cæca fuerit origo, ac guttur fauces & arteriam fœdis vlceribus obsideat, hanc adhibebis curationem. Linguam vbi loro comprehẽderis, & foris itidem illigaueris, melle partes oris exulceratas oblines, semissem horæ contineri patieris, vt lingua circumlambens vlcera, crustulas & puluillos eorum emarginet. Rursusq; comprehendens linguam, sicci punici summe detriti farinam habens in promptu, item oleagineam frondem minutissime molitã, vbi singulorũ pares modos miscueris, eo partes exulcerationem sentientes resperges. exertam vt in superiore vitio semihoram appendes, vt frigus sentiat. elues vino. hoc per nouẽ dies quotidie curabis.

Apsyrti ijs qui via aut cursu fatigati, aut spiritu distenti sunt, aut deiectione vexati, Cap. LXI.

APSYRTVS Marco Hæmylio Decurioni salutem. Te nutrientem equos scire velim quod ijs qui labore viæ, aut cursu fatigati sunt, vti commodum est hoc remedio. Polẽta tenuis mista cum vino odorato formatur in offas, quæ comprehensa lingua demittuntur in fauces. Si vero illis vlcus substat, croci trium obolorum põdus cum aquæ hemina per os infunditur. sed insequentes notæ lassitudinem præsagiunt. Primum equus insistere non potest, sed obtremiscens perstat, demissum habens caput, & flaccidas aures. oculi sunt cõcaui, ceruix intẽta riget. Si ipsum stimulo lacessas, caput erigit, sed cõfestim demittit. Itaq; primum curæ fuerit, vt stabulentur loco nõ duro, sed molli, cui lætamen superiectum sit. Dein vinum ex oleo tepefactum conuenit inspirare, postea defricare, postremo calida aqua liberalius eluere, manu terga subigere, vngere, fricare, vestimẽtis obuelare, sub tecta continere. Enimuero qui ex itinere aut cursu spiritu distenduntur, ijs vitium tollunt vinum & aqua cum pares portiones habent, cõmistaq; binas implent heminas. Sed quotidie septem dierum spatio per os infundere cõuenit. Si ilia prætendantur, vinum non est præbendum, sed aquæ sesquisextarium ex tribus obolis croci, facta prius frictione, per sinistram narem indidisse satis est. Sæpe foria, vel citata ventris proluuies, equi reliquiq; veterini generis corpus & vires carpit, quãuis nulla consensu quodam intestina valetudo premat. Sanguinis etiam profusione casu cõcitata, corpus magnam virium iacturam facit. Ideo vberiore victu fulciendum, varioq; pabuli genere solicitandum.

Lassi & æstuantis veterini procuratio.

LASSO & æstuãti veterino adeps in fauces demittitur, merumq́ in os suffunditur, & operimenta adhibentur, quò possit à frigore vindicari: caputq; & spina tepẽti adipe vel vino linũtur. Nec minus quotidie corpora iumentorum quàm hominum defricanda sunt: ac sæpe plus prodest pressa manu subegisse terga, quàm si largissime cibos præbeas. Multum quoq; refert robur corporis seruare. Quod vtcũq; custodiemus, si idoneis temporibus ad præsepia, ad aquam, ad exercitationem duxerimus. Cæterum cum iugalia disiunguntur ab opere, substricta quis confricet, manibusq; comprimat dorsum, & pellem reuellat, nec patiatur adhærere. Colla subigat, merumq́ faucibus, si æstuauerint, infundat. Sed ante ad præsepia religari non expedit, quàm sudare atq; anhelare desierint. Cum deinde tempestiue potuerint vesci, non multum nec vniuersum cibum, sed partibus & paulatim præbere conuenit. quem cum assumpserint, ad aquam duci oportet, sibiloq; allectari, quò libentius bibant. tum demum reducta largiori pabulo satiari. Iis quibus ilia distrahuntur, aut pulmonis imbecillitatem sentiunt, aut ad strigosam maciem perducuntur, hoc vtendum antidoto, quod recipit croci vnciam, iris illyricæ tunsæ cretæq; semissem, piperis quadrantem, mellis cyathos ternos, vuæ passæ detractis vinaceis quod sextarios binos impleat, nucleorum pineorum tantũdem. ex qua ligulæ duæ cum vini cyathis tribus, & quadrante vnius heminæ per os infunduntur.

Pelagonij ad equos membris captos remedia.

INTERDVM equus fame confectus, aut viribus exhaustus, membris penè resoluitur. Etsi huiuscemodi euarient affectus, qui vires infirmant, plerũq; tamen imbecillitatis indicia similia sunt. quare mederi volentibus errorem pariunt. etenim in animalibus signa languoris inuenimus abhorrẽtis ab imbecillitate, quam nunc deprehendimus. Cumq; nosse volumus febricitantem equũ, caput cõspicimus in terram deuolui, continẽti suspirio premi, gemitus edere. sed hæc indicia nõ febrientis modo, sed & dolores experientis habentur communia. Rursus opisthotonicorũ notæ traduntur, quæ etiã proueniunt ijs animantibus, quæ longior insolatio aut diuturnus labor ad imbecillitatem perduxit. Ea non possunt insistere, sed commissis in vnum pedibus concidunt. Nõ ergo putabis ipse dolorẽ esse vẽtris, aut tormina: neq; ab ijs medendi rationem trahes, sed cõuenientius remedium cõquires. Multa igitur germanarum ægrotationum signa similitudine confunduntur. Multa quoq; prorsus dissidentium indicia facilè deprehendes, si diligẽtius animaduertas. Si virium robur infirmetur, ea sunt remedia. Celso placuit laborantem imbecillitate pecudem potione prohiberi, præcipitq; siti confectam, præsertim vbi tanto bibendi de-

ſiderio flagrauit, in frigida aqua per horam contineri. quod mirum in modum opitulari inter omnes conuenit. Florus vlmi frondes in vino tundi iubet, & per corniculum infundi. Nos autem triticeam farinam dari monemus, aut oua tria cum pulegio poſca oleoq́ʒ infundi. Alij integrum gallinaceum ouum crudum ieiunis faucibus inſerunt, ac poſtero die ſpicas vlpici vel allij cum vino tritas naribus infundunt. ita languorem diſcuti, & depulſis vitijs recreari vires.

Hierocles vlceratæ arteriæ aut ruptæ. Cap. LXII.

SI VLCVS arteria ſentit, durũ quid extuſſitur. Equus cibum non capit. quare per os infundatur aqua inſtar heminarũ quatuor, in qua fici decoctæ ſint, & immiſta duo oua, aut ptiſanæ cremor, in quo concoctum ſit ouum. Si quid in arteria ruptum ſit aut colliſum, grauiter equus proſpirat, atqʒ cum ſtertore ſibilum elidit. tuſſis vrget. a naribus purulentum quid fertur. prioribus pedibus claudicat. ſubinde teſtes exiliunt. ilia trahũtur. crura torpent, ac tremore concutiuntur. Corpus manu tangi non patitur. Eruum itaqʒ biduo macerare conuenit: cumqʒ ſatis maduerit, percolare. vbi vero quàm maxime ſiccatum fuerit, minutatim contundere, cretumq́ʒ potioni præſtare, quæ vini dulcis nigri parteis duas, aquæ partes quinqʒ commiſtas contineat. Sic ad ſecundam valetudinẽ procedet. Si ſexaginta diebus ebiberit, euidens iuuamentum ſentiet.

Compoſitio arteriacæ ad authorem Pelagonium refertur.

MYRRHAE troglodytidis põdo triens, croci, floris iũci odorati, ſingulorũ pondo quadrans, cinnamomi, piperis candidi, ſingulorum pondo quincunx, piperis nigri pondo triens, caſiæ pondo ſem uncia, reſinæ colophoniacę pondo quincunx, ariſtolochiæ pondo triens, acori, baccarum lauri, ſingulorum pondo quadrãs. ruptam reſarcit arteriam hæc miſtura. Myrrhæ dextans, piperis quadrans, ſeminis lini torrefacti libra, vuarum paſſarum ſextarius, nucum pinearum tantundem, quæ liquari poſſunt coquãtur, adiectis ficis: mel debet ammiſceri, totumq́ʒ in pilas digeri, quæ magnitudine citrium malum æquent. octo quotidie per os inijciantur. ita ad ſanitatem perueniet. Eoſdem effectus exhibet inſequens medicamentum. myrrhæ quadrans, cinnamomi ſeſcuncia, croci quadrãs, thuris maſculi triens cum ſemuncia, nardi ſyriacæ, terebinthinæ reſinæ, piperis candidi, ammoniaci, ſingulorum triens, nardi ſextans, tragacãthæ libra, mellis primi meriti libra vna, omnia ſimul terantur, vinóque miſta per nares infundantur.

Hieroclis de exæstuatione à via, Cap. LXIIII.

SI ITINERE aut cursu equus æstuauerit, aut membra nimis ferueant, adipis suillæ veteris offæ vino vetere odorato madefactæ, faucibus infundantur. Si ardente febri tentetur equus, lactis caprilli sextarius, tragacanthæ, ari gallici, nucis pineæ, singulorũ sextans, hyssopi manualis fasciculus, marrubij tusi sextans, omnium librale pondus ex oleo & vino infunditur. Vt incandescentẽ febrim permulceas, ptisanæ cremorem, caprillum adipem, trunculos ouillos cum corianno & anetho vetere decoques: viride coriannum bene detritum ptisanæ cremori, vt reliqua, miscebis, colataq́ per triduũ dabis potanda. Proderit item brassicæ cymas & coliculos ex apio tusos adiecto vini sextario per sinistram narem indidisse. Sũt qui seminis petroselini, dauci, seselis gallici, abrotoni, & iunci odorati pares modos tundant, & ex hydromelite defundant.

Apsyrti de combustis à calce, Cap. LXV.

SIQVANDO viua calx equum ambussit, aut si candens eius gleba, quæ nõnullis græcis titanos dicitur, quãuis corporis partem exest, aut in sterquilinium crura demersit quod sua sponte flagrans ignem concepit, aut quocunq́ modo ignis ardorem experiatur, aqua frigida æstate succurritur, hyeme calida. vlcus lipara nutritur. Si in animo est, axungia aut ipsa calce cum oleo perungitur. Ad mare non appellatur dum vlcera cicatricem traxerint.

HIEROCLIS.

Si à viua calce quacunq́ corporis parte equum, aut ardente sterquilinio contingat aduri: æstate frigida aqua perfundatur, hyeme calida. lipara, si voles, ex adipe delinatur, aut calce cũ oleo. In mare non descendat, donec vlcera ad cicatricem perducantur.

Apsyrti de ijs quibus aliquid interne conuulsum est, Cap. LXVI.

SI QVIBVS internis in sedibus aliquid conuulsum est, oculos habent cauos cõditósq́ præter quàm soliti sunt antea, & demissos, deorsumq́ vergentes, contracta ilia: & licet affatim edant bibantq́, nihilominus ad maciem perducuntur. inter ambulandum parum pergunt: erectiq́ posteriores pedes prioribus committunt. Tales despondent animum, vitam tamen aliquantisper prorogant, nisi aluus cruentam proluuiẽ edit, aut vrina sanguinem trahit. vtrũlibet obortum maturiorem minatur

interitum,confestimq́ pecus animam agit. Si diuulsum est intestinum,aut in duas partes diductum,cibus per nares redditur,aqua ex intestinis exit,& corpus repente labat,confestimq́ ad perniciem procedit. Insequẽs antidotum deploratis etiam auxiliatur. Iridis illyricæ tunsæ & cretæ selibra,piperis quadrans,mellis sesquihemina,vuarum passarum sextarij duo,in vnum miscentur,& in compositionem redigũtur:ex qua semunciam cum vini hemina,& olei sextarijs duobus, per os in omnibus intestinis doloribus infudisse satis est.

Si quid in interaneis ruptum est,& quid subest periculi.

POSTQVAM ijs qui veterinariam artem non callent, quidnã ruptum sit non constat, explicare necessarium est quibus hoc notis ab ignorantibus deprehendetur. Si quod in ventre diuortium sit,aut intestinum aliquod sit diruptum,hoc signum indicabit. Stercus naribus emittitur,& corpus sudore diffluit. Si rupta vesica est, liquida statim excremẽta vrinamq́ per sedem emolitur. Si ruptũ quid in pulmone est,sanguinem naribus reijcit. Si iecur est affectum,genitale,venter,& fœmina tumẽt. Si lienis laborat,cibum fastidit. Si renes male habent,vrinã edit cruentam. Si ergo venter aut intestinum aut vesica rumpatur,auxilium repræsentare nihil proficiet. Verum si pulmones noxam sentiãt,expedit cãdidi erui sextarios octo,& salis acetabulum cum aqua subigere, & in panificia digerere. quæ vbi inaruerint, magnopere terenda: cumque bibendi fiet potestas,potioni conspergenda. Sed hæc per os infundi debẽt,crocum,myrrha, nardum syriacum,casia,amylũ,tenuis aristolochia,glaucium,gramen, oleũ. sicca omnia teruntur,vt cum humidis in vnitatem coẽant. dein mellis acetabulum adijcitur, & vini primæ notæ hemina. mistura naribus inseritur. aut cremore ptisanę quàm plurimum est vtendũ. Si iecur conflictetur,cõcinne tractabis,proluẽs, triticeamq́ farinã hyeme,hordeaceã æstate potioni cõijcies. vetustarũ ficorum decocti ius infundes. Si renes torqueantur,animans respiret à labore, nec motibus exerceatur. cera oleoq́ sensim perungatur. detur ab opere vacatio, donec depulso vitio ad sanitatem perducatur. Sed ab ijs petendum est auxilium. hærba quædam mœnibus & saxis vernacula prosilit,quam medicorum natio polygonium vocat,vulgus symphytũ,Macedones osteocollon,alij talãtion appellarunt. Hac tradunt dissectas carnes coalescere,si coquatur vnà: ideoq́ quòd partium diuortia committat,& separata cogat,symphyti nũcupationem traxit. Itidem quòd ossa fracta ferruminet,osteocolli nomen accepit. Hæc perpetuo viret viuitq́. folijs vidua,ramulos instar iũci pensiles,tenuioris procerioris q́ spartij similes spargit. Viridem eruũt,lectamq́ vino concoquunt, dum tertia liquoris pars superfit,quo suas equas & equos Hispani saliuant. eo medicamine ar-

cendis morbis vtuntur, & ab impendentibus incommodis vindicant. Si quid intus ruptum esse suspicetur, ab hac auxilium petunt. Intestinum dolorem compescunt, butyrum, opopanax, myrrha, mel, æquis põderibus ex vino trita, & sinistra nare demissa. Si vulnus in ventre hiet, per quod intestina foras euoluantur, vulturis pinnam oleo intinctam indes ori, vsq; dum faucium sinus attingas, ac vomitum elicias. qui si intestina in sedes suas retraxit, tum locus acu traiectatur linum ducente, deinde duobus lini capitibus diuersæ partes adstringũtur, oræ suturis iunguntur. demum ijs quæ vulneri sanando sunt, plaga procuratur. Quod si venter ictu perforatur, intestinaq; exterius irruperint: si angustius vulnus est, quàm vt ea commode refundantur, incidendum, donec satis pateat. quæ statim opus est recondere. diducta cutis, vincienda. si quid superuacui est, resecandum. vulneris oræ suturis committendæ. demum vulnerario medicamine pugnandum. Equus stragulis contegi debet, vt sudor euocetur. Ambulatione, sed potu præsertim, abstineatur. Folia vlmi pabulo sint. menta viridis, hærbaq; trifoliũ obijciatur. Hoc ingeratur medicamentum, albi nasturtij semen cum thuris radice tritum, piperis grana sex, seminis dauci cretensis cyathi tres, cum vino vetere & melle miscentur. diebus septem per os demittuntur. aut asparagi radix vel semen ad tertias decoctum, quatriduo per nares instar heminæ defunditur. Prȩterea opopanacis, sagapeni, mellis, butyri, singuli sextantes cũ veteris vini hemina per triduum in os dantur. Plerunq; cyrenaicus cortex inter pabula potionesve repertus, animalia lædere consueuit. quibus itaq; sic subueniendum. mel, syluestris menta, tunduntur vnà, dein in vino tepescunt, & naribus instillantur.

Apsyrti de ijs qui intensa fame cruciantur, Cap. LXVII.

APSYRTVS Heracleoni Centurioni salutem. Est prȩterea morbus equorum cum vehementer esuriunt, & ferè fame conficiuntur. bulimon vocant. cui malo sic occurrere licet. Offas panis recentis imbuti vino, ori conuenit inculcare, & identidem infricare. id quidem dum in itinere versantur. Cum vero domũ se receperint, similaginis subactæ cyathos treis immisso vino similiter infundere, aut pineos nucleos pure detritos ex vino dare.

HIEROCLIS.

PECORI magna fame laboranti hunc in modum auxiliantur. panificium recens intinctum mero præbent, infricantq;: similaginẽ in vino subactam infundunt. pineis nucibus itidem præstant, parẽ mensuram ex vino præbentes. Interdum equi famis impatientes labant,

quibus facilè citra magnum damnum subueniri potest. Quippe cum cœperint hac fame periclitari, puri panis portio intincta vino, & in eodem intrita, sic vt in succum offa redigatur, infundatur corniculo. id præsenti remedio est, præsertim cum equus adhuc famis initia sentit. Verum frequẽter in via fame corripi solet. tum quæ recreent eam, non licet offendere. Si vero talis morbus permanet, similæ cyathi tres, cui vinum quis adiecerit, corniculo dantur. Si famem animal diutius perferre non possit, & ea nos deficiãt quæ remedio famelicis esse solent, terram vino subactam faucibus inseres, aut eandem in globulos conglomeratam per os demittes.

Apsyrti de ijs qui cæca ratione extenuantur, & strigosiores fiunt. Cap. LXVIII.

APSYRTVS Frontoni Valerio salutem. Dedisti ad me literas quibus me consulebas quonam auxilio sit equis succurrendum qui abdita causa ad maciem perducũtur. Ii adiumẽtum sentient, si vinum & oleum infundantur, ac myrrhæ ternûm obolorum pondo, aut piperis candidi viginti grana detrita dentur, aut si ruta quæ vino inferbuerit, propinetur. idem saluia præstat, eundemq́ effectum poliophyllum exhibet. sed omnibus heminam vini odorati, & veteris olei cyathum aliquis adijciat. Equidem cæcum esse morbum inficior, cũ causa perspici potest. at hic perfrictione contrahitur. sed maioribus nostris cæcum appellare placuit. Cum vero cibũ equus aspernatur, totoq́ inhorrescit corpore, pili subrigũtur: suillus sanguis non vetere scrofa detractus, ex vino, paribus vtriusq́ modis, per os infunditur. A quibusdam memoriæ proditum est cepas & erucæ semen immisso vino debere per os infundi, vel liquorem in quo maduerit artemisia, dari potandum, deinceps aquam nitri miscendam præberi. Farraginem triticeam si tempus anni suppeditet, ijs dare commodum est.

HIEROCLES.

IIS QVI cæcis occasionibus strigosi redduntur, infundere conueniet vinum oleum & myrrham pondo trium obolorum, aut piperis albi grana viginti trita, aut rutam feruefactam in vino demittere. Adsit vbiq́ vini odorati hemina, oleiq́ cyathus vnus. Cæcum esse vitium Apsyrtus negat, sed perfrictionẽ ipse causatur, quæ morbi initiũ attulit. Si tamen equus pabulum fastidiat, inhorrescat corpus, piliq́ subrigantur: per os, suis non veteris sanguis, & vinum, cum pares portiones habent, inserantur. Nec desunt qui cepas & erucæ semẽ, quibus vinum sit immissum, per os inijciant. Artemisiam hærbam, quæ in vino maduerit, dare salutare est, sed totam hanc præbere sorbitionem. Farraginem triticeam si

tempus anni repræsentet, obijcere proderit. Qui continuis laboribus emacescunt, recreabũtur eruo candido freso, quod quatuor impleat sextarios, in duobusq; vini albi odorati maceretur, vnoq; die madescat. sesquisextarius quotidie, prius quàm bibendi detur facultas, per dies triginta præbeatur. sed eruum tenuiter fresum non sit.

Eumelus ijs qui citra languorem emaciantur.

SI SANIS sine languore macies est, tam torrefacto tritico quàm hordeo reficitur. sed subinde vinum aquæ potionibus adijciendum. Furfures hordeo miscendi vsque dum natiuum robur recrearint, & consuescant puro hordeo ali. Corpora huiusmodi pecudum multam frictionem desiderant: qua subinde facta maiorem equis deuorandi facultatem moliemur. Cæterum curæ fuerit vt stabulentur loco sicco, ne humore madescant vngulæ. quod etiam corpori conducit. Eruum pabulo misceatur. cubilibus paleæ substernantur.

THEOMNESTVS.

SI CAECIS languoribus pecus emacescit, hoc vtẽdum antidoto, cuius inuentio Armenijs assignatur. Id mihi frequenti cognitum est experimento. Habet autem croci stateras duos, iris illyricæ tusæ semissem, piperis quadrantem, mellis cyathos treis, vuarum passarum detractis vinaceis quod sextarios duos capit, nucleorum pineorũ purgatorum tantundem. omnia miscentur cum vini odorati duodus acetabulis, & quadrante vnius heminæ olei. huius duæ ligulæ demittuntur.

PELAGONIVS.

SI IVMENTA redigãtur ad maciem, tum sumes hordei modios treis, fabæ sextarios sex, ciceris sextarios octo, tritici sextarios sex, phasioli sextarios quatuor, fœnigræci sextarios treis, vuarum passarum, pineorum nucleorum, singulorum sextarium. ex omnibus modium implebis, quæ in munda feruescant aqua. pridie quàm vsus postulabit, effuso liquore paulum siccescant. ex quo pabulo mane semodium equo dabis, & quod reliqui erit, vesperi. hoc quotidie cum nitore & lautitia faciundum. Quod si strigosus admodum fuerit equus, triginta diebus perpetuis calido equili clausum cõtinebis, vt inibi tam cibum quàm potionem capiat. Si minori macie corripitur, duodetriginta diebus sic ali satis est. Porrò si hoc diligenti mangonio præpinguis & obesus euaserit, é ventre sanguis dimittendus est, ne vehementi sagina stranguletur equus. Non desunt qui subrumũ suis catulum cum hordei cremore tantisper incoquant, dum carnes prorsus intabuerint: ex quo liquamine corniculo per triduum infun-

dunt. Macies hoc medicamento reficitur. rutæ quantum manu prehendi potest, myrrhæ sextans, baccæ lauri quindecim, cumini æthiopici quadrans, olei boni cyathi tres, ex vino vetere nigro coquuntur, & per triduum instillantur. Maciem recreabit triticum igni torrefactũ aquæ melliq; permistũ, si instar modij quotidie viginti dierũ spatio præbeatur. Maciem depellunt lupini cocti, si ita dulcescãt, vt ijs homines vesci possint. Ad satietatem vsq; animanti obijciantur. Modium quotidie dedisse satis est. Si lupini amarorẽ non exuerint, tormina pecori mouebũt. Castaneas furno torrefactas, pilaq; tunsas hordeo miscebis. crassiuscule tamen teri debent. hæc animali data vitium abigunt. Est etiã illa pestifera labes, vt intra paucos dies equi subita macie, & deinde morte corripiãtur. quod cum accidit, quaternos sextarios gari singulis per nares infundere vtile est. Ea res omnem pituitam per nares elicit, & pecudem expurgat. Macies & lãguor summouetur sæpius data potione quæ recipit semunciam triti sulfuris viui, ouumq; crudum, & tritæ myrrhæ pondus denarij. Hæc tria vino admiscẽtur, atq; ita faucibus infunduntur. Sed & tussi doloriq; vẽtris eadem ista æque medentur. Ad maciem nulla res tantum quantum medica potest. Ea herba viridis, nec tarde tamen arida, fœni vice saginat iumenta. verum modice danda, ne nimio sanguine strangule tur pecus. Cum equus ex labore multo ad maciem perductus est, pellis exsiccata tabescit, nec cibi sentit profectum. Id vitium sic abolebitur. oleo rutaceo corpus totum inungi debet, deinde danda potio quæ mox subiungetur. Pastinacæ, tragacanthæ, syluestris rutæ, mentastri, singulorum vncia, apij, sertulæ campanæ, pontici absinthij, singulorum tantundem, omnia simul mista teruntur, & ex vino & aqua cocta præstantur.

Apsyrti de scabie, Cap. LXIX.

APSYRTVS Hegesagoræ medicorũ optimo salutẽ. Te nutriẽtem equos volui certiorem facere, quod scabies vbi cœpit irrepere, huic primo quoq; tempore non est occurrendum, sed sinẽdum, dum tota vis extrorsum erũpat, vniuersaq; cutis hac labe scateat. Etenim quædam cuticulariæ malidis effusa colluuies est. Cui si maturius mederi tentes, occludens spiracula quibus exit, impetum coërcebis. Nam cum ea quæ solẽt admoueri, adstringẽdi facultate donata sint, scabiem necessum erit intro reuocari, subterq; repulsam incommoda parere. Cum autem prorsus inoleuisse videbitur, tum medicamentis pugnandum erit. Sanguis medijs calcibus prioribus cruribus, item suffraginibus emittatur. bitumen exacte tritum cum portione sulfuris liquidaq; pice, & puerile retrimentũ illinatur. Optimum fuerit butyrum adijcere. Si eius nõ detur occasio, derasa balineis strigmenta commiscebuntur. Ea simul omnia debent conteri, dum mellis

crassitudinē æquent: aut acetum q̄ acerrimū, puerile strigmētum, cedrinúsq; liquor vbi simul inferbuerint, excipiuntur spōgia ligneæ rudi colligata, calidáq; perlinūtur. Si nō adest cedria, picem paucā addidisse satis est. Sed antea vetere vrina, cui calida aqua sit immista, detergeatur. Auxiliantur quæ adstringendo sunt. Sed præsentius hoc insequēs remediū, sulfuris, bituminis, singulæ portiones tritæ affuso oleo delinuntur. sed exponatur soli. noctu, si fuerit æstas, sub dio teneatur. Longe præsentissimū hoc existimatur. Suillus adeps, pix, ceráq;, singulorū pares modi colliquescunt, quibus tritū sulfur, & oleum adijciuntur. hoc vnguine calido corpus defricatur. Quinetiam dato nitro aut agresti cucumere, alui deiectionem moliri non erit alienum.

HIEROCLES.

SI SCABIES irruperit, non illico medicamentis discutere conueniet, sed pati dum hanc totā corpus expiret, aut summam cutem ea labes occupet. Nanq; malidis intercutaneæ quædam perfusio est: quam si celerius summoueas, quàm vt tota prodierit: spiracula quibus emanat, precludes. Cum medicamenta quæ adhibētur, adstrictoriam vim possideāt, hinc vitium interna repetere necessarium erit. Cum igitur scabies gliscit, sanguis à calcaneo cruribus prioribus posterioribúsq; detrahēdus: bitumen, sulfuréq; magnopere tritum cum liquidæ picis & butyri portione delinenda. Si butyrū desideretur, puerile strigmētum in vicem eius substituendum. Omnia simul terēda, dum ad mellis crassitudinē venerint: tum illinenda. Vel alia ratione curādi si vti libet, acetū acre, puerile strigmētum, cedria, postquā feruefacta simul fuerint, calida linuntur spōgia bacillo deligata. Si cedrinus liquor defuerit, multa pice linendum. sed antea vetere lotio immista aqua calida defricetur, vel bitumine sulfuréq; contritis affuso oleo perungatur. Sed equus in sole per æstatē resideat, nocte sub dio moretur. Aut pice cum oleo vetere & cera tritis, adiecto polline sulfuris, vtēdum. Optimum hoc creditur. adeps suillus, pix, cera, æquis portionibus eliquantur, tritum sulfur immiscetur, & effuso oleo calidum medicamen illinitur. Porrò deiectionem syluestri cucumere & nitro cieri proderit. Sed scabies quam fames creauit, limopsoram vocāt, in furfures soluitur. Remediū est lupinos coxisse, & eorum cremore pecus perfudisse.

Scabiei præcognitio, & remedia.

PRIMVM macie pecus elanguescit, corpúsq; candor decolorat. vires conuelluntur. porrigines rasæ decidunt. ingressu paruo crebróq; procedit, quòd cōuulsionem sentiat. Cum ergo lixiuio prolueris, & calida laueris aqua, medicamine delines quod lepras abolet. quod si vnguine delibutus inhorrescat, calido continebis equili, in quo succendes

ignem. Sed seruari debet ne cœnoso situ volutetur, neue luto vel stercoribus se demergat. Si tamen spurce versari gaudeat, deprehēsum prius elues: inspiratis vino & oleo defricabis. si bene respondeat, ijs contentus eris. sin aliter, medicamento quod scabritiem tollit, oblines. Dabis operam quàm optime vt cibis & potibus indulgeat. Scabiem abolet crematus cortex saligneus, adiecta stillatitia myrrha, quam stacten vocant, si linatur ex aqua. Saponem scabiosis instillari conueniet. Aliqui ranunculum torrefactū ex sale friatum insperso oleo sublinunt. Alij vinum, sulfur, & calcis paulum conterunt, resinaꝗ terebinthina excipiunt, & cogunt in emplastrum, quo cum res exigit vtuntur. Scabiem delet medicamentum quod habet sulfuris ignem non experti librā vnā, nitri, resinæ pineæ, bituminis, singulorū bilibres offas, ceræ libras quatuor, cedriæ sextarios duos, liquidæ picis heminas duas, olei congios duos, aceti sextarios tres, amurcæ veteris olei sextarios duos, axungiæ sextarios quatuor: omnia simul miscētur. Hoc cum res postulabit vtēdum. Si scabies serpit, acris aceti, picati olei, quod pisseleon vocāt, singulorū sextarius, nitri libra, miscentur vt in vnitatem coēant, & equus illinitur. sed eluatur prius, & adijciātur fraces olei quæ sextarium impleāt, viuiꝗ sulfuris vncia. Scabiem exterit medicamentū quod recipit cedri italicæ semunciam, sulfuris ignem non experti tātundem, sandaracæ quadrantem, pollinis erui gallæ, acerbi olei, singulos quincunces, olei laurei heminam, acris aceti quod erit satis, adijcitur & caninum stercus, omnia mistim cocta in oleum cōmune demittūtur, dein spongia ligneæ rudi adalligata, quę hoc medicamine delibuta sit, scabræ partes infricantur. Sunt qui vino nigro pari aqua diluto adiectis gallis vtātur. Si ijs non finiatur scabies, caninum stercus ex austero vino præbent, aut caninum porrū, quem cynoprason vocant, tusum ex oleo feruefactum linunt. Scabiem hoc medicamentum rapit, nitri, sulfuris ignē non experti, singulorum sextans, spumæ nitri quadrās, liquidæ picis sextari duo, olei heminæ duæ, sandaracæ semuncia, aceti tantundem, baccæ lauri viginti quinꝗ, omnia miscentur, tritaꝗ cōcalescunt, & manibus suffricantur.

EVMELVS.

SI SCABIES latius prurit, rubetæ iugulatæ cum vino & aqua in aheno coctę liquor, aut sanies quam remisit, inungitur. Aut pix ex melle sulfureꝗ viuo, & veteris olei sidente retrimēto fracibusꝗ ac ouillo fimo secundo pilo defricatur. Aut bitumen cedriaue cum thuris polline, & aristolochiæ nitriꝗ singulis sextantibus. Similiter liquidæ picis selibra, olei sextarij duo, cum hemina aceti coquuntur, vt idem auxiliū præstent. Sed scabra cutis aspera testa prius aut strigile defricta redulceratur, sic vt exasperata ijs rebus vlcuscula recrudescāt. Aut arundines crematæ, prius tamen quàm in cineres redigātur, tunsæ, tenuiꝗ incerniculo cretæ, secūdum

pilos illinũtur. aut anguinei cucumeris radix in aqua decocta, cui posteaquã efferbuerit vinum, bubulum stercus cõijcitur, & in cataplasma cogitur, quo cum res exigit, vtendum. postero die pecus in feruidum solem exigendum. aqua tepefacta nitroq; perluendum. tum demum axungia vetere defricãdum. Largiorem pilum proferet, si cremati fœni cinere linantur.

THEOMNESTVS.

IN EQVIS cæterisq; veterinis animãtibus sanguinis aut bilis marcor scabiẽ creat, cum ij humores intimo corpore concalfacti sufferbuerunt, & foras in summam cutẽ expuuntur. Veterinariæ quidem medicinæ prudenti, ratio curãdi facilis. Sed si quis non callens artẽ mederi tentet, subinde nonnihil adhibens intempestiue, perniciem molietur. Apsyrtus id vitium subcutaneam esse malidem proposuit. Sed nominum aucupio non refragor, cum generis totius meminerim: nec morbus aliam curationem desiderat, quàm vt ducem naturam sequamur, eisq; medicamentis faueamus, quæ discutiant, ac relaxent. sed inter initia ijs pugnandũ quæ vellicent cutem, ac deradant, vlceraq; refricent: verum ijs minime quæ cicatricibus obducunt. Aliud ergo medicamentum inter principia adhibendum, aliud cum increscit, aliud cum transacto vigore morbus se remisit. Cum igitur initia sentiuntur, sanguis à ceruice, dein inguine, mittendus. eodem die post hæc solum ex inguinibus, quò minus ad inferiora raptus humor, ægrius per transitus euadat. non tamen ex ceruice detrahẽdus, ne in præcordia minutus irruat. nanq; per diuortia districtæ materiæ profluunt. Post autẽ sanguinis missionem pice, stillatitia myrrha, quam stacten vocãt, lixiuio, nitro, & ærugine pecus oblinitur, vt protinus in summam cutem euocatus humor concurrat. Cum exulcerationem totum corpus experitur, farina hordeacea in vino & oleo coquitur, tepefactumq; medicamen illinitur. Cum vero tertia dies illuxerit, aqua calida vel stacte eluitur, cutis abraditur, vsq; dum sanguis emanet: & cilicio aut pannis asperis redulceratur. tum pice liquida, amurca, & oleo suis fracibus non exuto, & sulfure ignẽ non experto linitur. è ceruice sanguis elicitur: syluesterq; cucumis, nitrum, æquis portionibus tusa ex vino aut aqua mulsa infundũtur. Adultum equũ sextarios treis italicos, iuniorẽ natu duos, pullum vnum sumpsisse satis est. Cõpositio quæ ad Hieroclem refertur, cõstat resinæ vncia, ceræ sextante, gũmis vncia, calcis aut ptisanę semuncia: quæ misceri debent dum in vnitatem coẽant: factumq; emplastrum obducitur.

PELAGONIVS.

SI SCABIES inuasit, fruticem quẽ appellant rhododaphnem, & alteram parietibus familiarẽ, nomine perdicium, aut sideritim manipulatim componens, in tres fasciculos distribuito, & in aceto

acri & oleo largiore cum nitro decoquito. vbi decoxeris, viui sulfuris quantum satis esse constabit, ammisceto. semel die perungẽs in candenti sole, ad sanitatem reduces. olei, cedriç, picis liquidæ, singulorum sextarij sex, sulfuris põdo denariorum sex, mysi totidem, bituminis, sextans, ceræ, aluminis scissilis, resinæ, nitri, singulorum quadrãs, pedicularis hærbæ selibra, aceti sextarij duo, hæc omnia simul coquuntur, & inunguntur. Scabiem rapit medicamentũ quod ex his componitur. Veteris vrinæ recrementi scrupulus, fimi suilli semuncia, fracium olei hemina, picis liquidę cyathi tres coquuntur, & prius quàm calorem exuerint, die semel illinuntur.

Aliud Tiberij medicamentum.

SI SCABIES equum aut aliud veterini generis animal infestabit, ijs medicaminibus abolebitur. lacustres ranas, quàm acerrimum acetum, oleum, & spumam nitri, æquis singulorum ponderibus permiscebis. dum igni subferbuerint, illines. Scabies tollunt abrotonum, crematusç cortex arundinis, admisto altheæ modo qui satis esse videatur. ea excipiuntur aqua, & illinuntur.

Medicamentum quod ad Dioscoridem refertur authorem.

Amurcam decoquens dum sibi mellis crassamentum asciuerit, adiecto lupinorum decocto, & chamæleone hærba, suilloç adipe lines, & scabiẽ extenuabis. Sunt qui ad amurcam & decoctum lupini portione æqua misceant detritum album helleborum.

Erumpentibus papulis & scabiei remedia.

PAPVLAE feruentissimo sole vsç eo strigile deraduntur, quoad eliciatur sanguis: tum ex æquo miscentur radices agrestis hederæ, sulfurç, & pix liquida, cum alumine. eo medicamine prædicta vitia curantur. Scabies mortifera huic quadrupedi est, nisi celeriter succurritur. Quæ si lenis est, inter initia vrina humana feruẽte, dein aqua vitiata pars eluitur: postmodũ candenti sub sole cedria vel oleo lentisci linitur, vel vrticæ semine & aceto detritis, vel vnguine ceti, vel quod in lacibus salitus thynnus remittit. Præcipue huic noxæ salutaris est adeps marini vituli. Sed si iam inueterauerit, vehemẽtioribus opus est remedijs. propter quod bitumẽ & sulfur & veratrum pici liquidæ axũngiæç veteri commista pari pondere incoquuntur, atç ea compositione curantur, ita vt prius scabies ferro erasa perluatur humana vrina, dein aqua. Sæpe etiam scalpello vsç ad viuum resecare & amputare scabiem profuit, atç ita factis vlceribus mederi, vti supra proposuimus, liquida pice atç oleo, quæ expurgant & replent vulnera æque. Quæ cum expleta sunt, vt celerius cicatricem & pilum ducãt, maxime

proderit fuligo ex aheno vlceri infricata. Si ſcabies etiam infeſtabit, cytiſi & ſeſami tantundem conterito: quod putatur etiam hominibus eſſe conueniens. Eadem peſtis, ſi fuerit vehemētior, cedrino liquore aboletur. Macies ſcabiem creat. hæc vbi cœpit irrepere, ſic intelligitur. vitioſum locum pecudes aut morſu ſcalpunt, aut vngula tundunt, aut arbori adfricant, parietibuſve detergent. Quod vbi aliquam facientem videris, comprehendere oportet, & pilos diducere. nam ſubeſt aſpera cutis, & prurigo. Cui ſic occurritur. liquidæ picis, & reſinæ è cedro, aluminiſq; pares modos ex aceto in ſole conuenit illinere, ſcabroſis partibus antea deterſis: cinereq; candenti tantiſper defricare, dum ſanguis exiliat: poſtea ſpumam argenti & alumen operoſe detrita ex oleo lētiſcino inducere. Aut ſpumarū nitri & ſalis, triticeæq; farinæ, pares ſingulorū portiones in aceto ſubactas imponere. Aut crematæ radicis capparis, cinere qui ſuillo adipe excipiatur, delinere. Sunt qui ſcabiei & erumpentibus papulis lotij veteris bubuli & liquidę picis illitu cum vino medeantur. Alij vetere hominis vrina teſtis candentibus inuſta, & pari mēſura ſucci viridis cicutæ, antequam caulem faciat expreſſi, cum fricto ſale & pice liquida fouent. ſed prius ſcabrā partem pumice vel teſta defrictam redulcerant. Quidam fictilibus vrnis cicutæ liquorem adiecto ſale torrido in ſterquilinio defodiunt, vt fimi vapore toto anno coctum, depromant ad hos vſus.

Hierocles de teſtium inflammationibus. Cap. LXX.

TESTICVLORVM inflammationes mouent vulnera, præſertim quæ perferorum animalium morſu inferūtur, aut ſi mordicus ſæuiens alter alterū prehendat. Remedio erit anguinei cucumeris radicem coctā in aqua marina aut fontana, quæ ſalem habeat, vitiatam partē ſpongia perfundere, deinde ceruſa oleo adipeq; caprillo cum candido oui liquore contritis illinere. Si alia cauſa quàm vulnus inflammationem creauit, calida aqua bis die foueatur. Cimolia cum aceto vel figulari creta perlinantur eorum armi, aut viridis abſinthij ſucco, vel cicutæ eius quæ in ſterquilinijs enaſcitur, item virētis ſolani liquore. Solum abſinthium ex aqua liuiſſe proderit. Inflammationem compeſcit emplaſtrum quod habet ſpumæ nitri libras quatuor, æs combuſtum, bitumen iudaicum, mannam thuris, rhododendrum, atramentum ſutorium, floces vini, æruginem. ſed ex æquo ſingula libram pendant. axungiæ quod erit ſatis ad excipiendum. omnia ſimul tundūtur. denſo linteo agglutinata dolentibus mēbris imponuntur.

ANATOLIVS.

OMNEM discuties inflammationem, si sale, oleo, poliophyllo, verbascoq́ combustis & vino commistis illinas. Hæc compositio inflammationes extenuat, crurumq́ defluxiones suspendit ac resiccat. Caricarum, cacuminum cupressi, aceti, singulorum trepondo madescunt, dein liquor exprimitur, cui nitri pondo, ammoniaci selibra, opopanacis, aloës, singulorum adijcitur vncia. simul hæc contrita perlinuntur. sed antea fasces exuperante macerãtur aceto, in quo caricæ commaduerint. hoc illigati per triduum ebibunt. Si vero in virosas ac odoris fœdi rugas contrahatur, quas vocant ozænas, malicorij quadrãs, aluminis, mysios, chalcitidis, soreos, atramenti sutorij, æruginis, singulorum vncia, in vnum teruntur, vt in emplastrum coëant. Sed quadrupes prius vrina confricetur, eiq́ medicamen per triduum agglutinetur, deinde leni primum motu, postea cursu cõcitetur. Tum rursus vrina defricto totidem diebus emplastrum admoueatur. sic ad sanitatem perueniet. Fluxiones conglutinando suspendit medicamentum quod habet bulborum megarensium libram, oua quinq́, cocleãrum aphrarum duapondo, mannæ thuris librã, aloës, æris vsti, floris coriandri, singulorum selibrã. omnia simul pila terũtur, & inducũtur. Dissipat inflammationes ac digerit medicamentum quod æquis ponderibus recipit radices filicis arũdinisq́, allij gallici spicas, ibiscum, aphras ficos, cupressi pilulas, ceram, irim, testam sepiæ, singulorum librale põdus teritur in pila. quo si pecudis genua circũdentur ferrũ non experta, inflãmatio summouebitur. Sunt qui misceant simul senas ceræ libras, adipis ceruinæ, galbani, albarum violarũ, piperis candidi, ammoniaci, resinæ terebinthinæ, gentianæ, singulos quadrãtes, dein omnia conterant, vt cum res postulat, in vsum veniant.

Apsyrti de vulnere cauis partibus adacto, Cap. LXXI.

APSYRTVS Publio Coceio Iusto Centurioni salutẽ. Petijsti literis tuis à me qua ratione sanãdi sunt equi qui in cauis partibus vulnus acceperũt. Hac curatione est opus. Abdomen traiectari debet acu filum laneũ ducente, quod intortũ netu sit, nec tenue, quò mitius insidat, quẽ in modũ medici in hominibus has vulneris oras sutura iungunt. sed capita extrinsecus excipi debẽt, & pingue cutisq́ funiculo canabino cera oblito transsui, vt vulneris oræ fibulis coëant. mox adhibenda medicamẽta quæ vulneri sanando sunt. *Si inflammationem ictus excitauit*, cimoliã cretam cum aceto linere conueniet, septimo die vẽtris suturam resoluere, postremo filum eximere. Quod si intestinũ euoluatur procidatq́, spõgia aqua feruẽte madefacta mox expressa repellatur. siquidem inflammatio ad omnem manus contactum incandescit. *Si vulneratum est intestinum*, aut retento

diutius ſpiritu rūpitur, nullus ſpei locus eſt. Si omentū prolabatur, ita vt foras irruat, forfice reſcindi debet. Id enim introrſum refundi nihil profuerit. Si vero ſauciatus eſt, nec tamen aliquid extra prorūpit, priorē pedem equus iactat, & demiſſa facie triſtitiā quādam præ ſe fert. cruenta per ſedē reſpondent. Tum ſcire licet eius ſalutem eſſe deploratā, cuius interaneorū aliquod vulnus accepit. Sed ſi quod in alta carne vulnus hiet, linamenta aceto & oleo imbuta ſunt imprimenda, infigendæ fibulæ, in quibus linamēta deligentur: ſed lanea potius eſſe debent. id triduo proſequendum. tum fibulas oportet reſoluere, aqua calida fouere, mox erui farina linire. Accepta ſub genibus vulnera difficilius cicatricem ducūt, ac ægrius oræ coaleſcūt, quo'd carne vacant, ac cute deficiuntur. Si poſterioribus ſubter inguen, aut in vicinia vulnus inferatur, facilè neruorum diſtētio ſequitur, quæ protinus equum tollit.

HIEROCLES.

ILLATA cauis partibus vulnera ſic ſanare conuenit. Acu, vti ſolitum eſt, filum laneum, non tenue, ſed intortum trahente, conſuere, dein principia exterius excipere, tergus cum pinguitudine funiculo canabino cera circunlito traiectare, fibulis oras vulneris cōmittere, inflammationem illitu cimoliæ cretæ cum aceto curare, appetente ſeptimo die futuram ſoluere, extrahere fila. Si procidat inteſtinum, penicillo feruēti aquæ intincto, dein expreſſo repellendum eſt. Etenim adhibitæ manus inflammationem mouere conſueuerūt. Si vulnus inteſtinum accepit, aut intento ſpiritu diſſilijt, nulla ſalutis ſpes ſubeſt. Si omentum exterius effundatur, forfice reſcindendum eſt, cum nihil intro recondere profuerit. Si vero ſauciatus ſit equus, nec per vulnus aliquid exit, aut in exteriorē partē venit, priorē pedem iactitat, triſtemq́ vultū oſtendit, cruentaq́ proluuies ex aluo procedit. Tum hoc noſſe oportet, q̀ cum in interaneorū aliquo vulnus impreſſum ſit, in ancipiti ſalus eſt. Si in loco carnoſiore vulnus dehiſcit, fibulis oportet oras iungere, linamētis oleo & aceto intinctis explere, poſtea fibulas reſoluere, calida perfundere, erui farina circundare. Qui poſteris partibus ſub inguina vulnus accepit, neruorum rigore correptus illico mortem obit.

Apſyrti de ijs qui à crepidinibus in foueam deuoluūtur, Cap. LXXII.

SIQVANDO à præruptis equum deturbari contingat, & in altos ſcrobes aut foſſas deerrare, (quod ſtatiuis in caſtris ſolet vſuuenire) ſi nec crura, nec articulos affecerit, ſuſpicioq́ ſit exta vel viſcerū aliquod noxam cepiſſe, tali vtēdum eſt infuſione. Succi cyrenaici modus qui duplo fabam excedat, demiſſus in poſcā quæ duas heminas impleat, per nares datur, aut è foco cinis in aquæ ſextarijs duobus inditus,

linteoq́ percolatus. Sit autem cinis robusteus, aut ilignus, aut succus acaciæ ruffæ instar vnciæ vnius in vini duas heminas fusus: aut esculentũ punicum ex vini sextario fusum per os inseratur. si tamen delapsus excremẽta reddiderit, aut liquidum quid egesserit, nullus infusioni locus. siquidem actum de equo est, nec vlla tenus vltrà vitam agere potest.

HIEROCLES.

SI AB edito loco cõtingat equum pręcipitari, aut in altam voraginem deuolui, nec tamen vllos artus læserit, in suspicioneḿq; veniat intus noxam traxisse: tum cyrenaici succi duplum fabæ tuberculum duabus aquę heminis immissum per nares ingeritur, aut foci cinis in duobus sextarijs vini linteo colatus datur. Præfertur roboreus cinis, aut iligneus. Item edule punicũ vnciatim datur in sesquisextario vini dimissum. Si statim equus quàm prouolutus est, aluum exoneret, infundere quicquã, alienũ erit, cum amplius viuere nullo pacto queat. Si calcitrosus in alterum sæuiat, aut sese mutuis calcibus impetant, cõmodum erit farinæ erui, fœnigræci, & lupinorum, singulos sextarios exhibere. Verum hę prius pollinario cribro succernũtur, & pinsuntur, dein vini italici sextarius, & hemina mellis adijciuntur, simulq́ue subactæ coguntur in offam, quæ senis diebus datur.

Apsyrti cohibendis equorum calcitratibus, Cap. LXXIII.

EQVI infestis calcibus nonnunquam inter se dimicant, validioreq́; calcitratu vtrinq; in ilia se feriunt: vnde cõtingit vt abdomen rumpatur iuxta neruos quibus genitales partes depẽdent, quos Græci cremasteras appellant. sic in scrotum intestina descẽdunt, quem folliculum veterinarij nominant. ij confestim viuis excedunt. hæ tamen notæ repræsentantur. scrotum intumescit. ambulans restitat. cibuḿq; prorsus respuit. nec pedibus insistere valet, sed sese proijcit, & subinde volutatur, atq; in tergum nutat. die vno vel altero viuit, tertio efflat animã. nõ eodem die quo vitiũ cœpit, excidunt intestina, sed postero. si tamen placet, muriam cum oleo mistam addita marina aqua & vino sufficienti infundes.

HIEROCLES.

SI QVEM alter equus calcitro sic icerit, vt calcibus aqualiculũ cõfodiat, abdomen fractum dissilit iuxta neruos è quibus testiculi dependent. tum periculo locus est. incedens enim identidem resistit, & consistere non potest. Se ipse iactat, volutaturq́;, & obstipus ad dorsi spinam vergit. Intra triduum quàm noxam cepit, animam expirat. Tum enim eius intestina in scrotũ, quem vocant folliculum, deuoluuntur, sed non

eodem die. Si alter equus morsu sæuierit, vulnus muria perlui debet. Qui in neruis morsus imprimuntur, facilè bilem mouent: sed, quemadmodum supra proposuimus, althea sanantur.

Apsyrti de fractis, Cap. LXXIIII.

APSYRTVS Frontoni Ephesio veterinario medico salutem dicit. Quæ sub genu in partibus posterioribus aut prioribus fracta fuerunt, ita ferruminari debent. Ea primũ in sedem suam compellenda, succidisq; lanis inuoluenda, dein fascijs lineis oleo acetoq; madẽtibus deligãda, quę sint longæ, æquales, non contortæ, distãtes, ac raræ. Obijcienda consimiliter lana oleo & aceto intincta. Ferulæq; super tres accõmodandæ, & vtrinq; amento quod lycon vocãt vinciendæ: rectũmq; crus quadraginta diebus seruandum est. vicenis diebus ter resoluisse satis est: sed rursum cõuenit religare. Oleum acetũmq; quotidie instillãdum. Resoluẽda vincula religãdaq;, circũdandæq; ferulæ. exactis quadraginta diebus, si callus cõcreuit, & ferrumen implet, ita vt equus ambulandi compos sit, soluendæ. Tum vnctione molli quæ adipibus constat, vtendum. Sed paulatim equus progrediatur. Quæ vero supra genua fracturã senserunt, vt deplorata, non continges. Siquidem ea nunquã ferruminãtur. Si femur fractũ sit, in periculum venit, spésq; salutis in angusto est. Fractis armis nullus medicinæ locus. nam neruorum distentio sequitur, quæ caput scapulis annectat. Si vero fracturæ, carnis vulnus accessit, sic vt tergus intercidatur: neq; manũ admoliri, neq; fascias subter adhibere cõueniet. Quando putridum subest vlcus, si costa frãgatur, consanescet. Fracturæ quæ calloso ferrumine coijt, nunquam vrens medicamentũ admouebis. excussis enim ijs inducẽtibus crustam, tophaceus callus resoluitur, ac rursus hæc fracta manum postulabunt.

HIEROCLES.

SI IN genuum vicinia prioribus pedibus crus fractum est, ita succurritur. primum articulus in suam sedem dandus est, & in locum recondendus. Crus succido vellere circunuoluendum. Fasciæ aceto & oleo madentes imponendæ, ita vt æquabiliter sedeant. iterũmq; imbuta lana superponenda. Cum ad ferulas ventum est, eæ pro more suo circundandæ: vtrinque nodo quem lycon vocant, deligandæ. Rectum crus quadraginta diebus habendum. Ea ter in viginti dierũ curriculo resoluenda. Quotidie oleo & aceto perfundendum: rursus vinciẽdum, ferulæq; post octauum diem adhibẽdæ. Transactis autem quadraginta diebus si callus cõcreuit, & ferrumen impleuit, malagmate ex adipe pugnandũ. Leni progressui pecus credendum. Si prope genu femur perfractum est,

vix vnquam sanari potest. Si fracturæ vulnus aut luxatio coniūcta sit, simile periculum subest. Sed si costa perfringatur, facilis medendi ratio. Nunquā ossium fragmentis quæ tophaceo ferrumine coaluerunt, medicamentū candens adhibendum: quandoquidem eo callus dissoluitur, nec vllam ferè medicinam sentit. Si quis pedis posterioris radiū fregerit, præsertim mulus & asinus: ijs, quód medulla careant, quanuis sanguinis compotes sunt, nunquam solidescit. Cum crus quadrupes fregerit, euulsaq́ue cute articulus sua sede prouolutus est, pelle reducta cōpellendus est: hocq́ue medicamento non admodum feruente linendus. Sed pecus altius capistro ligetur. Pars quæ inflammatione cingitur, oleo vinoq́ue perungi debet. Medicamentum hæc recipit, picis pondo denariorum viginti, opopanacis, resinæ terebinthinæ, visci quærnei, ceræ, singulorum libras decem, bituminis libras quinq́ue, ammoniaci thymiamatis, resinæ pineæ, galbani, singulorū libras sex, mānæ, bdellij, singulorum libras quatuor, myrrhæ libras sex, mannæ, bdellij, singulorum libras quatuor. myrrhæ dupondiū, bitumen, resina, pix & cera simul liquantur, ammoniacum igni calfactum extenditur, adijcitur myrrha bdelliúmq́ue, tusa postremo miscentur, opopanax viscúmque aheno conijciuntur, mox galbanum nouissime tusum. Hoc medicamentum linteo agglutinatum adhiberi solet.

Hippocrates fracturis.

SI OS in capite fractum est, aut cerebrum membranáve eius vulnus accepit, oculi cruore suffunduntur, sanguis per nares exit, & oculos implet, crura tumescunt. Talis medicamentis non est solicitandus, cum seruari non possit.

Hierocleum emplastrum, item barbarum, & flauum.

HOC EMPLASTRVM Hierocli refertur acceptū, quod fracturas recreat, spumæ argēti, aceti, singulorum libra, olei sesquilibra, ammoniaci, terebinthinæ, singulorum quadrans, ceræ, resinæ, singulorum sextans, bituminis, picis, æruginis, singulorum selibra, acetum, oleum, & argenti spuma coquuntur, cúmq́ue coalescere cogiq́ue cœperunt, pix adijcitur. vbi bene soluta fuerit, trulleum igni demitur, tum bitumen immittitur: quod agitari nō debet, aut rude moueri: cúmq́ue liquefactum fuerit, reliqua imponuntur, & coquuntur tantisper, dum in vnitatem coierint, demum in pilam colo diffunduntur. Est & aliud emplastrum, quod vocant barbarum, resarciendis fracturis efficax. Quod constat acris aceti, olei communis, spumæ argēti, singulorum libra, picis aridæ, ceræ, singulorum selibra, bituminis iudaici triente, ammoniaci sextante, spuma argenti trita ex oleo: diutius coquitur: cúmq́ue satis efferbuerit, liquescentia primum conijciūtur:

moxq́ trita pix vbi resoluta fuerit, ahenum ab igni deponitur, & bitumen inditur. vbi resolutum fuerit, vas igni remittitur. cum iterum videbitur conferbuisse, reliqua demittũtur. Emplastrum quod vocatur flauum, fracturas cõmode reficit. sic temperatur. picis liquidæ libra, ceræ sextans, mannæ thuris vncia, ammoniaci thymiamatis triens, aridæ resinæ, galbani, singulorum vncia, aceti heminæ duæ. sed acetum prius & pix coquũtur, dein ammoniacum igni expansum, & in laminas cõformatum, colatúmq́ immittitur. Melius cedet si in aceto liquescat, & infundatur ollæ, dein resina, mãna & galbanum adijciantur. Sunt qui vt fracta iungant, olei veteris sextarium, axungiæ, spumæ nitri, singulorum libram simul concoquãt donec bullæ feruoribus emerserint: tepénsq́ adhuc medicamentum illinant.

Apsyrtus de cholera tam humida quàm sicca. Cap. LXXV.

APSYRTVS Iulio Frontoni Centurioni salutem. Literis me consuluisti quænam indicia siccæ choleræ monstrarẽtur. Hæc solẽt inueniri. Calor quũ corpore toto, tum maxime ventre prorũpit. aluus subsistit, excrementáq́ non nisi ægrè fundit. qua de causa sicca nominatur cholera. Decubitum equus respuit, quòd vehementes vrgeant cruciatus. Os calidum siccúmq́ sentitur. Hoc malũ præcipue torquet cum libere bilis per hunc meatum non euadit, qui ad fellis conceptaculum pertinet, nec vrinæ vijs fertur, sed inibi residet: aut si itineri creditus, aut cursu stimulatus fuerit. Huic ita succurritur. Nitrũ & oleum ex aqua subter in aluum dantur. quieti indulgeat, & ab operibus detur vacatio. viride fœnum recens pascitet. si non adsit, conditiuum nitro passo vel posca consperfum obijciatur. maluæ coctæ ius calidum ex vino dulci naribus infundendum. sed deiectio prius medicamento petenda est, quàm hordeum præbeatur: dein madefacti cremor ex nitro potioni detur. frictione multa vtendum. sit clyster vtriculus arundinulam habens illigatam, illitámq́ cera, quatenus inditur ano. verum prius adacta manu obsidens fimũ eliciatur. Si cholera vexet humida, notis ijs deprehendetur. oculi in luteum languescunt, splẽdentq́. nares distractæ patent. aures & ilia sudore digeruntur: & ab ore calor erumpit. venæ quæ linguæ sunt subiectæ, luteo colore suffundũtur. excutiens sese gemitus exprimit. eiusq́ crura tumescunt, & subinde claudicat. luteã biliosámq́ vrinam egerit. cum vero decumbens protenditur, suspirium elidit. Fertur potu duarũ heminarum poscæ iuuari. Nos autẽ ijs sumus vsi. Cuminum, thymum, paribus modis trita, in vini & mellis hemina, quibus aqua sit adiecta, per os infundimus. ex suffraginibus sanguinem emittimus. Nonnulli abluendum præcipiunt. Alij tepido ignis halitu fumóq́ malunt vti.

HIEROCLES.

SI CHOLERA tentetur humida, venter humore proluitur, & tormina vexāt. in equile se recipiens parieti pectus affricat, ac se difficilē exhibet, sic vt accedentes calcibus sæpe proturbet. crassum nigruḿq; lotium excernit. Folia itaq; syluestris brassicæ trita in vini veteris sextario feruefacta, per os infunduntur. Idem opopanax & piper detrita ex vino vetere suffusa præstant. Solito cibatu, sed paulo parciore sustineatur. Cæterum siccam choleram tollit brassicæ syluestris nitriq; in vino contritorum infusio. sed frigida aqua vmbilicū perfundere prodest. Stratonicus præcipit infundendum per os mellis acetabulū, seminisq; fœniculi tantundem, cum sertulæ cāpanæ tritæ drachma, atq; cum vini hemina, & senis aquæ sextarijs. Si venter equo substitit, indito clystere spiritus excutiātur, aut manu per anum inserta fimum extrahatur. Egelidam bibat aquam, cui paulum nitri sit adiectum: recētiq; fœno victitet. Sūt qui ęchij radicis minæ quartam partem tunsam tritaḿq; cum vino infundant. Alij hederę frōdes ex vino nigro mistas præbent. alij malicorium, aut syluestrem oleam tusam & vino madefactam, ori, vt deuoret, admouent. Si ijs morbus non leuetur, venas supra nares sitas scalpello resoluunt, vt sanguinē detrahant. Si equū humida cholera male habeat, torrefactum triticū dabis, triticeaḿq; farinā. Item hærbā quæ heraclium vocatur, tritā cum lacte & vino per os demittes. Sed cum cholera pecus infestat, sibi somnū conciliare non potest. quare syluestrem myrtum tritam vinoq; mistam in vtranq; narem infundes. fœno minime pascatur. Alte substernendum, quò mollius incubet. Sæpe nigram hederam tritam cum vino fudisse profuit.

Eumelus ad infestam bilem.

AT SI bilis molesta iumento est, venter intumescit, nec emittit vētos. tum manus vncta inseritur aluo, & obsessi naturales exitus adaperiūtur: exēptoq; stercore, cunila bubula, & hęrba pedicularis cum sale trito decocto melli miscentur, atq; ita facta collyria subijciuntur, quæ ventrem mouent, bileḿq; omnem deducunt. Quidam myrrhæ tritæ quadrantem cum hemina vini faucibus infundunt, & anum liquida pice oblinunt. Alij marina aqua lauāt aluum, alij recenti muria. Sunt qui capita porrorum tusa cum hordeo viridi decoquant, tepenteḿq; succum præbeāt potādum. Iumenta tam liquidam quàm aridam bilem suapte natura creāt. Sed ea lues maxime mulorū asinoruḿq; progeniem labe prosternit. Igitur aridæ bilis notæ sunt. Omnia corporis membra cōuelluntur. Equus vnguibus præsepia ferit, tanquam metu quodam perculsus. Oculi sic conturbati caligant, vt obuersum hominem cōtueri nequeat. Ad se capistrum allicere conatur: & subinde volutatur. Ea res nō aliter accidit, quàm cum præcordia

bilis impleuit. Itaque sanguis ex tēdone colli tēporibusque demittatur. animal defricetur. deinde quatuor sextarij vini per nares ingerātur. Sed hac opplēte redundātia, & perfacilè vomitus elicitur, & aluus quoque resolui potest. Quæ si non respōdet, subducenda est. quare veratri nigri pondo denarij, & seminis lini tantundem, trita cum vini duabus heminis per os demittuntur. Si vero lini semen non inueniatur, scammoniæ siciliquum dedisse satis est: dein absinthium & centaurium quæ in aqua mulsa maduerint, per nares infundantur. vniuersim frigida lauetur aqua. Aut pollinis thuris, mānæ, myrrhæ portiones ex æquo teruntur. medicamen per os immittitur. Aut mus araneus cum hemina vini albi tritus, & calfactus, per sinistram narem infertur. Cum humida bilis exercet, eius hæc sunt indicia. iacēs quadrupes non facilè potest excitari. tremit autem erectus, labatque. Hoc euenire solet cum recens hordeum siue maceratum siue tunsum deuorarit, aut si vehemētiore motu concitatus, adhuc æstuans aquam frigidam hauserit. Cui sic subuenitur. gallæ quadrans, pinus vncia, rhus qua coriarij vtuntur, tantundem, corticis mali rubri par modus, trita adiecta vini hemina, tepefactaque, per sinistram narem induntur. pecus cogitur progredi. Verum ij quos male habet cholera, singulis pedibus claudicant, cutem habent prætentam, venæ sanguinis plenæ prominent, vndique multus calor erumpit. Hac ratione curari debent. Sanguis à ceruice demittatur, posteroque die scalpello vena resoluatur. Sed habitus colorque est attendendus. nanque si vitiosus liuidusque sanguis exierit, tātisper profluere sinatur, dum purus emanet. aqua mulsa per os inijciatur, & viridi pabulo, farinaque cui nigellum vinum sit adiectum, alatur. Terga manu subigere proderit, atque partes externas frictionibus nutrire, quò cutis aliquantum laxetur. Aliqui folia hederæ trita vino miscuere, tepefactaque per nares infudere.

Hierocles de carcinomate.

CARCINOMA rescindi præcipit Hieronymus, si locus patiatur. sin recuset, cancros fluuiatiles crematos illini iubet, & cum acida fece tritum subactumque pinus corticē imponi, & crematum pumicē, cicutæque semen, atque radicem syluestris cucumeris tusam cum aqua frigida & aceto perlini. Si sentiatur vlcus, aqua non est admouenda, sed vino perluendum. Hoc vtendum medicamento. Plumbago, atramentum sutorium, tusa, cinisque calcis, æquis ponderibus mista debent imponi. Locus carcinoma cingens, oleo circunlinendus. Alij cum partem animalis occupauit, hoc circuncidi opus esse tradunt, dein viuo tenus aduri, tritasque cantharides ex alumine & cyprino oleo superponi.

HIPPOCRATES.

CARCINOMATIS optimum præsentissimumq́; remedium est malagma quod cicuta, resina, visco galbanoq́; constat, quæ simul coquũtur. sed hoc auxilio calido vtẽdum, modo locus non refragetur. sin reclamet, siccis ijs cataplasmatibus & liquidis est pugnandum. cãcros fluuiatiles vstos tritosq́; cum acida fece superpones. Item pineũ corticem tusum, pumicem crematum, & cicutæ semẽ, syluestris etiam cucumeris radicem ex frigida aqua & aceto tritam illines, rursumq́; vino fouebis. Hoc autem vteris medicamento. candidam fecem cum plumbagine atramẽtoq́; sutorio tusam, addito calcis cinere perquam sicco, admouebis. circũdantes parteis oleo perũges. Si medicamentũ obduruit, eruũ & mel illines. Si carcinoma oculos occupat, eruum pinsitum ex rosaceo & ouo instillatur. Sed postquam vulnus purgatum fuerit, italico melle nutriendum, vt inducta cicatrice consanescat.

Hierocles meliceridibus.

VLCERA quæ à faui similitudine melicerides nominantur, reliquasq́; bullantes pustulas quibus cutis scatet, Hieronymus vrẽdas consulit ferramẽtis candentibus rectis, donec aduratur cutis. sed tunicæ parcatur. omnis exprimatur humor, ita vt nullum eius vestigiũ supersit. Vlcera igne facta curari iubet cera oleo & adipe liquefactis: marina, si adsit, elui. sin desideretur, frigida perfundi. Quibusdã placuit meliceridas laminis æreis candentibus, non ferramentis vri. Habes aduersus huiuscemodi fauos, emplastri compositionẽ quæ in calce huius libri inter medicamentorũ facultates subiungetur. Sũt & vlcera quædam crebris tumoribus exasperata, paraprismata inde vocant: aut quòd in faui speciem cõcreta sint, meliceridas appellãt. Alij quòd per foramina fertur humor, hydatides vocare maluerunt. in talis & calcibus nascuntur: nec vrens medicamẽtum postulant, cum plane varices iudicentur. quanuis & alterum sit genus varicum, quod cæcum fallit. Quæ res ita deprehẽditur, cum pecus in stabulo decumbit, & solito diutius inibi iacet. nam exurgere non potest, nisi quis ei ferat opem. surrectus fœmur & crus extendit, parumq́; contrahit. Hoc vitio hyems equos implicare consueuit. Pristinæ valetudini restituitur pecus, si agatur, & inambulet.

Hippocrates eisdem.

MELICERIS tumor est in articulis nascens, cui subest humor glutinosus, mellis crassitudinem coloremq́; referens. inde nomen accepit. Hoc medicamento curatur, quod habet olei libras quatuor, ammoniaci suffiminis, plumbaginis, cerusæ, singulorum libram, æris

combuſti ſemunciam, æruginis beſſem. omnia ſimul miſcētur cum vſus requirit. Quo feruētius illinetur medicamentū, eo maturius vitiū diſcutietur.

HIPPOCRATES.

SI MELICERIDAS equus aut aliud iumentum contraxit, genibus ſanguis detrahatur. ſpongia cum poſca cui mel ſit adiectum, ſuperponatur. Si permaneant, nec ſub ijs aliquid proficitur, illini debent. Si parum hoc valuit, vt adhuc perdurent, vtrūq; genu ferramento adurere conuenit: nec alte tamen imprimi, ſed quaſi trāſcurrere, ne compages reſoluatur. ſed non plus quàm opus eſt. neq; coagmentum etiam contingatur. tum vlcera vt reliqua igne facta curari, & faſciari debent. Auxiliatur quoq; fauis medicamentum quod recipit olei libras duas, ſalis ammoniaci ſextantem, plumbaginis beſſem, æris combuſti, ſquamæ æris, ſingulorum ſextantem, ſpumæ nitri quod ſit ſatis, mannæ thuris, ceruſæ, ſingulorū quadrantem. omnia miſcentur, vt in vſum veniāt. Præſidio eſt medicamentum quod habet nitri quadrantem, foliorum rhododendri ſiccorum, axungiæ veteris, bituminis, ſingulorum quadrātem: aut ſalis ammoniaci, plumbaginis, ſpumæ argenti, ceruſæ, ſingulorum vnciam, æris vſti, æruginis, ſingulorum ſextātem, olei ſelibram. cum omnia miſcueris, vtitor. Si melicerides equū infeſtent, medicamentis quæ agglutinādo reprimunt, ſubuenies. Primo quoq; die locum ſale & oleo defricabis. ſecutis diebus calida aqua perfundes. vnges anſerino adipe, & butyro nutries.

VARICOSIS.

SI VARICES noxij ſunt, hac ratione tolluntur. ſcalpello cutē aperies, & candente ferramento adures. tum ſale & oleo decem diebus infricabis. Quòd ſi adhuc non ſummoti fatigent, ſanguinē ab variculis euocabis, & ſanitati reddentur. Interdum varices ſic pecus male habēt, vt cum ſomno excitū ſurgit, protendat pedem, quaſi quandā luxati artus imaginē exhibeat. ſed opus eſt preſſa manu tergā ſubigere, dareq; operā vt inambulet: & quod luxū videtur, ſtatim ad priſtinū ordinē redibit.

Pelagonius vlceribus in faui modum concretis.

ALVMEN pingue cū aceto quàm acerrimo pedibus infricatur continue. Eundem effectum præſtant ſalis foſſitij, veratri, ſingulorum ſiciliquus, chalcitidis torrefactæ tantundē, auripigmenti drachma. ſed melle excipiantur, vt è fauis purulentus humor citra ferrum effundatur. Acaciæ, botryidis, cadmiæ combuſtæ, æruginis, veratri nigri, bituminis iudaici, nitri rubri, atramenti ſutorij cremati, axungiæ veteris, olei, ſalis ammoniaci, chalcitidis, hæc omnia ponderibus æquis ſicca tunduntur,

& cum bitumine cernuntur, prætritaq; axungia, liquidis adijciuntur, vt mista simul in emplastrum coëant, quod linteo agglutinetur, ipsisq; ductus lanæ flocco circulus circumagitur. medicamentum illigari debet, & alternis diebus resolui, quoad locum inueneris multis cribri modo foraminibus exasperatum, quibus perinde quasi emissarijs vicinus humor feratur, expressoq; sinu desiccetur barbara, quæ aceto, oleo, spuma argenti, pice, bitumine & ammoniaco cõstat. Vbi purulẽtum humorem melicerides profuderint, super vlcus dandum est emplastrum quod habet olei vulgaris libras quatuor, ammoniaci, plumbaginis, atramenti sutorij combusti, singulorum sesquilibram, æruginis selibrã, ammista cerusæ sesquilibra. ea coquuntur. Malagma sequens ad Elenum artis veterinariæ prudẽtem refertur. In ahenum olei paulum mittitur. vbi concaluit, argenti spumæ selibra conijcitur, axungiæ tantundem: quibus colatis adduntur ceræ sesquilibra, resinæ pondo, gonus selibra, chalcitidis vncia, mysis liquefacti selibra, psilothri tantundem, opopanacis libræ quatuor, galbani triẽs, salis paulo minus hemina, aceti selibra. Hoc malagma meliceride laborantibus opitulatur. Oleum in aheno cum efferbuit, conijcies ceræ libram, plumbaginis, propolis, argenti spumæ, singulorum selibram. hęc in lutra ferrea labellóve concalfacta super genu induces. Recenteis meliceridas digerit ac dissipat insequens, aceti cyathi tres, salis ammoniaci selibra, corymborũ hederæ triens, seminis rosmarini quod cachry dicitur, tunsi triens, fimi columbacei grana sex, mannæ sextans, cineris calcis triens. omnia hæc mittuntur in ollam, sed primum acetum, deinde ammoniacũ, resina, postremo reliqua: cumq; cocta fuerint, ab igne summoueri vas debet: sed malagma linteo illitum imponitur, & fascia ligatur: post quinq; dies soluitur, & calida perfunditur. rursus ex eodem medicamento feruẽte portio superponitur. sic equus depulso vitio ad sanitatẽ perducitur.

Prægnotio ac remedium pustularum, quas paraprismata vocant.

PRIMVM supra talum & coronam pedis erumpunt nonnullæ papulæ grani sinapis magnitudine, vel paulo maiores, quæ tãdem in vnam coëunt pustulam. eæ cursitatu, itinere longo, gestatis oneribus solent prouenire. Remedium est stylo vel acu transigere, & capax humoris vasculum rescindere, oleo & sale defricare, postea fomentum adhibere, cerato munire. Hoc etiam medicamẽtum pustulas abolet, chalcitis, æruginis æris, singulorum quadrãs, fœniculi nigri, mysis liquefacti, singulorum triens, atramenti sutorij, gallarum nigrarum, fecis vini, psilothri, singulorum quadrans, floris cymini alexandrini, singulorum quod erit satis, mittuntur in acre acetum, atq; teruntur in pila, dein in collyria formantur: quibus siccatis vtendum.

Tiberius ad pustulas aqua prægnantes tollendas.

SIQVA pars pustulis aqua prægnantibus scatet, quas vocant hydatides, tum foliorum rhododendri semuncia, senæ euphorbij drachmæ, fimi columbacei quaternæ, seminis nasturtij totidē, chameleæ syluestris hærbæ siciliquus, ternæ adarces drachmæ, omnia diligenter tunduntur, & cum axungia teruntur. eo medicamine pustulosus locus linitur. Papulę cum desidunt, calces vlceribus obsident, quæ copiosum eructent humorem. paraprismata vocant. tum venam quæ supra suffraginis articulum fertur, resolues. sanguinem profluere patieris. Recentes grossos minutim tusas in vino coques, & ex bubulo stercore delines. Si nihil hoc profecerit, suffraginis venam feries. sanguis tātisper profundatur, dum heminam expleat. tum salem torrefactum ex oleo superpones, & fresæ fabæ lomentum, cui mellis paululum adijcies.

Hierocles de pustulis.

VEHEMENTI cursu maxime pustulæ concitātur, talisq; priores intumescunt, vt humore grauidi videantur. Venam igitur sub suffragine scalpello sauciabis, vt sanguinem exhaurias. Quòd si remediū hoc non profuerit, locum pustulis scatentē scarificabis. vbi totum humorem effuderit, posca fouebis. postridie malagmate nutriendum, quod galbano constat. Sunt qui fimum euocent, eiq; ægyptiæ mori tenera cacumina, aut tusam radicem adijciant, in vinoq; pari aqua diluto feruefaciant, deinde candens ferramentum acetabulo coxendicis adhibent: cumq; melius habere videbitur, calidam aquam præstant potandam.

Hierocles de aculeis qui intus hæserunt, extrahendis.

SI LIGNEVS mucro, stipes, vel aculeus equo illatus insedit, aut os aut testa in vngulam se demersit, ea protinus euellenda sunt, & purgato prius vulnere, medicamento quod ærugine vel mysi cōstat, aut quolibet vulnerario linendum. plaga penicillo replenda, postero die mero perluenda, medicamentisq; perungenda quæ dehiscentis sinus oras committunt: deinde polenta quæ ex alumine componitur, curari debet.

Hierocles de abscessu. Cap. LXXIX.

CVM abscessus saltu, volutatione, plaga, vel casu cōtrahitur, in calcem magnopere tritā affuso vino parem olei modum adijcito: cumq; medicamentū strigmenti crassitudinem retulerit, intumescentem locum oblinito. nonnihil etiam sanæ partis complexus, aut triticeā farinam quàm purissimam infuso aceto subactam, cui mannæ duûm denariorum pondus adijciatur, supra protuberantem locum agglutinato.

ſed aliquid ſanæ partis comprendere non erit alienum.

Hieroclis ad ſquillares furunculos, quos vocāt caridas, Cap. LXXX.

SI SQVILLAE tuberculo prodeant abſceſſus, quos à piſcis ſimilitudine caridas, quaſi ſquillares nomināt: tenera cypreſſi cacumina & gallæ libram tundes, axungiæ & ceræ ſingulorum ſelibram adijcies, gallas acerbas inſtar libræ cum aceto ſubigens illines. Apſyrtus vtendum præcipit vrina vernacula, ſed abſtergendum eſſe prius quotidie, mox nigra calce dum ſaneſcant linendum.

Hierocles qua ratione experta ignem curanda. Cap. LXXXI.

CVM vrendi pecoris candente ferramento neceſſitas ingruit, friato ſale & oleo primo die margines vlcerum puluiniq́ proluuntur: ſecutis autem diebus puerili ſtrigmēto delinuntur, quo facilius emarginari poſſint cruſtæ, decidereq́: deinde vetere oleo & calida aqua cōmiſtis detergeātur. quibus expurgatis, ſtatim vino & oleo inſperſa erui farina foueantur. Si vero puerili ſtrigmento carueris, cerā, picem liquidam, adipem ſuillum, ſalem, oleū, ſimul intrita, pinnis perlines. Si intra ſeptimū diem quàm illini cœpit vlcus, non emarginentur puluilli, cruſtæq́ decidant, timor ſubeſt ne quid intus ruptum ſit, & ad ineuitabile periculum venerit. Vernū tēpus maxime æſtiuumq́ huic vrēdi negotio deſtinatur. Aliqui miſcēt ceræ libram, propolis, ammoniaci, ſingulorū ſextātem, œſypi vnciā, galbani, mannę, ſingulorum ſextantem, viſci trientem, ſpumæ nitri vnciam, piperis ſextantem. eo cruſtæ vlceribus obductæ, paulatim euelluntur. aut ceræ libra, propolis vncia, ammoniaci ſextans, œſypi vncia, galbani ſextans, bituminis triens, opopanacis, nitri, ſinguli ſextantes, aluminis ſciſſilis vncia, piperis, viſci, ſingulorum ſextans, ſulfuris vncia, commiſcentur.

Apſyrti de mariſca ficoq́ & formicantibus verrucis quæ in pedis corona naſcuntur, Cap. LXXXII.

APSYRTVS Herodioni Alexādrino equorum medico ſalutem. Mariſcas, ficos, aut verrucas quæ informicationes dicuntur, quòd punctionis formicæ ſenſum quendam repræſentant, in equis, mulis, aſinis, quacunq́ parte corporis oriantur, præſertim ſi extrema occupant, adurere nō oportet, ſed reſcindere, nitro propius abradere, crudā chalcitim tritam illigare, idem quotidie præſtare, aquam non admouere, dum ſanitati reſtituantur. ſed maxime vrentibus medicamentis abſtinendū, quoties pedi iuxta coronam inſederunt. Nam difficillime inibi cicatrices inducuntur.

HIEROCLES.

FICOS, formicanteśq; verrucas, quæ quũ omni parte corporis, tum maxime extremis oriuntur, Apsyrtus nequaquam vrendas consulit, sed resecandas, & viuo tenus deradendas, deinde crudam chalcitim tritam imponi iubet & alligari: idq; quotidie facere. aquæ potum non impartiri quoad ex eo vitio sese recollegerit equus. cui itidem igni interdixit, quoties in situ pedis circiter coronam exierunt, quippe cum vlcera difficulter ibi cicatrices trahant.

Hierocles de fico in pernis, & reduuijs, quas pterygomata appellant.

IN PERNA posterioris pedis iuxta cauum vngulæ vlcus enascitur, quod ab rei similitudine ficum appellant. id equum infestat, & claudicationem adfert, doloreśq; ciet, nec vitiatam partem equus à quoq̃ tangi patitur. huic adurẽtibus cæterisq; medicamentis quàm celerrime succurrendum. Siquidem cum diutius vitium prorogatur, inter ambulandum radices altius in vngulam exigit, & in vniuersum claudicatio confirmatur. Huic noxæ tam asinus quàm mulus maxime patet: equus non facilè id incommodi sentit.

Informicationibus remedia.

SI VERRVCAE latissimis radicibus inhærent, & dolores mouent, myrmecias vocant, eas tollit medicamentum quod habet calcis, specularis lapidis tũsi, singulorum vnciã, stillatitij lixiuij sextarium vnum, thuris vnciam vnam, fecis vini cõbustæ, cineris, salis, æruginis, aceti, singulorum sextãtem. Prodest mysis, atramẽti sutorij, calcis, æruginis, singulos sextantes terere, cumq; formicãs verruca confecta fuerit & exusta, medicamentum inspergere. si circa oculum aut palpebram prominet, ex melle trita linere. sed verruca prius in treis parteis diducenda, ferramentum candens adhibẽdum. Si formicationes in pedibus erumpant, chalcitidis sextantem, synopidis vnciam, fecis sextãtem sumes, corticem punici mali in aceto coctum, punicumq; malum contritum miscebis, panno colatum infundes, dein vteris medicamine vulnerario. Sunt qui primum verrucam formicantem rescindant, postea mel, calcem viuam, & saligneum corticem tusum cretumq; superponant: & ita ad sanitatem perducunt.

HIEROCLES.

INFORMICATIONES ferro rescindũtur, deinde vulneri sulfur infriatur. Bitumẽ, aut cucurbitę siccę crematæq; cinis inspergitur. Vsta filix tusaq; & incerniculo creta formicantes verrucas abolet. Barbulæ hircinæ cocta in aqua radix eundem præstat effectum, si tri-

ta linatur. Habes etiã alia remedia aduersus informicationes, quę inter cõposita medicamenta paulopost subijcientur. Easdem tollit hoc medicamẽtum: aluminis optimi, cadmiæ, botryidis, mysis, singulorum sextans, chalcitidis triẽs, gummis sextans, lixiuij liquoris qui è cinere partim viuã calcẽ excipiente stillauit, protostacton vocãt, quod satis esse videbitur, quo subacta cætera digerantur in pastillos. Auxilio est medicamentum quod continet calcis, candidæ fecis vini, columbacei fimi, auripigmenti, singulorum vnciã, chalcitidis semũciam, lixiuij quod è cinere calcarijs fornacibus extracto manauit, quod esse satis videbitur. ea teruntur, & eo excepta formicationibus linuntur. sed antea verrucæ capillo aut neruulo vinciantur. cum autem exciderint, siccum hoc medicamen inspergatur.

Apsyrti de neruicis, Cap. LXXXIIII.

NERVICI dolore ceruicis laborant, & caput extendunt. Labia in rictum contracta sursum versus spectant, nec hiscere possunt. quapropter neq; potionẽ neq; cibũ capiunt. exerto genitali vrina paulatim fertur. aluus nihil nisi coacta reddit. accidit ferè vt in progressu vacillent, obstipiq; ceruicem proclinent, quòd interni nerui distenti rigeant. verum tales statim viuendi finem faciunt.

HIEROCLES.

QVI neruicis affectibus tentantur, nullum auxiliari potest medicamentum. signa tamen explicare bonum erit, ne quis neruicum putans altero vitio correptum, cum remedium adhibere non possit, erroris insimuletur. Neruorum itaq; causarius ceruicem distẽdit, caput extollit, vt sursum versus pertineat. Labia in rictum contrahuntur, vt os non possit aperire. quare nec esse, nec bibere valet. genitaleq; promittens sensim meijt. venter excrementa non emittit. incedens equus vacillat, & in ceruicem obstipus concidit, quòd nerui præter modũ distendantur. Qui, vti proposui, breui mortem oppetunt.

Apsyrti ad neruorum vulnera, Cap. LXXXV.

OPTIMVM equis aduersus neruorum vulnera, amurcã veterem instar trientis heminæ, & corticem radicis vlmi coxisse. cuius liquamiuis hemina, fellis taurini cyathi tres, aristolochiæ tenuis semuncia, miscentur. si taurinum fel desit, in vicem eius agrestis hirci fel sufficiatur. ea in vase cõfunduntur, & sub dio coquuntur. cum abunde cocta videbuntur, per tegetes aut sportulas instillẽtur in fictile. quod si picatum fuerit, cõ

festim eximendum est. Eo medicamento cum res postulabit vtendum. Si nerui sentiunt exulcerationem, ceræ libram, olei bessem, æruginis quadrantem, aridæ resinæ libram, mannæ quadrãtem, aceti quod erit satis, mannam cum ærugine acetoq; teres, permiscebis, illines. Si nerui dolorem experiuntur, ceræ libram, styracis sesquilibram, æruginis libram, propolis, ceræ candidæ, papaueris, singulorum sesquilibram, baccarum lauri libras quatuor cum semisse imposuisse satis est.

Hippocrates de vermibus.

SOLENT etiam vermes nocere: quod vitium non facilè medicamentis expugnatur: sed potius inuictum, remedijs non cedit. quorum signa sunt. se in solum equus abijcit, crebroq; volutatur, & admouet caput vtero. caudã sæpius iactat, atq; solito frequẽtius hinnit. Succus igitur brassicæ cum oleo nitroq; per os & nares infunduntur: aut squamæ æris, caricarum, & atramenti sutorij, singuli trientes læuissime terũtur, & in collyria formãtur magnitudine qua nares sunt capaces, per quas inijciãtur.

Didymus phthiriasi & ricinis.

SI VETERINVM pediculis obsitum est, aut ricini hærẽt, aceris radices tusæ in aqua coqui debent, & decocti iure tepido perfundi, sic vt imber totum corpus proluat. sed villi prius à capronis ad dorsi spinam detondendi. Sunt qui solo cedriæ liquore vtantur. Alij mandragoræ radicis decocto consimiliter irrorant. sed cauendum ne eã degustent, quippe cum periculum adferat. Alij cyperi radicem decoquunt, & iuris imbre lauant. Ricini quoq; pice liquida cum suilla adipe cocta contacti decidunt: qui manu non sunt vellendi, ne faciant vlcera.

Pelagonius pediculis.

SI VEL venter vel anus pediculis scateat, mora cruda hordeo quo equus vescitur, inspergẽda. Complures radice mori cocta in aqua ventrem & anum fouent. Si vulnus intulerũt, siderite herba & porri succo mistis addito sale oleo & pice sanatur. Si pediculi iubam aut corpus totum obsident, viridem cicutam tritam opus est illinere: aut tusam cyclamini radicem affuso oleo pediculosis partibus conuenit illinere. ea nanq; huiuscemodi animalia necat. Si quid equis aut iumẽtis alijs pediculos creauit, totum corpus expurgandum est, dein tunsa cyclamini radice expressus succus adiecto oleo illinendus. postero die lixiuio feruente pecus elui debet, medicamentoq; rursum illini.

Didymus infestantibus tabanis, qui etiam œstra dicuntur.

TABANI suo aculeorum stimulatu equos reliquasq; pecudes in amentiã præcipitãt. Compertũ igitur habemus, eas ab ijs infestis volucribus nõ attingi, si quis tusas lauri baccas in aqua coxerit, &

de cocti iure locũ in quo pascuntur aut incubãt, resperserit, quippe cum cæca naturarum discordia (antipathian nominãt) instincti tabani fugiunt. quod si præuentæ iam ictum acceperint, cerusam ex aqua circunliuisse satis est.

Africanus, ne veterina muscis infestentur. Item ne vlcera ab ijs tacta vermibus scateant.

MVSCAE nulla afficient molestia, si tritis lauri baccis, & in oleo coctis veterinum illinatur. Solent etiam muscæ vulnera infestare, quas summouebimus pice & oleo vel vnguine mistis & infusis. Quòd si quæ partes vlceribus præoccupatæ fuerũt, coctam picem liquidam suillæ adipi vulneribus stillari conueniet. sed quotiescunq; mel remedijs adhibetur, cauendum erit ne pars à muscis infestetur. nam ad mellis dulcedinẽ non hæ solæ, sed apes aduolant: quæ vbi vlceribus insederunt, vermes creãt. quare purgatis ijs cõfestim adhibẽda sunt linamẽta cũ pice & oleo veterecq; axungia, & extra vulnera eodẽ medicamẽto circumillinenda. Solẽt neglecta vlcera scatere vermibus: qui si perfundãtur aqua frigida, rigore cõtacti decidunt. vel si hac ratione non possunt eximi, marrubium aut porrum conteritur, & admixto sale imponitur. id celerrime necat dicta animalia.

Beretius muscis fugandis.

LAVRVS cum nigro veratro trita, si in lacte, vel passo, vel hydromelite cum minimum aqua maceretur, muscas enecabit. Si casiam ex oleo tritã illiueris, nullam impetent animantẽ. Muscas, si voles, nepetæ abiges odore. Item foliorum eius decoctũ respersum easdẽ fugat. Si, quantũ Anatolius sentit, tibi sit in animo muscas in vnum cogere locum, in excauatum scrobem frutices rhododaphnæ tunsos conijcies, in eũmq; examina vndecunq; conuolabunt. Eædem boues, aut reliquos quadrupedes nullo afficient tedio, si lauri baccis ex oleo perungantur. Cæterum muscæ prorsus mutis nõ insidebunt animantibus, quæ leonino pingui sunt delibutæ. Porrò veratrũ quod in lacte vel sapa cum auripigmento maduit, imbre resperso muscas abolet. Si quidpiam alumine cunilaq; linatur trita, muscæ nunquã adsilient. Africanus est author, si platani frõdes adpẽdantur, vespertiliones equilia non ingredi, exanimariq; comarum hederæ suffitu.

Democritus infestis culicibus propellendis.

CVLICES necant equinæ setæ foribus aut medijs domibus alligatæ, neq; prorsus eas inibi suffixæ sinunt ingredi. calaminthæ aut gith crematorũ nidore fugãtur. Si spõgia aceto acri imbuta prope caput aut pedes adpendatur, animantẽ non attingent. Abiguntur macerata ruta, & domicilijs respersa, aut conyza decocta. Et feruefacti iure domibus

irrorato aut galbani, aut sulfuris, aut cumini suffitu. Si dormituro canabis florentem surculum obieceris, ab inuolatu arcebuntur. Non in quoduis animal irruent eæ volucres bestiolæ, quod manna cum aceto & oleo perungatur. Cæterum horrent in primis culices accrementum aceti, & cunilæ nidorem. Bubulum stercus suffitum, aut parietibus sublitū culices persequitur. Item inulæ radix adiecto buccinorum crematorum cinere, si vestes aut stragula suffumigentur. spōgia aceto imbuta, cum domorum laquearibus, aut cubiculorum cameris adpēditur, ad se cōuolantia inibi culicum agmina contrahet. Nullo lacessent ictu, si canabis frutices lecticis substernantur.

Rutam aqua maceratam, vel conyzam coctam mandris resperges, vt hinc culices amoliaris. Bdellium suffitu culices propellit.

Didymus cimicibus abolendis.

PICE liquida, & syluestris cucumeris succo cubilibus insperso cimices necantur. Item scylla particulatim dissecta, tritáque in aceto, & spōgia hoc liquore imbuta detersis. Itidem medicæ mali frondes cum oleo decoctæ, vt hanc pestem arceant, lecticarum coagmentis illinūtur. Taurino aut hircino felle, addito acri aceto, cubiculorum parietes imbui prodest. Hoc idem præstāt si viuum sulfur, & oleum vetus adieceris.

Cimices lectularij nō aderunt vbi locum glutini piscium (quod ichthyocollon vocant) decocti resperseris iure. Incubātes enecabis, si coctis olei fracibus, & bubulo felli mistis ex oleo roraueris: aut hederæ, aut capparis frondibus ex oleo litis. Nec secus parietibus delitescētes perimes. Præsens eis moliūtur exitium, cum herbæ pedicularis acetabulum, scyllæ in taleolas dissectæ tantundem, acris aceti ligula, teruntur vnà, & cum incaluerint igni, linuntur. Aliqui cedrini liquoris portionem adijciunt, & quadrātalem passi modum: vitulini, vel caprini fellis, quantū volæ sinu capi potest, & tantundem passi cum aceto. Florentinus memoriæ prodidit hirudines & cimices mutuo halituum eiaculatu confici. illas, cum conceptum cimicis nidorem ad eas fistula detulerit: hos, cum graue fumi virus hirudinibus emissum insederit, ambitu velaminibus stipato, ne vapor euanescat in auras. Scolopendra siccata suo odore eundem præbet effectum. ad idem pollent hederæ folia cum hirudinibus decem trita. Democritus asserit cimices nec situ cubilium, nec aspergine creari, si leporis aut cerui pedes à tergo circum lecti fulcra pendeant. Si quis inter peregrinandum vas aquæ frigidæ plenū lecticæ subijciat, dormientem non attingent. Lupini madentis imber, quo pleriq; omnes vtuntur, exanimat quos attigerit. is tamen nō prohibet consperfus, quin paulopost rediuiui conualescant.

Pamphilus pulicosis animantibus, & domicilijs.

PVLICOSAE pecudi remedia sunt. Sume cyminum tritũ pari pondere cum veratro, aquaq; mistum, & illitum, seu cucumeris anguinei succum. vel si hæc nõ adsunt, vetus amurca per totũ corpus infusa. Si in effossum domi scrobiculum rhododaphnæ surculos inieceris, pulices vndiquaq; ad eum conuenient: tum absinthium, vel syluestris cucumeris radix aqua marina macerata rore cõsperso hos enecabit. eisdem aquæ in qua gith maduerit, respersus necem adfert. Cum hæc pestis infestabit, conyzæ feruẽs decoctum perfudisse satis est. Item sinapis semen cum rhododaphne (cui nerio quoq; nomen est) igni calescit, & locis quæ pulicibus scatent, inspergitur. In perniciem agũtur, si cribro viciario viuã calcẽ per locũ cernas. sed solũ prius est euerrẽdum. Pestis hæc itidem fracibus olei maceratis aboletur, si pauimẽta hac madeãt vligine. Si cuminũ syluestre adiecto cucumeris anguinei semine in aqua tritum perfundatur, crepantes dissiliẽt. Itidem præstatur absinthio, aut radice cucumis agrestis marina macerata, aut chameleæ radicibus, aut populneis frondibus tusis, & aqua suffusis, aut tribulo in aqua decocto. Pulices acor muriæ necat. Item marina respersa.
Si positũ in medio domus labellũ ferreo pugione circunscribatur, reliquaq; pars extra ductũ orbiculũ liquore respergatur in quo pedicularis herba, aut tusa lauri folia maduerint, aut muria in aqua maris cocta: omnes in labellum consilient. Si in spurcũ scrobẽ caprinus sanguis defundatur, pulices omnes ad se cõtrahet. sic à vestimẽtis, & tapetibus villosis, quibus immersi latitant, enecabuntur. Summouẽtur ijdem, si in vrna vel cado antedicta reponantur.

Apsyrtus ijs quos serpentes momorderunt.

APSYRTVS Iulio Saturnio Decurioni salutẽ. Petis quænã signa viperarũ ictus sequãtur. Hæc vtiq; sunt. corpus horrore cõcutitur, oculi tumẽt, ore & dentibus infrẽdet equus. interdũ pili à capronis iuba & muscario defluunt, papulæ etiã quædã corpore toto prorũpunt, quæ graue virus olent. Succurritur hac sorbitione. piperis cãdidi aut nigri grana triginta cum vino detrita per os infundũtur, aut thymũ ex vino tunsum, aut rosaceum cum mero, aut ruta cum vino trita, creticũmq; seseli quod tordilion vocant, ex vino vel artemisia. sed pecus in periculum venit.

HIEROCLES.

MVLTI sermonem quem de demorsis à vipera scorpionibus, phalangijs, aut araneo mure habuerunt, simul promiscue confuderunt: nos autem cum distinctionem quandam desiderent, de ijs sigillatim differemus. Cum ergo vipera morsum impressit, horror totũ corpus percurrit, intumescũt oculi, dentibus iumentũ infremit, pili iuba delabũtur, equum papulis quibusdam fœdis vulnus obsidet. Hæc

ratio curãdi ſequenda eſt. Triginta cãdidi piperis grana cum vino tuſa,per os demittũtur,aut thymũ ex vino,aut artemiſia cocta cum vino. Nonnulli plagam prius incidentes adurendam conſulunt,poſtea medicamentum infundunt. Vulnus abſtergere vrina oportet,& vnctione molli nutrire.

Pelagonius ad ictus ſerpentis,muris aranei,& phalangiorum.

SI SERPENS aut araneus mus morſum intulit,aut phalangium ictu ſæuijt,terra è formicarũ latibulis petita prodeſt,ſi cum vino infundatur,eaq́ vulnera defricẽtur. Si in itinere cõtingat equum virulentũ vulnus accipere,vbi accõmodata remedia non licet offendere,piperis albi grana triginta cum vini veteris ſextario per corniculum faucibus inſeres,vel thymum hęrbam tritam ex vino prębebis. Fertur cõtra ictus omne genus animaliũ quæ noxium virus eiaculantur,auxilio eſſe radix haſtulæ regiæ cum vino vetere trita,& indita vulneri. Idem pręſtãt diſſecti hirundinum pulli,& plagæ admoti. Hirundinis nidum cum vino vetere tritum locis quæ dentium iniuriam ſenſerunt,imponi prodeſt. Morſibus phalangiorum aut muris aranei tuſa malua tritaq́ imponitur.

Apſyrtus ictis à ſcorpione.

ICTOS à ſcorpione ſequitur crurum contractio,claudicatus, faſtidia cibi, ſaniei viridis è naribus profuſio,ſpirandi difficultas, & ægra ſuſcitatio. Curantur non aliter quàm demorſi à ſerpentibus,vt antea propoſuimus.

HIEROCLES.

Si ſcorpius ictum adegit,equi ſuſtrahunt pedes,& claudicant,atque cibum auerſantur. virens ſanies è naribus profluit,ſpirandiq́ difficultate vexantur. Eandem quam à ſerpente percuſſi curationem deſiderant.

Anatolius ad ictum ſcorpionis & ſerpentum.

SI SCORPIVS ictum attulit,aut ſerpens aliqua momordit,læſa pars ſuillo fimo linitur,aut ſolano tuſo,vel marina lactuca, quam Græci tithymalum vocant,aut apollinari hęrba, aut lini ſemine,aut torrefacto alumine,aut ſpuma nitri,aut foſſili ſale. ſingula hæc illita præſenti ſunt auxilio.

Eumelus ad omnes ſerpentium ictus.

VLNERA quæ per ſerpentium ictus inferuntur, arundine compungas,aut eiuſdem deuſtæ cinerem infrices. Artemiſiam cum chamæmelo trito addito vino des potãdam. Venena depellit radix hęrbæ quam vocãt perſonatã,trita,& cum vino data. quaterni ficulnæ

radicis ſcrupuli, cum vini tepentis ſextario per nares ingeruntur, creta cum oleo, aceto, & laſere, aut pullorũ hirundinis vẽter, aut nidus eorundẽ intritus vulneri ſuperponitur. Crematarũ arũdinũ cinis vino reſolutus potui datur.

Apſyrtus de phalangiorum venenis.

PHALANGIORVM genus latitans in fœno ſubinde non aliter quàm araneus parit. quorũ progeniem ſi pecus improuide deuorarit, in diſcrimen adfertur; ſæpeq́ ſibi vorax mortem hoc eſu conſciſcit. Remedio eſt vinũ infuſum cum pipere, vel thymum cum vino, aut cerui coagulum ex eodem. Si phalangium nocuit, ijs notis deprehenditur. Intabeſcit corpus. Papulæ quædam proſiliunt furunculis non diſſimiles. Vrina fertur araneas quaſdam oſtendens. Cibum faſtidit, aut exiguũ admodum capit. Præſens eſt remedium in omnibus ſerpentium ictibus, læſum locum qua punctionis ſenſus repræſentatur, inurere.

HIEROCLES.

PHALANGIORVM progenies araneorum more in fœni faſcibus ſuos edunt partus. Si ergo proles per imprudẽtiam deuoretur, vel phalangiũ morſus infixit, nõ exiguam perniciẽ molitur. Cognoſces autem virus irrepſiſſe, cum corpus inflammatur, eruptioneſque papularum à furunculis non abhorrẽtes prodierunt, ſi vrinæ telas araneorũ quaſdam repræſentãt, ſi cibi faſtidium torquet, aut parum pabuli ſumitur. Subueniendum itaque infuſo pipere cum vino aut thymo vel ariſtolochia craſſiore, item cerui coagulo. Probãt aliqui, locum qui dentiũ iniuriã ſenſit, circuncidi, deinde vulnus ignẽ experiri, poſtremo infuſionibus vti. Si phalangium morſus impreſſit, piperis, herbæ pedicularis, ſingulorum vncia, pyrethri ſeſcuncia, leuiſſime teruntur, & faucibus inſeruntur.

Hierocles de iumentis à phalangio aut vipera demorſis.

SI IVMENTVM phalangium deuorauit, aut morſu vulnus intulit, genitalia tument, vrinaq́ araneoſum quid videtur referre. Quinetiam totũ ſudore digeritur. Curãdi ratio hæc eſt. Si vulnus fecit, id circũcidendum, quò virus ex eo deſtillet: dein adurẽdum. Sin deuorarit, ijs remedijs pugnãdum, quæ etiam valebunt ſi phalangium mordicus inuaſit. Ariſtolochia cum vino trita infunditur, itidem ſylueſtris apij ſemẽ. ſi non extat, in eius locum ſatiui ſemen ſubſtituatur. Baccæ lauri tritæ in duabus heminis vini affuſo roſaceo per os demittuntur. Calido diuerſetur equili, deinde in balneum deſcendat, & calida perfundatur aqua. Cremor ptiſanæ pro cibo cedat, aut teneræ lauri frõdes pabulo ſint. Fœnum optimũ miniſtretur, calida detur potanda, quoad dolor ſe remiſerit. qui poſtquam

conquieuit, tum ambulationibus cõmittatur: vulnus vti dictum est adurendum, medicamen infundendum, donec ad sanitatem peruenerit. Si quem vipera percussit, eius morsus suppurationem molitur, exsaniat vulnus, eoq; pus atrum exit, ac inde virus manat. Si muliebrem sexum pecus referat, sic ei subuenitur. vulnus mordicus factum scalpello rescinditur, postmodum debet aduri, & ea quæ in phalangijs proposuimus, infundi. Rupta suppuratio detergetur, vnctioneq; molli nutrietur.

Hippocrates ad ictus serpentis & viperæ.

SERPENS & vipera sæpe cum equus improuide supercubuit, lacessita onere morsum imprimit. Venenũ serpentis abigitur si pars icta bubulo stercore linatur, aut solano tunso, aut marina lactuca, quam vocãt tithymalon, aut apollinaris semine, aut alumine, vel spuma nitri, vel fricto sale. Quinetiam si vnum ex ijs cum aqua linteo colata faucibus infundatur, remedio erit. Et vt summatim dicatur, quæcunq; hominibus opẽ ferũt, eadẽ maxima ex parte pecudibus salutaria sunt. Priuatim tamen equis, mulis, & asinis missio sanguinis opitulatur. Venena viperæ depellit super scarificationem ferro factã hęrba quam vocãt personatã, trita, & cum sale imposita. itẽ trifoliũ, quod in fragrosis inuenitur locis, odoris grauis, neq; absimilis bitumini, idcirco Græci eã asphaltion appellãt, ad eosdẽ effectus vsurpatur, huiusq; hęrbæ succus vino mistus inditur faucibus, atq; ipsa folia cũ sale trita malagmatis more, scarificationi intẽduntur. vel si hãc hęrbã viridem tẽpus anni neget, semina eius leuigata radiceśq; cum vino bibuntur, vel ex aqua mulsa scarificationi superimponuntur.

Buprestí & phalangio.

SI BVPRESTIM aut phalangium esitarit equus cum fœno, venter incẽditur, cibi fastidiũ vrget, ac totus hoc pabulo distẽditur, itẽ crebrius alui recremẽta ferũtur, paulatimq; spiritũ elidit. Cui sic succurritur. illigatũ caput reflectitur: venæ quę supra nares tẽdũt, rescĩdũtur, quò sanguis extra per os ꝓfluat: brassica cocta cũ garo & oleo datur vorãda.

Hierocles de serpentum morsu

SI EQVO serpẽs dentes adegit, primũ sanguis mittẽdus est, milio & tritico die bis linendum, hoc triduo faciendum. Si vipera morsu sæuierit, ictus tumorẽ corpore toto mouet: oculi tumẽt, & cruore suffundũtur: cõuersio sedis exercet: genitale quoq; procidit: & frigus offunditur. Itaq; vini sextariũ faucibus ingerito, laurũ dato vorãdam, pulticulàm ve. vino & oleo baccisq; laurus coctis linito. sanguinẽ à ceruice mittito. deinde polemoniæ hęrbæ & aristolochiæ singulas semũcias adiecto vini sextario infundito. Si vipera morsum intulit, radicũ echij hęrbę & polemoniæ singulorum semũcia trita & vino cõmista per sinistrã narẽ demittitur.

Didymus ſerpentibus exigendis.

SERPENTES domicilijs aut cohortibus non oberrabunt,ſi artemiſiam aut abrotonum circa macerias ſeueris:ſed inibi deliteſcẽtes fugabis ſuffitu radicis lilij,aut cornus ceruini,aut vngulæ caprinæ. Peſtis hæc tota ſũmouebitur,ſi lachrymã papaueris,gith,galbanũ, ſulfur,pyrethrum,peucedanum,& vngulas capræ tũſas & redactas in farinã adiecto acri aceto digeſſeris in orbiculos,qui ſigillatim igni flagrãtes nidorẽ eructent. Tradunt aliqui punicæ mali termites admotos ſic ſerpentibus aduerſari,vt ſtibadia toros & ategias hac peſtilenti lue putent vindicari.

Democritus ſcriptum reliquit,ibim maximam vim ſerpentiũ conficere, ignauaſq; non poſſe moueri penna duntaxat alitis huius ſuperiecta. Refert eaſdem emori quærna frõde contactas. item ſi ieiuna hominis ſaliua in rictũ oris inſpuatur. Apuleius eſt author angues obtorpeſcere,qui ſemel arũdine feriãtur:ſin ſæpius,latebris tandẽ recipientes ſeſe recolligere. Si tamen quis ſiniſtra manu deprehendat caudam,haud ægrè eliciet:dextra capti renuunt extrahi. Tarantinus aſſeuerat ſerpẽtibus non afflari,qui dracunculi hęrbæ ſucco deliniũtur. arceri quoq; ſucco radicis,vel ſemine perlito. Sed ne ſolum quidem ſi quis ferat,ab eiſdem aſpirari:quinetiã ictos à ſerpente ſeruari cõtendit,qui roſæ radicem amuleti vice geſtet. Florentinus prodidit ſerpẽtes eo loci nõ adrepere,vbi ceruinus adeps,aut betonicę radix,aut gagates gemma,aut dictamnum habeãtur. Miluinum ſtercus,aut aquilinum adiecto ſtyrace ſuo graueolenti fumo ſerpẽtes exagitat. Si vipera momordit,præſens eſt remedium tenera fraxini cacumina terere,expreſſumq; ſuccum præbere potandum ex mero,ſi febre vacant: ea verò correptis,ex dilutiſſimo vino. Itemq; tritas eiuſdem arboris frondes læſæ parti ſuperponere. Si radicem veſicariæ,quam halicacabum vocãt,admoueas,ſopies aſpidem. Tribulum hęrbam in aqua tritam,aut ſolam ſi cauernulis ſerpentum indideris,abiges.

Si ſalſamentarius cadus,aut ſalgamariũ fictile cohortibus obruatur, tota ſerpentium caterua ſuis etiam latibulis euocata eo loci ſe conferet:tum tui fuerit muneris tuto vas obturans extra ſeptorum limites ignibus dicare.

Ceciliæ morſus tumorẽ ſuppurationemq; molitur. ſed eius ſanatur noxa ſubula ænea ſi locum læſum compungas,cretaq; cimolia ex aceto linas.

Diophanes abigendis ſcorpionibus.

SI CAPTVM ſcorpionem cõbuſſeris, reliqui omnes ab eo loco diffugient. Si quiſquã radicis ſucco ſuas exactè manus illiuerit,intrepidè & citra periculum ſcorpiones reliquoſq; ſerpẽtes deprehendet. Eadem radix admota ſcorpios confeſtim necat. Quinetiam & ictui ſcorpionis medeberis,ſi illatum parti vulnuſculum argenteo annulo ſigilles. Sandaraca cum galbano & butyro,vel adipe caprino

suffita & scorpios & serpentes omneis fugat. Cęterũ vbi quis oleo in quo scorpio tãtisper sit incoctus, dum distabescat, ictam partẽ perunxerit, omni cruciatu leuabitur. Apuleius est author, si quispiã percussus à scorpione, asinum in caudam conuersus ascendat: dolorem liberato sessore ad asinum transmeare: qui cum pedit, contractę iam labis argumentum est. Democritus asseuerat, si ictus quispiam à scorpione, statim verbo tenus asino dixerit, me scorpius icit: non sensurum molestiã, veneficio videlicet ad quadrupedem transeunte. Stellio & scorpius sic cęca naturarum discordia pugnãt, vt vbi quisquã stellionem in oleum coniectum resoluet in tabem, eoq; oleo partem ictam oblinet, liberabitur dolore. Idem Democritus addidit, rosę radicẽ torquis vice seu quouis modo gestatã, esse veneficij scorpionis amuletũ. Cęterum hoc sequens Plutarcho fertur acceptum. quoties coryli nucula pręsepibus adfixa cohęrebit, scorpius ad equilia non irrepet. Eadem si lecti pedibus colligetur, cubicula non subibit. Zoroastres asserit lactucę semen ex vino potum, ictis à scorpione mederi. Tradit Florentinus, si in recẽtem plagam ficulneum lac instillaueris, sisti venenum, nec postmodum penitius serpere. Porrò noxã percussus non cõtrahit, cum scyllę bulbus estur, qui tum saporem dulcem resipiet. Tarantinus est author sideritim hęrbam tenentem viuos ita domare scorpiones, vt ne ab ipsis quidem vllo pacto lędi posse contendat.

Apsyrtus ad morsum muris aranei.

MVS araneus si morsum infixit, locus tumore duro cingitur, gemitus animal exprimit, sed parum interpellat. Remedio est locũ lęsum aculeo compungi, brassica trita cum aceto illini, allijs item ex aceto tritis. fertur terra quę eruitur ex orbita aceto subacta, illitu auxilio fore. Si vero ventrem ferens asina ab araneo mure feriatur, interitus periculum subest. accedit ergo febris, cibi fastidium, inediaq;. cui cyclamini cremati cinis aceto mistus efficax est. collo appẽsus ipse etiam mus araneus, sui veneficij amuletum est.

HIEROCLES.

SI MVS araneus morsum impressit, intumescit animal totum, oculiq; collachrymant, & exsaniat tumor, ac virus à ventre destillat, pabulum respuit. Locum igitur lęsum subula compungas, puluereq; qui in orbitis sub vestigio rosarum inuenitur, acri aceto perfuso linas. Aliqui, quibus Tarãtinus astipulatur, tradunt allia tusa esse imponẽda, suffiendumq; cornu ceruinũ, vt huius nidore pestis hęc summoueatur. Apsyrtus vero melius esse putauit si lęsa pars vratur simul atq; dentium iniuriam sensit. Stratonicus scarificandum vulnus consulit, pręsertim

quod inflammatione cingitur, & sale & aceto conspergi, postero die equum per aquam dulcem in cursum concitari, cretaq; cimolia aceto subacta lini, vulnus balnearum strigmentis nutriri, sic dari sanitatem. Si quod animal à mure araneo demorsum est, triti gith acetabulum in vino odorato per nares indidisse proderit, plagamq; canino stercore lini. quod idem hominibus salutare est.

HIPPOCRATES.

ACCIDIT equum in stabulo sæpius impeti morsu. cum enim decubuit ipse, sensim ad ilia mus araneus irrepit, qui interdū equi motu lacessitus, subiectæ parti vulnus imprimit: tumorq; ostendit iniuriā dētium. Cui ita subuenies. Triti gith acetabulum ex vino infundes: tritas allij spicas, salem, & cuminum, paribus singulorum mēsuris vino mistis illines. aut terram orbitæ vrina subactam, aut intritum murem araneum cum sextario vini faucibus infundes. Sin murem araneum non inueneris, creta figulari perlines. apij etiam semen coctum in vino & oleo demittes, ac tumentem locum scalpello disscindes, quò virus euocetur, & vellicatū punctim vulnus recrudescat. Si per hæc inflammatio magis excandescat, in orbem teretibus ferramentis igni flagrantibus exulcerabis, sanæ partis aliquid deprehendens. rectis quoq; ferramentis, quò sanies emanet, redulcerabis. Quod si pars ea per exulceratione̅ intumescat, hordeum crematum tritumq; consperges. sed antea vetustam adipem inungere cōuenit. Vlcus non excitabitur, nisi prægnans mus araneus morsum attulerit.

PELAGONIVS.

MVS araneus perniciē quam intulit, suo corpore luit. nam animal ipsum oleo mersum necatur, & cū imputruit, cōteritur, eoq; medicamine morsus muris aranei linitur. sic illius sanatur noxa. vel si nō adest, tumorq; ostendit iniuriā dentiū, cuminū conteritur, eiq; adijcitur exiguū picis liquidæ & axungiæ, vt lentorē malagmatis habeat. id impositū perniciem cōmouet. Vel si antequā tumor discutiatur, in suppuratione̅ conuertitur, optimū est ignea lamina cutem summā resecare, & quicquid vitiosi est inurere, atq; ita liquida pice cum oleo linire. Solet etiā ipsum animal viuū creta figulari circūdari. quæ cum siccata est, collo veterinorū suspenditur. ea res innoxium pecus à morsu muris aranei præbet, & ab hac peste vindicat. Mus araneus pro sua corporis magnitudine vehemētes morsus infigit. qui quāto fuerit exilior, tanto celerius vulnusculū dentibus infert. sed id facilius medicamentis expugnatur. deterrimam omniū pestem prægnans suo dente molitur. Sed iniuriæ discrimen, tumoris moles ostēdit. Auxilium adferre ad hunc modum oportet. trito allio cum nitro, vel si non adest, sale cumi-

noctq́ partem ictam defricare. Sed cum rupta iam inflammatione tumor in vulnus degenerauit, tum munde perlui debet, crematiq́ hordei cinere conspergi. nec aliud quicquam est tentandum. Nanq́ cæterorum auxiliorum vsu magis atque magis gliscit vulneris iniuria. dandaq́ sorbitio ex anetho, triticea farina, & vini sextario constans, cui cedrini liquoris momẽtum fuerit adiectum.

Hierocles ad ictus pastinacæ.

Si marina pastinaca percussit equum, graue periculũ adfertur. Centaurium igitur oportet admouere, ruentisq́ sanguinis impetum infrenare, per os pastinacæ iecur infundere, tritum in hemina vini.

De morsis à rabioso cane.

Canis in rabiem efferatus si quẽpiam momordit, caprini fimi, salsamẽti veteris, ebuli, singulorum selibram, iuglandis nuces quadraginta, simul omnia conteres, & loco cui dentem impegit, admouebis.

Apsyrti de hirudinibus, Cap. LXXXVIII.

APSYRTVS Bedio Decurioni salutem. Te certiorem facere volui, quòd cum armenta ad bibendum appelluntur, maxime obseruare conuenit si quæ vadis hirudines sidunt. siquidem haustu raptæ, subq́ lingua & labijs implicitæ figuntur. quod minorem noxam infert. nam inclinantes equum, eas citra negotium eximunt. cum vero altius descenderunt, exugentes animal extenuant. si complures hæserint, maturius in mortem præcipitãt. Cum igitur ad præsepia se receperint, oleũ corniculo suffundendum, cuius contactu confestim decidunt.

HIEROCLES.

HIRVDINES, cum bibendi potestas datur, in os irrepere cõsueuerunt. quas aperto ore conuenit extrahere. Si plures raptim haustæ fauces obsideant, pericula minantur. tum igitur infundere aquam & oleũ opus est, easq́ sic excutere. Sunt qui salem consulant infriari. Alij aristolochiæ crassioris radice in aceto quàm acerrimo trita, ita vt mellis crassitudinem referat, affuso oleo locũ vbi insidunt, affricant, lingua pecudis extrorsum deprõpta. Sed cõuenit eos qui gregibus præficiũtur, pecudumq́ magistros, aquis attendere, obseruantes si quæ illic hirudines delitescant, ne sub lingua labris ve bibẽtium equorũ inuolutæ cohærescant. Quòd si in ore suffigi sentiuntur, equum inclinare necessum est, & adhærentes euellere.

Remedia ad hauſtam hirudinem. Pelagonius.

MAGNAM etiam perniciem ſæpe adfert hirudo hauſta cum aqua. ea adhærens faucibus ſanguinem ducit, & incremẽto ſuo trãſitũ cibis præcludit. Si tam difficili loco eſt, vt manu detrahi nõ poſſit, fiſtulam vel arundinem inſerito, & ita calidum oleum vino miſtum infundito. Nam eo contactu animal confeſtim decidit. Poteſt etiam per fiſtulam deuſti cimicis nidor immitti: qui vbi ſuperponitur igni, fimum eijciet. conceptum nidorem fiſtula vſq; ad hirudinem perfert, iſq; nidor depellit hærentem. Sunt qui in naribus cimices enecent. ſic enim hirudo caduca confeſtim exanimatur. quod remedium bubus cæteriſq; pecudibus prodeſſe tradunt.

Anatolius hauſtis hirudinibus.

EA SI adhæreat (magnum ſæpe periculum adfert hirudo rapta cum aqua) ficulnea frõde aut aſpero panno deturbanda eſt. Si faucibus vna vel plures implicitæ figantur, aut ſtomachũ vel inteſtinũ teneãt, animantem exugunt, & ducentes ſanguinem, ad maciẽ illico perducũt. Quibus non proſunt quæ fundũtur auxilia. ſiquidem pecus in perniciẽ agitur. Id vnum nobis præſens videtur remedium, oleum in fauces inſtillare. nam eo contactu depelluntur hirudines, & confeſtim necantur. quæ ſi ſolum adfiguntur ori, tritos in manu quinq; cimices adglutinaſſe ſatis eſt. ſic protinus decidũt. Si faucibus adhæreãt, cimices ſuperponũtur igni, vt fumũ emittant. conceptus deuſtorum nidor per corniculum vſq; ad hirudinẽ delatus depellit hærẽtem. Si tamen equus vel aliud iumentum hirudinem deuorauit, aut ad nares conſcẽdens irrepſit, ſanguis eo loco ruens manabit. tũ ſalem & oleum inſpirabis, omnẽſq; forfice reuelles, aut adolebis candente ferramento: dein vſtum panem minute tritum vini rorabis imbre, & vbi in cataplaſmatis lentorem coierit, illines.

Apſyrtus ſi ad præſepia gallina prorepat. Cap. LXXXIX.

SI AD præſepia gallina perrepat, nonnunquam intus parit. nam quod aluo liquidum excidit, immiſtum pabulo ſi deuorarit equus, negotium exhibet, adfertq; periculum: cuius ſignum eſt. tenuis mucoſaq; ventris proluuies exit. Remedium eſt gallinaceum ſtercus candidum cum adipis drachma, additis octo polentæ ſextarijs, ex vino ſubigere, & in offas cogi, quæ dãtur vorandæ: ſed vinum auſterum nigrumq; debet eſſe. Si gallinarum ſtercus eſitauit equus, ſeminis apij cyathos quinq; cum vini ſextario & hemina mellis infundito. ſed exerceatur ambulatione, dum motus aluum cieat. Si vero quis horror accedat, piliq; ſubrigantur, bac

carum lauri modũ qui tibi faciet satis, ac nitri selibram, aceti oleiq; singulos sextarios miscebis. calido loco, ad quem nullum frigus aspiret, per triduum illines: vel syluestris fici folia contusa totidem diebus ex egelida præbebis.

HIEROCLES.

GALLINIS, cum in præsepibus oua ponũt, sæpius accidit inibi fimum reddere: quod non paruum equo deuoranti periculum adfert. Ea res deprehẽditur, si mucosa vẽtris proluuies effluat. Stercus itaq; quod durum figuratumq; candicat, adipisq; pondus denarij, polentæ modus qui octo sextarios impleat, simul in vino subiguntur, & in offas formantur, quæ faucibus impingantur. sed vinum sit nigrum, & austerum.

Apsyrtus de syluestri brassica.

EQVIS qui syluestrem brassicam cum fœno vel reliquo cibatu depasti sunt, hoc subuenitur remedio. satiua brassica tunditur, & infuso lacte succus hinc elicitur: qui extracta lingua per os ingeritur. aut aqua immista brassicæ, aut fici in aqua coctæ eidem decocto miscentur. Fertur cancros marinos detritos succo brassicæ permistos opitulari: sed triduo prębeãtur, donec aluo pabulũ deijciat. Sed ijs notis deprehẽditur deuorasse, quod is cibus corpus infirmat, & posteriora resoluit, sic vt progredi nõ possit, sed nutãs cõcidit, ac rursum excitatur, quousq; brassicã excreuerit.

HIEROCLES.

EST etiam grauis pernicies syluestris brassicæ: quam si cum fœno depastus est equus, vires carpuntur, posteriora sic contrahuntur, vt ne pedibus quidem niti possit: labatq; corpus, donec brassicam per aluum exegerit. Oportet itaq; satiuam brassicam tunsam affuso lacte ex vino odorato colare, & per os infundere, aut ficos coctas brassicæ iuri adijcere, & item inserere: aut marinos cancros detritos brassicæ succo miscere, & bis die fundere, donec aluus reddiderit.

Hierocles de aconito. Cap. XC.

SI ACONITVM, quod myophonon vocãt, mãdit equus, velut vertigine correptus concidit, corpusq; totũ resoluitur. tum venã in tẽporibus solues, atq; semen apij syluestris aut satiui ex vino fundes, aut rutã tunsam cui vetus vinũ sit affusum, ingeres.

Hierocles de cicuta. Cap. XCI.

SI CICVTAM equus degustauit, caput sopore degrauatur, ita vt in parietes illapsus titubet. Cui sanguis à ceruice mittẽdus, sesquihemina vini veteris impingenda. quod si semel & iterum factum est, sanitati dabitur.

Hierocles de erucis. Cap. XCII.

SI SVPER erucas equi sese volutēt, aut arbori eisdem scatēti se scabant, adfricent'q;, statim vibices assurgunt. tumet cutis, & occallescit. item oculi cauātur. Oportet igitur aceti quàm acerrimi selibram cum atramenti sutorij quadrante conterere, ijs corpus illinere. sed cauendum est ne quippiam huius in oculos delabatur.

Apsyrti ad hirsutos equos remedia, Cap. XCIII.

SI CORPVS equi pilis horret, cicera candida instar semodij macerātur, additis vuarum passarum paribus modis: triginta'q; diebus cum hordeo præbentur. ea nanq; horridum villis tergus leuigant. Verū equus vberiore hordeo firmandus: eo'q; præstabitur vt ad planitiem pili redigantur.

Hierocles ad eadem.

SI CORPVS equi pilis hirsutum riget, opus est cicera candida quæ semodium impleant, madefacta, parem'q; vuarum passarū mēsuram cum hordeo triginta diebus ministrare. ea subigēt pilos, & ad æquum læuorem reducēt. Cæterum cum sanguis fuerit missus, eo qui defluxit, totū corpus illinamus, per triduum'q; cohærere patiamur, die tertio pectine cruor reuellatur, pili'q; coēuntes explicentur. ita depexi læuorem conciliabunt. Quidam acri muria hordeum fœnum'q; conspergunt, eo'q; cibatu vitium discuti promittunt.

De pediculosis animalibus, Cap. XCIIII.

SI SYLVESTRES pediculos necare velis, primū si interna hisce scateāt, sandaracæ liquorem instar heminarum duarum infudisse satis est. Si exteriora ijs pedibus obsita sint, eiusdē sandaracæ quod satis esse videbitur, ex oleo linas, aut fracibus calidi olei in sole perungas. hoc vnguine contacti pediculi decident.

Apsyrti de dentitione, Cap. XCV.

APSYRTVS Menecrati Clazomenio salutem. Te scire velim, in equis & cæteris animantibus quæ vngulas indiuisas habēt, quod ad dentium exortus & ætatē pertinet, cognoscendi hanc esse rationē. Cū pullus anniculus & sex mensium est, primum dentes medios, quos sectores appellāt, amittit, duos superiores, & totidem inferiores, qui facilè principes & maiores habentur. Vbi quartum agere annum cœperit, semestri spatio proximos abijcit: nec multo post in eodem quadrimatu su-

periorem vnum, & inferiorem alterum vtrinque proijcit: quo tempore caninos edit: eosque sequutis duodecim mensibus complet. intra sextum deinde annum molares superiores cadũt. Sexto anno quos primum mutauit, exæquat. à septimo ad octauũ omnes explet æqualiter. ij maiores qui sunt, intelligi negãt posse: præterquã cum dentes sunt facti brochi, & supercilia caua, & sub ea lacunæ, ex obseruatu dicũt eum equum habere annos sedecim. Ab cõplemento viribus pollet equus annos octo, qui molli cõstitit pede: sed qui duriore nititur, decem: quoniam si vehementiore motu concitaueris, post hoc tẽpus male valebit, impatiẽs itinerum: nec par erit labori. Nam in prioribus pedibus coronæ & suffragines, quas mesocynia nominant, à malleolis dimittuntur, nec ingredi postea, nec pedibus insistere valet, seque ipse proijcit. A primo lucis rudimento ad senium solido pede fultus, octo & viginti annos, vel vndetriginta viuit, nec facilè trigesimum implet. porrò molli pede præditus, quatuor & viginti annos degit. Sũt qui editis primis dentibus interiecto octimestri spatio secũdos proferant, & emittentes vltimos pari mora dentitionem interpellant. Cæterum tempora prima ne vllus quidem eorum qui primores amittit dentes, pertransit, neque linquitur. Verum non omnes sors eadem manet, nec simile tẽpus obseruatur. Porrò secundi primos anticipant, vltimique secundos præoccupant. Exploratum habemus eos qui primorum iacturam faciunt, eodem tempore columellares, anterius vnum superiorem, & inferiorem alterum emittere: vtrinque primores cum suis agnatis mutare. A complemento cum reliquũ trimatum agũt, dens dissilit, ruptusque rotundatur, & in triangularẽ figuram exit: quo tempore defluxio in ora veterinorum decumbit. Habet autem equus in anteriori parte superiores octo, & totidem inferiores, cum caninis, molares in maxilla superiore senos, & inferiores totidem, & in altera inferiore nõ pauciores. Itaque præter agnatos quadraginta dẽtes equus possidet. Asinus mulusque sex & triginta cum annexis.

De notis annorum, Pelagonius.

AETAS cognoscitur equorum, & ferè omnium qui vngulas habent solidas, atque etiam cornutarum, quòd equus triginta mensium primum dentes medios dicitur amittere, duos superiores, & totidem inferiores. Incipientes quartum agere annum, itidem eijciũt, & totidem proximos eorum quos amiserunt: & incipiunt nasci quos vocant columellares. Quinto anno incipiente item eodem modo amittere binos, quos caninos habent: tum renascentes eis sexto anno impleri. Septimo omnes habere solent renatos, & completos. Sic igitur annorum notæ cum corpore mutantur. Nam cum bimus est & sex mensium, medij dentes superiores & inferiores cadunt. Sexto anno quos primos mutauit, exæquat.

Septimo omnes explentur æqualiter,& ex eo cauatos gerit:nec postea quot annorum sit,manifestò comprehendi potest. Decimo tamen anno tempore cauari incipiunt, & supercilia nonnunquam canescere,& dentes prominere. Hæc quæ ad equorum ætatem pertinent, dixisse satis habeo. Nunc sequitur curam recte si labant dentes,vel minus valent,demonstrare. Tiberius aduersus dentes defluxionibus opportunos repellens adhibebat medicamentũ,quod & hominibus quoq; prodesse pollicetur. Recipit autẽ pulegij siccati,iris illyricæ,fossitij salis torrefacti,singulorum vnciam, ossis sepiæ cremati duellam,testæ buccini combusti quadrãtem,piperis & myrrhæ singulorum scrupulum. Habetur & medicamentũ quod adstrictione sua dentẽ iam editum,ne labet,sesquiannum firmet. cõtinet turionum rubi,acerbæ gallæ,singulorum quadrantem,punici mali,scissilis aluminis,sory,æruginis, mysi,singulorum vnciam,acanthij Alexandrini quadrantem.ea teruntur,& aceto excepta superponuntur.

Apsyrtus de ratione vrendi. Cap. XCVI.

APSYRTVS Ruffo Octauio salutem. Cum medicinæ veterinariæ vsquequaq; tuum naues studium, meq; de ea parte consulueris quæ ad vrẽdi modum pertinet,morẽ tibi gerere volui, simul vt & tam peritis q̃ rudibus res haberetur explorata. Si febris equum male habet,in capite à capronis vtrinq; conuenit oblongas rudes igni candentes clauosq; in virgas conformatos admouere, secundũ iubam alterno vtiq; rudicularũ virgatorumq; clauorũ applicitu,qui ad originẽ armorũ pertineant. Nãq; si princeps rectrixq; facultas corporis inuicta supersit, nec vitio occupata cedat:animal in perniciẽ non agetur. Si scapulis obstipi colla cõnectũt, aut ceruicem rectam & immobilẽ intendunt,illos græci opisthotonicos,hos tetanicos appellant:easdẽ vrẽdi rationes sequi oportebit. sic vitium auertetur,in contrariã sedem abstractum. Si renes negotium exhibent,iuxta clunium & vesicæ cõpagem clauis rectis aduremus,qui quatuor & viginti non debẽt excedere,ita vt eius numeri dimidiũ in spina vtrinq; triplici versu imprimatur,intercapedine quaternûm digitorũ intercedẽte. Quũ per foramina fertur humor glutinosus:id vlceris genus, quod manãtibus lacunis exasperatur, paraprisma veterinarij græca voce nominant, iuxta poplitem candenti ferramento,si recens adhuc & molle sit,exulceramus. Quòd si callum iam cõtraxit,aut in tophaceã duritiẽ coaluit,tum inibi nullus vstioni locus est:verũ talos & genua per summa vitij cancellatim vel decussatim aduremus,quòd is locus glaber sit,& neruis scateat. Cæterũ quoties factis itineribus,aut oneribus gestatis,in genua defluxio decubuerit,aut offensis patens dolere cœperit, lõgoq; temporis interuallo claudicauerit,vel labans,aut via

lubrica concidens, ossium diuortia fecerit, aut calces sarcinis onustus, aut laboribus itinerum confectus læserit, & ob dolorem nerui arteriæq; in eis intumuerint, sic vt hac ratione tali inflammationibus occupentur, vstionem inibi tētare oportebit. Si defluxio calces collectionibus obsidet, quas à faui similitudine meliceridas, aut paraprismata, aut quòd per foramina aquosus feratur humor, hydatidas nominant, vel ad genua profusio decumbat, ignem experiri non licebit. Simili modo cōmittendum non est vt luxata in pedibus vstionem sentiant. Siquidem adfixis candentibus ferramentis supra coronam, aut vngulæ originem, obstructio modioli sequitur. quare non parum errare mihi videntur qui hoc vstionis genus moliuntur: quippe cum non alia possit vngula descendere, indeq; claudicatio cōcitetur. At vero cum tubercula prosiliunt, quæ Romano sermone falcinina nominātur (sunt autem exeuntes membratim abscessus furunculis nō dissimiles, & aliquāto maiores, qui ventriculum suum in pus vertentes aperiuntur, & sponte sua maturescentes erumpunt) ea vstionem nosse non expedit: cùm articulariæ luis, quam malidem vocauimus, quædam emergens profusio sit, quam foras oportet euocari. Si vero hæ collectiones amburantur, necessum erit exituum spiracula, quibus illuuies euadit, in angustiam contrahi, atque cum ad alias corporis sedes, tum maximè ad articulos se conferre, inibiq; & claudicatus & tumores creare. horum tamen curatio non negligi debet, sed calida foueri, aut medicamento perlini, quam vocant liparam. Adustorum sanandi ratio hæc est. Primo quoque die pinnis tenui sale & oleo intinctis vlcerum igni factorum puluini proluuntur. Consequentibus vero diebus ad septimum vsq; puerili strigmento perfunduntur: vt quæ ex igni occalluerunt crustæ, decidant: deinde vetere vino calida diluto detergentur. Postquam elutum vlcus fuerit, vinum & oleum instillantur, erui farina inspergitur. sequentibus quotidie bis calda vtendum. farina similiter ingerenda. Si verò strigmentum defuerit, tali medicaminum mistura pugnandum. ceram, picem liquidam, salem, & oleum, vnà cōterere oportet, & pinnis hoc vnguine delibutis illinere. Eis autem quos renum dolor excruciat, nephriticos dicunt, si septimo die illitus officio crustæ non exciderint, scire licet in interaneis fractum aliquid dissiliuisse. quare superesse non possunt. aliquandiu tamen trahent supplicia vitæ. Tempus vernum & æstiuum adurendis conuenientissimum.

Theomnestus de adurentibus.

MELICERIDES fauiq; cruribus postremis nonnunquam nascuntur. Sed qui desiderent vstionem, vel etiam auersentur, nunc est dicendum. Ignem postulant qui recenter cōcepti sunt,

Si vero iam in ijs tumor occalluerit, ſcarificatu ſanguinē elicimus. Malleolis, genibus, lociſq; proxime neruos ſitis parcemus, internis prorſus abſtinebimus. nanq; nerui qui ignem ſunt experti, claudicationem adferūt. Cæterum cum curſitationibus aut itinere genua in rugas contrahuntur, aut occurſu noxio curueſcunt, ſi dolorem tactu fateantur cum diutius claudicarint: aut cum iter faciunt, forte fortuna prolabuntur: tergorē tenus candentibus ferramentis exulceramus. Sæpe veterinorum calces vel ſarcinis vel itineribus grauati, dolores concipiunt. inde conſequitur, vt nerui laborent, & arteriæ tumeſcant magis quàm per naturam liceat, calcéſque progreſſu temporis diſtenti turgeant. ea vocant animalia, quòd tumor talos ambiat, paraſphyra. Hæc parcius ſunt rectis ferramentis candentibus adurenda. Si defluxiones in genua vel calces irruunt, meliceridas pariunt, quas & hydatidas aliqui nominãt. hæ candens ferrum reſpuunt. Nec ſecus luxa. etenim iactura fiet vngulæ quæ fuerit ignem experta, nec decidua poſtmodum renaſcetur. reddetur hinc animal ad obeundum opus inutile. Si corpore toto collectiones erumpant ſimiles furunculis, hæ non ſunt adurendæ, quoniam malidis quædam exundans refuſio ſit: quæ cãdentibus medicamentis coërcita, introrſum conuertitur, animaliq; negotium faceſſit. Poſtremo quæ articulis inſident vlcera glutinoſo humore manantia, vſtionem aſpernantur. Veruntamen cruſtæ quas adurentia crearunt, calida foueantur dum emolleſcant, & lipara linantur. Aduſta primo die pennis ſale minutim trito & oleo imbutis inducantur. Sequutis diebus medicamēto illini debent, quod conſtat cera, liquida pice, ſuilla adipe, ſale & oleo, ita temperatis, vt ſtrigmēti craſſitudinem referant. vbi poſt dies ſeptem exciderunt cruſtæ, calido oleo aqua diluto bis die perfundantur. Erui farina infrietur, poſtridie calida bis eluantur. Quin & medicamento quod adipe coactum eſt, vti ante retulimus vtendum. Qui ob renū dolorem in coxarum vertibulo vel clunibus vſtionem ſenſerunt, ſi non infra ſeptimum diem cruſtas excuſſerint, eos haberi deploratos, ægreq; ſeruari poſſe certum eſt, quòd interaneorum aliquid ruptum dehiſcat, aut renes ipſi conuellantur. Medicamentum temperatur quod inductum parti comburendi facultatem ſortitur. Gleba calcis viuæ & fecis vini crematæ par modus, lixiuio iuncis aut fabarum ſcapis aut oliuarum oſſibus facto ſubiguntur: ſed eo recenti vtendum eſt. Hoc idem præſtat capparis recens trita ſi ſuperponatur. Telephij folia trita & ficulneo lacte & aceto rigata linuntur. Quinetiam calcis viuæ denarij pondus, ſpumæ nitri quadrans, fecis aceti crematæ quod ſicilicum pendit, coquuntur in acri lixiuio, & cum vſus poſtulat adhibentur. Cæterum cum in artubus alijs've locis tumores aut duritiæ, melicerideſ've, ictu, vel ſponte, vel alia quauis cauſa concitantur, ea erit curandi ratio. Bituminis pondo ſta-

terum octo,quod est trientale pondus,resinæ,picis aridæ,singulorum pondo staterum quatuor,hoc est sextantale,ceræ pondo staterũ sex,hoc est quadrantale,galbani,calcis, singulorum pondo stateris vnius,id est semunciæ: omnia simul inferuescunt vsque dum possit manus tolerare, & ita linuntur. Aliud vrens habetur medicamentum,quod etiam neruorum labores lassitudinésque reficit. Galbani,styracis,bdellij,pollinis thuris,picis brutiæ, bituminis,pares singulorum portiones assumuntur,siccáque trita liquidis commiscentur. Aliqui auripigmenti vnciam,viuæ calcis semunciam,sigillatim terunt,& commista linunt. Aliud ad idem præstandum efficax. Resina colophoniaca,bitumen iudaicum,sulfur viuum,pix noua ceráque ponderibus æquis cum hircino adipe decoquuntur. Est & aliud quod non parum vlceribus opitulatur. atramenti sutorij siciliquus, scissilis aluminis, æruginis rasæ, singulorum semuncia, simul tunduntur,& quám acerrimo aceto albo detrita,æneo vase concoquuntur,dum semel efferbuerint: deinde reteruntur, adiectáque myrrhæ drachma reconduntur ad vsum. medicamentum hoc ex aceto linitur. Est & quod non dissimilem vrendi facultatem possidet. Recipit autem propolis sextantem, galbani vnciam,resinæ libram,bituminis, bdellij, singulorum quadrantem,picis brutiæ,ammoniaci, singulas libras.

Coxarijs & neruorum doloribus adurentia.

ADVERSVS COXENDICVM cruciatus vtendum diebus octo illitionibus: & si necessitas vrgeat, sanguis erit mittẽdus. Deinde remedium id adhibendum quod habet euphorbij, salis communis,singulorum trientem, picis liquidæ sextulam.ea simul incoquuntur. Aliud adurens medicamentum,quod ad Apsyrtum authorem refertur,coxarijs perquam vtile. Galbani, lachrymæ panacis, medullæ ceruinæ, terebinthinæ, ammoniaci,bdellij, propolis, crocomagmatis,aceti,picis tam aridæ quám liquidæ,bituminis iudaici,olei cyprini, spumæ resinæ quam vocant apophysema, quasi dixeris bullantem eius spiritum, taurini adipis,ceræ,singulorum binæ libræ misceantur. Aliud ad hoc efficax habetur. Chalcitis,axungiæ ouillæ,ceræ,singulorum libra vna, mellis,aloæ,rosarum,singulorum selibra,aceti sextarius vnus,simul temperantur. Pollet aduersus neruorum labores quod capit styracis duapondo,galbani,bdellij, propolis colophoniacæ, œsypi, ammoniaci thymiamatis, picis aridæ, baccarum lauri,singulas libras,bituminis,aceti,singulas selibras. Auxilio est & compositum medicamen adurens,quod habet ceræ libras quinque,

propolis atticæ,ammoniaci,ſingulorum libras quatuor, galbani librã vnã, picis brutiæ libras decem,ebiſci dupondium,reſinæ pini, reſinæ aridæ,ſingulorum libras quatuor,ſtyracis libras duas,bdellij libras quatuor,medullæ cerui libram,adipis taurini ſelibram,lachrymæ papaueris ſextãtem,ſulfuris viui libras duodecim,mellis heminas duas,vini veteris ſextarios duos,chamæmeli *triti* vnciam. hæc ſimul teruntur,vt in vnitatem coëant,dein æneo vaſe medicamentũ reconditur. Prodeſt aduerſus recentia vlcera Hieroclis vnguentũ vim vrendi præbens. Recipit autẽ reſinæ nauibus deraſæ,item & aridæ,bituminis iudaici,picis,ceræ,viſci,ſingulorũ librã,ammoniaci ſelibrã, thuris trientem,galbani,ſucci panacis,ſingulorum ſextantẽ. vbi quæ liquari queũt,reſoluta fuerint, panacis ſuccus antea tritus in trullam demittetur,& reliqua ſimul rude verſabuntur antè quàm linantur. quòd ſi medicamẽtum iam duratũ coijt,axungiæ veteris reſolutæ,& ammoniaci quod ſatis fuerit, admiſcebitur. Si viſcũ medicamẽto detrahatur,longe magis valebit. Quòd ſi poſtquam vſtionem attulerit, non reſoluitur,picis nauibus eraſæ ſelibrà adijcienda erit,poſtea medicamen illinendum. Sin nõ inueniatur deraſa nauibus reſina,lanuginis vetuſtæ,quam anthelen vocant,triens adijcietur. vnguentum hoc adurendi vim optimam repræſentat. Amburitur etiam pars vnguine delibuta ſequenti,quod continet bituminis iudaici,fiſſi aluminis, ſingulorum ſelibram,axungiæ veteris libram,argenti ſpumæ quadrantem, galbani,lachrymæ panacis,ſingulorum vnciam,aceti ſcyllini ſextarium,olei heminam: quæ ſimul miſcentur dum in vnũ corpus coaleſcant. Medicamen quod Pelagonio authori nuncupatur,capit argẽti ſpumæ librã,ammoniaci quadrantem,ſquamæ cypriæ,reſinæ areſactæ,cæruſæ,ſingulorum ſelibram, ceræ libram,æris cremati quadrantẽ,olei ſextarium vnum. Eſt & aliud vrẽs medicamẽtum quod armis peculiariter & coxendicibus auxiliatur. galbani ſelibra,ammoniaci,bituminis,ſingulorũ *triẽs*,picis brutiæ ſcrupula quinq;, abſinthij ſextans,bdellij,ſeminis papaueris,propolis,farinæ thuris,baccarũ lauri,reſinæ colophoniacæ,ſingulorum ſextãs,dictamni,reſinæ gaſtricæ,ſinguli quincunces,ceræ dupondo,omnia promiſcue ſubiguntur,vt in vnum coëant. Eſt & aliud nõ inefficax quod habet ceræ,bituminis,reſinæ terebinthinæ,ſingulorum pondo libram,ammoniaci põdo ſelibram,bdellij,œſypi, ſingulorum pondo vnciam,galbani,ſtyracis,ſingulorum pondo quadrantẽ, mannæ thuris pondo vnciam,ſciſſilis aluminis pondo quadrantem, aceti pondo trientem,olei iuglandibus expreſſi,quod caryinon nominãt,olei veteris,nitri,ſingulorum pondo vnciam, piperis,viſci,propolis , ſingulorum pondo dextantem,petroſelini pondo vnciam. Confert & idem officij medicamentum quod cõſtat ceræ libra,ſiccatæ reſinæ ſelibra,ammoniaci triẽte,

pineæ nucis quadrante, bdellij vncia, bituminis iudaici vncijs senis, vini cyathis tribus. Nec parum auxilij adfert ijs quæ postulant adustionem, medicamentum quod sequitur, aceti scyllini, aridæ resinæ, singulorũ sextarius, sinopidis sextans, pollinis farinæ sextarij italici dimidium, acetum ex pice concalescit, & vbi abunde pix efferbuerit, reliqua adijciuntur, & inclinato calore linũtur, deinde tusa cannabis in ellychnia turundás ve digeritur, quæ superponantur, locúsq; fascijs vincitur. Alia adurentis medicamenti ratio: Beta in aqua discoquitur, succus decocti cum nitro & hemina olei miscetur, vt adurendi facultatem sibi vendicet.

Apsyrtus quomodo veterina conueniat farragine recreari.

APSYRTVS Orioni Marcello salutem. Literis quas ad me dedisti, rogas quanã ratione equis oporteat farraginẽ ministrari. Est autem id genus pabuli seges viridis dissecta antequam gerat siliquas. Ea equi & iumenta verno tẽpore purgantur, ac saginantur: quippe cum sit maximè necessaria, primáq; equino pecori curatio. Vbi equum priuatim locauerimus, farraginem dabimus, nec patiemur alium vllum cibum degustare. maximè probatur triticea. sin desit, hordeacea farrago præbenda est. eadem diebus quinq; danda, inde iam diebus decẽ alijs obijciẽda. Longe melius cedet si iuxta mare sata farrago fuerit. qua cõditione si non possit inueniri, ea quæ pręsens apud nos erit, vtemur. in dies sextarium vnum hordei priori modo adiecisse satis est, quoad ventum erit ad constitutum modum: in quo morabimur, viride fœnũ, quãdiu suppetit, sine intermissione dantes. A primis quinq; diebus equum ad aquas prodigemus, totúmque sic vndis proluemus, vt natandi detur potestas. dein omni destricta cutis illuuie, oleũ & vinum oportet inspirare, & manibus pressis terga secundo pilo subigere, dum insidens humor prorsus abstergeatur. reliquis diebus, vt paulo ante scripsimus, hordeũ vnà cum farragine dandum erit. Quòd si per calamitatẽ fuerit farraginis penuria maior, quàm vt decẽ diebus possit offerri, decẽ illis diebus quinq; tãtum dedisse satis erit. dies tamen qui mensem finiunt, huic negotio destinabimus, ita vt quinq; dies illos ad tricesimũ vsq; diem supputemus, & à calendis reliquos hordearij pabuli dies auspicemur, id obijcientes ad decimũ vsq; inchoati mensis. Veruntamen antequã farraginem præbęamus, sanguinem mitti necessum est, sectis in pectore venis, sauciatísq; palati toris, vt qui præfuerat sanguis vnà cum sanie, à solidis suffundatur, nouúsque inanitas impleat venas, & in palatum feratur. hac ratione viuendi firmatus equus, non facilè aduersis valetudinibus patebit, & obeundis par erit laboribus. Cæterum equo qui viridi pascitur hęrba, salem præberi perquam vtile fuerit, ne os manãtibus vlcusculis, quæ veterinarij sigriases, non-

nulli aphthas vocāt,obsideatur. Non est cōmittendum vt equus qui malide iam implicatur,sub dio pascat. nam facilè lues hæc tergus subtercurrit,& scabiem creat,ex qua flagrante solis æstu furor vel insania cōcipitur. Oportet ergo clausum intra tecta cōtinere,& ita cibum obijci. Porrò longe optimum antè fuerit alui deiectionem moliri dato cucumere & nitro,quàm viridi segete genus equinum exhilaretur.

Hierocles de farragine.

INCIDI equidem aliàs in probatissimū Dioclis cōmentarium, quod de salubribus præceptis inscriptū,cuidam regi,& vt arbitror Antigono,nūcupauit:quibus qui fuerit vsus,perpulchrè nomen ac famam aucupabitur. Operæpretiū ergo fuerit enarrare quonā pacto verno tempore farragine,quam grastim Græci nomināt,oporteat equos roborari, obiecta viridi segetū herba. Nanque rectum pascendi genus sequuti vix erūt morbis opportuni,qui robur ac vires infirmēt. Cum viridis pabuli tempus adpetit,dabis operam vt vno die syluestri fœno vescātur:postridie in nares medicamen inspirabis,quod cocci radice,iris folio,costo & pipere componitur:cōfestimque ad pascua diebus binis aut ternis emittas,vt rapto naribus medicamine,caput humi deflectētes omnē ei insidentem humorē excutiāt. vbi sic triduo pascitarint,in equile reducas. Syluestre fœnum quatriduo repræsentes. Quinetiam farraginem in primis triticeā: si desideretur,hordeaceam quinque diebus ministrabis:deinde sanguinem detrahes,& cum eo qui profluxit,nitrum & acetū additis ouis & oleo miscebis,ac totū animal oblines,& tātisper in sole cōtinebis,dum omnis illitio resiccetur. Farragine, vti ante diximus,maximè triticea:sin carueris,hordeacea quinque diebus vtitor:quibus exactis stabulo educens equum lauabis,& stragulis deterges,vt omnis exhauriatur humor,& spurcitia radatur. dein vbi equili se receperit, triduo farraginē obijcies:& si fieri possit,cōplurimū diebus quatuordecim. sed ne paucioribus quidem quàm septē,vel nouē,quò præpinguis & obesus eniteat. Porrò salē equo qui viridi pabulo recreatur,exhibere cōmodum est, quo minus manātia oris vlcera,quas appellant aphthas,innascātur. quapropter aliqui prodiderūt longe meliorē esse farraginē quę maritimis tractibus sata prouenerit. Quòd si malide corripiatur equus:quo tempore luem hanc experitur,sub diuo pascuæ nō credatur. Facilè enim tergus vitium subiens percurrit. quod nonnunquam cum æstus incōmodis expositū est animal,in insaniam præcipitat. oportet itaque farraginē intra tecta conferre,ventremque antea purgatione solicitare dato cucumere & nitro. Hic Hierocles sui voluminis finem fecit,auxilia tamen permulta subiunxit,vt omnibus liceat nosse quibus & qualiter singula componantur.

Theomnestus de farragine & ocymo.

QVI RECTE cupit equis & mulis secundam valetudinem tueri, eorúmq; saluti prospicere, non hos quomodocunque, sed ex quadam industria farragine vel ocymo solicitare debet: quippe cum verno tempore naturalis ad hunc modum purgatio moueri consueuit. Cum tēpus anni viride pabulum subministrat, circiter Apriles idus sereno die cum cælū silet, equos & cętera id genus animalia stabulis exiges, & syluestribus herbosisq; cespitibus vno die pasces. postero in nares hūc puluerem inspirabis, cuius cōponendi ratio est. Radicis cocci, piperis, pulegij, origani, singulorum vncia, foliorū iris, costi, radicis cucumeris erratici q̄ tenuissimæ, singulorū semuncia, omnia simul tunduntur, & cribro tenui farinario creta, per arundinem in nares inspirantur. Caput semissem horæ suspensum extollitur: insequentiq; triduo pastioni veterinum indulgere sinitur, vt omnis pituitosus humor qui frigoribus hyemis in cerebro coierat, capitis depressu cum incumbit pascuæ, destillās ruat. Ea res omnē pituitā per nares elicit, & pecudem expurgat. ita enim neq; malides, neq; tonsillæ, neq; strumæ ijs animantibus enascentur. Dein in equilia relegentur. Agreste fœnum diebus quinq; obijciatur. sexto incipias farraginem præbere. Triticeam dari cōmodius est. sin defecerit, hordeaceam. dúmq; eam quinis diebus obtuleris, tum sanguinem dimittes: collectóq; toto qui profluxit, oleum, acetum, nitrumq; cōmiscebis, & animal à capronis ad calcem secundum pilos illines. accurate defricās in sole tātisper habebis, dum prorsus ea sanies resiccata cohærescat. postea remittes in stabulum. rursum alijs quinq; diebus farraginē obijcies, in quibus ne vllis quidem corpus strigilibus demulceas. sexto præsepibus emissum elues, & quàm asperrimis exterges stragulis, vt omnis humor exancletur, receptumq; præsepio quatuordecim diebus farragine firmabis. Hoc mangonio politos, altiles, & venustos tibi vendicabis, strigosisq; maciem lætiore sagina resarcies. Veterinis quæ viridibus pabulis aluntur, continuo salem veluti cibi condimentum opus est ministrare, vt ligneis asseribus aut tabellis impositum, cum è potu redierint, quātum velint liberè citra necessitatem lambant. eodem os totum manu mulceatur. hoc enim affrictu salis occurritur ne vitium quod aphtham vocant, os vlceribus obsideat.

EVMELVS.

EQVVLIS post trimatū farrago dari solet. hæc enim purgatio maximè necessaria equino pecori. Quod diebus decē facere oportet, nec pati alium vllum cibum degustare. ab vndecimo vsque ad quartumdecimum dandum hordeū, quotidie adijciēdo minutatim. Quod quarto die feceris, in eo decē diebus proximis manendum. Ab eo tempore mediocriter exercendum, & cum sudauerit, oleo perungendum. Si frigus

erit,in equili faciendus ignis. Ea etiam bubus cæterisq; pecudibus optime dissecta præbetur. Et si depascere sæpius voles, vsq; in mẽsem Maiũ sufficit.

Apsyrtus oppletioni,& cruditati. Cap. XCVII.

APSYRTVS Papiæ Antiocheno veterinariæ medicinæ prudenti salutẽ. Oppletionis & cruditatis auxilia pleriq; literarũ monumentis tradiderunt. in quo affectu sanguinẽ è cruribus mitti saluberrimum est. Cum animans calidam nacta sit conditionẽ, celeriter à distributione ciborum, cruditatem contrahit. quare, sicuti supra scriptum est, detrahere sanguinem expedit. Etenim ex hoc vitio transit equus in febrem, quæ ægre medicamentis discutitur.

THEOMNESTVS.

OPPLETIO cum cruditate, vitijs acutis annumeratur. Accidit autem, cum animalia nouos fructus attigerint, qui nondum tẽporius ematuruerãt. Hæc nouitas pabuli nocet, cum primitiuis frugibus illecta ventres inferciant, distentósq; sæpenumero rumpant. Oportet itaq; parcius recentes cibos degustare, & aqua quidem prius maceratos, quò turgido humoris coitu foras euocato, tumorem deponentes in qua maduerint aqua cruditatem relinquant, citráq; periculum maneant illæsa, necnon alimentum inde sentiant. Quòd si vel inuito vel hallucinante pastore pecus frugibus in aceruum cõgestis, vel per areas extructis in metas, sese satiauit: clysteribus in aluum inditis, & misso à cruribus sanguine, mederi cõueniet, quando parteis has primum cruditas consueuit intricare, earúmq; partium tentare neruos. Quapropter cum detracto sanguine locum inanîueris, occurres, manentémq; membrum hoc noxam amolieris.

Quod remedium adhibetur veterino cruditate laboranti. Africani.

CRVDITATIS signa sunt crebri ructus, ac ventris sonitus, fastidia cibi, neruorũ intentio, hebetes oculi. Remedio erũt aquæ calidæ duo congij, & mox triginta brassicæ caules modice cocti, & ex aceto dati. Sunt qui feruefactas brassicæ cymas ex oleo terãt, & corniculo in os infundant, & vestimẽtis opertos cursim agãt. sed vno die abstinẽdum est alio cibo. Quidam clausum intra tecta continent, ne pasci possit. tum lentisci oleastriq; cacuminum pondo quatuor, & libra mellis vnà trita, permiscent aquæ congio, quam nocte vna sub dio habẽt, atq; ita faucibus infundunt: deinde interposita hora macerati eruí quatuor libras obijciunt: alia potione prohibẽt. hoc per biduũ fieri, dum omnis causa languoris discutiatur. Nam si neglecta cruditas est, inflatio ventris, & torminosus intestinorum

dolor insequitur, qui nec capere cibos sinit. gemitus exprimit, locóque stare nō patitur. sæpe decumbere, & agitare caput. caudam crebrius agere. Manifestum remedium est, exiguum cibum offerre, proximam vngulis carnem circunsecare, vt sanguis emanet. Si dolor permanet, vicinam clunibus partē caudæ fascia vehementer obstringere: vbi vena intumuit, sanguinem emittere: qui cum satis profluxit, inhibetur papyri ligamine. atque ita citatū agere, eousque dum anhelet. Sunt qui in tribus heminis vini tres vncias pinsiti allij permisceant, & faucibus infundant. Alij salem cum cepis conterunt, & digerunt in collyria, quæ penitus impelluntur ano: postea currere cogunt. Alij vbi huiusmodi medicina non proficit, tūsum nitrum per os infundunt.

Apsyrtus de ratione castrandi. Cap. XCVIII.

APSYRTVS Eudoxo Sectori salutem. Te qui alendis equis tuā impēdis industriā, scire perquam vtile duxi, quibus temporibus, & quonam pacto equos castrare deceat. Castrationis autem in hoc animali duo tempora seruantur, veris, & autumni. Aestate tamen quibusdam virilitatem dempsimus, nec vlla prorsus affecimus iniuria. Administrandæ castrationis ratio ita se habet. Oportet deiectum equum pedibus comprendere, exceptósque testes stricta pelle claudi, aut duabus angustis ligneis veluti forpicibus vinctos teneri. folliculum solum, ambientémve cuticulā non latius rescindi, quàm vt per impressum vulnus exprimantur testiculi. Cum virilem partem ferro resectam detraxeris, binas vtrinque fibulas lineas aut canabinas adhibuisse satis est. tum mediam quasi tunicā quæ interuenit duobus membris genitalibus expressam rescindito. Testiū neruos, quos græci cremasteras ab eo appellāt, quod ex illis genitales partes dependent, qua parte testiculis adhærebant, ferramento candente resecato, admouēs à posteriori parte, non per anteriorem. Sed maxime ferrum ignibus incandescat, vt vno: sin minus, altero detraxeris. Nanque si plures ardētis ferri acies imprimantur, inflammationē mouebunt. Linamēta, lanarúmve flocci, oleo & pice imbuti vulneribus indūtur, fibulæ colligantur. verū linamenta tertio die resoluenda, vlceráque pennis oleo & pice intinctis quotidie linenda, quousque cicatricem ducant. Abstinendus quo die castratus fuerit, omni cibo. postero ad liberaliorem potū sensim inuitandus, cibóque in dies largius obiecto alendus. Horis quę nonnihil refrigerationis præstant, paululum agatur. per æstum in equili manere melius est. Hac ratione curabis eū qui intra præsepe cōtinetur. Quod si in armentis equū castraueris, candēte ferramēto, vti supra scriptum est, excides. Pice & oleo vulnus inunges, & ad pascua relegabis. Sed id tempore verno tantum gregatilibus fieri debet. Si ei qui præsepio recipitur, vulnus per inflammationem intumescat, cimo-

liam cretam ex aceto linere cõueniet. Qui vno teste præditi sunt, non oportet reliquo dempto canterios facere. Nanq; facilè iniurijs patent, & castratione periclitantur. Cum autem statim à dissectu consurgẽs equus hinnitũ ediderit, non facilè sospes euadit. Fama est eum qui secundos dentes eijcit, castratum reliquos non mutare, neq; caninos emittere grandes. Horum qui pullinam adhuc ætatem agunt, testiculi nobis vix conspici possunt. Non est tamen ignorandum castratos maxima ex parte malidis lue non implicari, neq; destillationibus quæ ad crura decumbant, facilè torqueri. addiderim, neq; strumas in ijs erumpere.

HIEROCLES.

EQVVM quonam pacto castrari oporteat, abunde nos Apsyrtus docet. Tãtum hoc loco dixisse sat est, tempus veris aut autumni adimendæ virilitati perquam idoneũ haberi. Vnico teste donatis reliquum excidi non expedit. ijs castraturæ vulnus periculũ adfert. Si amputatis testibus erigens sese confestim hinniuerit, hoc signum est de equo actum esse: nec facilè superstitem posse seruari testatur. Ferunt si castretur qui secundos emittit dentes, reliquos postmodum non demutare: nec quos caninos habebit, lõgos expromere. Asinus bimus melius quàm anniculus castratur. Ratio castrandi hæc est. testes funiculo districti vinciũtur, & per obliquam partem expressi resecantur. Verum ne inflammatio subsequatur, flagrante igni ferramento testes erunt rescindendi. Nam hoc modo sanguinis eruptione non periclitatur asinus. Verum vulnera sarmẽtitio cinere cum argenti spuma linenda sunt. Abstinendus eo die ab humore, & exiguo cibo alendus: sequenti triduo velut æger viridi pabulo oblectãdus, prohibendusq; multa potione. Placet etiam pice liquida & cinere cum exiguo oleo vlcera post triduum linire, quò celerius cicatricem ducant, nec à muscis infestentur.

De alia castrandi ratione.

SI PECVS castrare voles, mense Maio cum Aquilo ventus adspirat, fossam excauabis, & cõpedibus vinctum in eam supinum inijcies, vt non possit renitens exurgere: districtisq; vinculo testibus, & exerta acie ferri quàm celerrime pellem secabis. Cumq; testes per impressum vulnus exierint, rescindes, omnem adhibens diligentiam ne simul radices eorum sustuleris. Deinde sale vulnus implebis, ne per inflammationem intumescat. dein excitũ educes. Postridie cum sanguinem videris non exire, inculcatum salem resolues, oleo piceq; renes caput & nares pecudis rectè lines, nec patieris multum progredi, quoad sanitati restituatur. Loco calido & à perfrictionibns tuto stabuletur. vniuer-

ſum corpus vino ex thure & manna delibutum mulceatur, ſago bene cõtegatur. Si vero ſanguinem adhuc vulnus eiaculetur, ammoniaci vnciam, ſucci marrubij cyathum admiſto melle perunges.

Apſyrtus de fractis. Cap. XCIX.

APSYRTVS Damæ Laodicenſi amico ſalutem. Nolo te latere, quoties equus iter agens ſummo poſtremi pedis vngue nititur, vngulaq́ ſentitur calida, fractum inibi nonnihil ſubſidere. Oportet igitur circiter vngulã iuxta ſummum cornu pedem ſcarificare. ſic inuenies humorem ſubeſſe: quo emiſſo confeſtim incolumis euadet. Verum cum eodem in loco contigerit aliquid frangi, nec inde claudicatio fuerit excitata, quietus & reſes humor pus creabit. quod cognitu quàm facillimum fuerit, cum contenta ſanies ſatis oſtendet iniuriam. tum locum aperire conueniet. ſed in anterioribus non celeriter inuenitur. Quare ſtercus bubulũ recens ex origano in oleo & aceto feruefactum loco ſæpius inducitur: aut craſſulẽtum triticeæ farinæ poſtquam in aceto ferbuit, linitur: vel fici cum ſale tũſæ vt cataplaſmatis lentorem referant, imponuntur. Atqui vitex in aceto coctus & tritus obducitur. ſiquidem humores diſpeſcit, & ſpiracula laxans aperit, vt ad inferna pedis foramina tota vis erumpat. Cum vero ſuperius emerſerit, tum adeps & reſina ſimul liquefactæ in anfractum & inferiores pedis cauernas inſtillatur. Item malagmate quod aduerſus luxationes paratum eſt, erit pugnandum. ita maturius vngula deſcendet. Iis ad hunc modum intricatis venam ſcalpello ſoluere non oportet, quòd ob hoc erratum tubercula in marmoris ſpeciem concreta prodire conſueuerunt. Quãdo vero non in vno pede, ſed & in altero vel omnibus equus quidpiam fregit, humiq́ procumbens nec cibum nec potum capit, ſed tanquam veterno preſſus ſomnos captat: lethargo corripitur. cui poſcæ non acris hemina per vtrãq́ narẽ impingenda eſt: caput recenti vulpis ſanguine perlinendum. Eundem effectum caſtorium præſtare creditur. Fracta, maxime iumẽta, vectarioſq́ mulos vel aſinos male habent quæ in tubercula palmularum imaginem exhibentia, phœnicas nominant, perquam facilè degenerant.

HIEROCLES.

SI QVID fractum ſubeſſe ſentiatur, vngula feruore vitium fatebitur, animalq́ ſummo cornu pedis quo dolet, graditur. tum hordeum incoctum ſubligatur, & affuſa hordeo calida aqua ſemel & iterum, ſed longo tempore fouetur, præſertim cum crebris fomentis fractũ digeratur. Sin minus hoc accidat, certe prorſus perducetur ad maturationẽ. farina hordeacea cocta & vino ſubacta circũducetur. columbaceum fimum

illinetur. Quòd si cedês ijs ematuruerit,quonã modo fractum consueuit, aperiatur,vt quæ inibi coijt sanies,exeat. penicillus medicamento imbutus, quod atramento sutorio componitur, impresso vulneri inditur. Hoc tantisper agendum,donec ex morbo se recolligat, & suæ sanitati reddatur. Si vero medicamenti non detur occasio, ellychnium oleo & aceto maceratum super vulnus quod apertum hiat,imponitur. hoc quousq; sanescat efficacia pollebit. Quòd si fractũ sursumuersus,id est qua effunditur vngula, prorũpere contingat,id quod præduris veterinorum pedibus solet euenire: in primis oleum aceto dilutum in ellychnio receptum adhibebis. Si vero quantũ fieri potest dolor leniatur: medicamine quod lacertis constat,erit vtendum. Hoc autem vnguine delibuta tota vngula succrescit,& augetur: sicq; depulsum sensim apparens diruptionis vitiũ abigitur. Ratio medicamenti hæc est. in fictile nouum terni conijciuntur olei sextarij, in quod lacertæ virides merguntur, & indito operculo tantisper coquuntur, dum in oleo crematæ contabuerint. dein officulis earum exemptis, triti bituminis selibra, & liquidæ picis hemina cum adipis suilli veteris libris duabus adijciuntur. hæc omnia recte coquuntur,& cũ postulat vsus, vngula perungitur. hoc quãtum maxime fieri potest vngulam durat,firmioremq; animãtis pedem præbet. Sed ne pecus interdum præfringat vngulam cum à viridi pabulo redit, palmula quæ relinquitur solibus excoquẽda, phœnicobalanum vocant, officulũ eximitur, cerusaq; ventris sinus completur, & inditur ori. sic sanũ & incolume reuocatur pecus. Hoc per temporum vicissitudines faciundum.

HIPPOCRATES.

SI FRACTVM extra pedem promineat,curandi ratio hæc est. vngulam scarificando circuncisam cocto in aqua hordeo linito,aut calidos furfures subactos misto pauco vetere fimo inducito. Si in cauo pedis, quã hirundinem veterinarij nominant, osficulum apparuerit,oleo & aceto imbutum linamentum triduo inculcato, deinde cypressi folia ex aceto trita superinducito. aut myricæ folia similiter imponito. aut malicorium in aceto decoctum tritumq;,aut aridum in farinam redactum inspergito. Item atramenti sutorij & gallæ pares portiones tunsæ eundem exhibent effectum: sed prius aceto locus eluatur.

PELAGONIVS.

SI CORNV perfractum hiet,callos salis ex aceto in patentem sinum adhibebis. furfuribus calidis vnguem fouebis. post triduũ quàm profluxisse sanies desierit, alumen scissile cum sinopide & aceto permistum impones. vbi calor cõquieuerit, suilla vesica dehiscentẽ locum indues,& vbi non amplius claudicarit, resolues. ita periculo tutus eua-

det. Cæterũ cum pus fracto subesse sentitur, vngula alte scarificatur, apertus ferro locus posca fouetur, vulnus medicamento cui hygræ cognomentum est, nutritur: penicillus qui suillo adipe & ouillo maduerit, obducitur: fimũ equinum quod inaruerit, supra deligatur. sic recte valebit.

ANATOLIVS.

SI FRIGORIBVS conceptis vngula rimulatim findatur, scalpello circuncirca leniter aperito, veterecp lotio affectã partem foueto, deinde salem infriato, spongiacp vel panno detergeto, postremo candente ferri lamina caprinum adipem aut bubulum seuum instillato. Si vngulam spiculum læsit, picem duram & axungiam cum sulfure & lana succida inuolutam candente ferro supra vulnus inurito. quod idem remedium optime facit exempta stirpe, si forte surculum calcauerit, aut acuta testa clauo vel lapide vngulam pertuderit. quæ tamen si altius vulnerata est, latius circunciditur, & ita inuritur, deinde spartea solea calceatur. Quod si subest aliquod vlcus, cera ex oleo vetere, melle, & erui farina liquefacta imponitur, fasciacp trito malo punico & ficis illita diligenter, ne quid subeat, obligatur, quousq possit pedibus insistere. sic malum tertio die sanabitur. Cæterum cum malum non inueterauerit, & iam vulnus oppletum est, lilij folia, aut scylla cum sale, vel sanguinalis hærba, quam polygonon græci appellant, vel marrubium tusum inditur.

Apsyrtus de furore & rabie. Cap. C.

APSYRTVS Gaio Alexandrino medico equorum salutem. Dedisti literas ad me percõtans quibusnam remedijs vti conueniat aduersus equos furore percitos, & efferatos in rabiem. Auxilium sentient, si vinculo & ligamine coërcitis duo vini nigri austericp sextarij per nares infundantur: aut si radix erratici cucumeris cocta in duabus heminis vini addito nitro, saliuati more demittatur. Veratrũ nigrum semel in aceto feruefactum, cum corpori toto, tum maxime capiti delinendum. frictione robustiori vtendum. exercitationi frequentius credendi. Sanguis è cruribus mittẽdus. hordeũ ijs non est obijciẽdum, quousq iam ad se redierint, modestiores. quieto, vt quibusdã placet, & tenebroso loco continendi. quod si fecerimus, aut vehementiorem ciemus furorem, aut necem adferemus. Porrò vnum superest præpotens remedium, cum quis equum corripi senserit, & sustollẽs ipsum humi deiecerit, testiculos excindere. Cõtrahi solet vitium feruẽtissimo æstu, exuperanticp insolatione, aut largioris eruiliæ pastu, vel sanguine in cerebri membranas irrumpente, aut flaua bili in venas sanguinis duces illapsa, vel aquatu vitioso.

HIEROCLES.

FVRORIS & rabiei vitium equis maxime solet euenire vel ob æstus inclementiam, cum Soli diutius fuerunt obuersi, aut ob erui largioris cibatum, aut magna sanguinis vi in membranas cerebrum vestientes se conferente, aut flaua bile in venas sanguinis ministras proruente, aut cum aquarum improbitate tẽtantur. Cũ sic afficiuntur, importune hinnitus edunt, & sæuiunt morsu, atque in homines incursant. Remedio erit vinum nigellum austerum instar quatuor heminarum faucibus infusum. Verum opus est eos tutò vinculis obligari, & radicem erratici cucumeris coctam in vini sextario, permisto nitro, saliuati more demittere, vel ruta cum menta tunsa. Totum corpus nigro veratro delinatur, quod semel in aceto ferbuerit. Caput præsertim multa valenti frictione subterẽdum. cæterũ ad exercitationem crebrius perducatur. Sanguis è cruribus detrahẽdus. Hordeo pascere non expedit, donec ad se reuertatur. Tradunt eos aliqui loco tenebrosiore, & à strepitibus silente coërcendos. quod esse auxilio Apsyrtus it inficias. Maxime tamen probat, cum primum quis furoris initia senserit, deijciendum, rescindendàmque virilitatẽ. ita furorẽ finiri pollicetur. Si furore corripi cœperit equus, oculos habet incauos, rectioresq; nareis: aures surrigit. si itaq; mordere quẽpiam conetur, hanc medendi rationem sequi debebis. sanguinẽ vtrisq; cruribus demittes. eodem die cibo omni equum abstinebis. postero paulum offeres. tertio cicutæ vnciam dabis in aqua commistam.

EVMELVS.

SVBINDE furor animantẽ corripere consueuit: qui his notis intelligitur. præsepia morsibus diffringit. suũ exest corpus, in se cõuertens dẽtes. homines efferatus adoritur: ac aures assidue mouet. Oculis fixis & emicantibus cernit. spumam ore demittit. is equus diligenter vinculis cohibendus. Sanguis è cruribus & vertebra trahendus, eoq; & vino corpus fricandum. venter & tempora crebro candentibus laminis punctim exulceranda. Si geminis testibus est prędítus, castrari debet, & tenebrosiore loco conclusus tantisper detineri, dum cibum appetat: inibiq; cum paulatim deposito furore mansueuerit, hac ratione curandi erit vtendum. Cicutæ semem instar acetabuli in aquæ sextario tritum, per os infundendum. aluus ducenda. aceto feruente cum veratro nigro detrito caput inungendum. pellibus ouillis integendum. dein ruta trita caput itidem illinendum. calido contineatur equili. Quapropter si animal tanto percitum est furore, vt velut efferatus in se sæuiat, fimum humanum quàm optime tritum, in chydæo vino per corniculũ triduo faucibus infundendũ.

Hippocrates rabioso.

RABIOSVM equum hæc signa portendũt. oculi cruore suffusi procidunt. venæ solito sublimiores micant. hunc inedia cõficit, metusq́ solicitat. Ratio curandi hæc est. vbi vestimento faciem obduxeris, quò minus accedẽtes intueatur, & mediam ceruicem obligaueris, latas venas soluito, & sanguinẽ profluere sinito, donec animus eum deficiat. deinde resolutis colli vinculis, ruentẽ sanguinẽ sistes, & obscuro caligãtiq́ stabulo continebis, quod nullo cõstrepat murmure, nullumq́ cieat tumultum, quò possit cõquiescere. appetẽte vero vespera vnum aquæ congium præbebis potandum. postridie similiter subtrahens cibos & potus ad treis vsq́ dies, dein ad consuetam viuendi rationem reduces.

PELAGONIVS.

EQVVS in primis obscuriore loco stabulari debet, & molliore cibo ali, taliq́ medicamento saliuari. apij viridis triti quantum manu prendi potest, mellis probi triens, cardamoni triti cyathus, hæc in duobus cyathis vini albi trita faucibus impinguntur. Quod si ita morbus non abigatur, caput leniter adurendum, calfacientibus vnguentis linẽdum, quæ in opisthotonicorũ mentione retulimus. oculi quoq́ collyrio perungendi. sed antea sanguis à temporibus eliciatur. deinde potio hæc præbeatur. Seminis apij, spicæ nardi, petroselini macedonici, seminũ lactucæ, papaueris, singulorum pares modos cum hydromelite miscebis, & quinq́ diebus propinabis. caput lanata pelle vel oleo delibuta cõteges. Sũt qui purgatas lauri baccas in oleo detritas addito calido vino per nares infundant.

Alia curandi ratio.

OCVLI truces lumen eiaculantur, versiq́ subinde nictant. venæ eorum ex candore in puniceum rutilant. maxillæ ciuntur. se ipse vel perstans, aut etiamnum reuolutãs, morsu lacessit: nec secus vt mordicus impetat, in alios propter astantes irruit. corpus sudore digeritur. quapropter à cruribus sanguinẽ sextariorum trium instar detrahes, nullũ obijciens cibum, ne sanguis ruat. secundum solis occasum farinam hordeaceam instar sextariorum quatuor offeres, infusis duobus aquæ tepidæ: nec vllus alius cibus dabitur. secundo die cremor eiusdẽ recentis, sin desit, aridæ quæ binos impleat pugillos, propinetur. postea modicæ credatur ambulationi, pallio contectus. intra tectum cõtineatur. largius obijciatur fœnũ, sed parcior aquæ potestas fiat. Exiguũ, & paulatim hordeum, ne in eundẽ morbum recidat, præbendum. ore demisso progrediatur equus. Quod si ijs sanitati non reddatur, testiculi sunt rescindendi, venæq́ eorum excludendæ, pice sale & oleo vulnus nutriendum, cinis inspergendus. Cæterum quotidie fomentum adhibeatur, donec conualuerit.

Apſyrtus de inſititijs,& bigeneris qui debent ad iugum deſtinari.

APSYRTVS Apollophani amico ſalutem. Te equos enutrientem,& eorum cõditionis ſtudioſum qui diuerſo parentum ſeminio procreantur, à corporum notis noſſe commodum eſt qui ad iuga capeſſenda ſint habiles & idonei. Tali habitu conſtare debent. pectore lato,ampla ſimiliter ceruice,naribus apertis,prominentibus armis,cruribus rectis,ſuffraginibus eorundem non magnis,pedibus non vacijs,ſed neq; ingredientibus qui diſplodantur,vaſto ventre,ſpina non incurua. talibus meritis validos,& ad obeunda munia robuſtos tibi comparabis.

Apſyrti de defluxionibus à capite, Cap. CI.

APSYRTVS Paſicrati Alexandrino veterinariam artẽ callenti ſalutem. Te rei huius gnarum eſſe velim,quòd cũ defluxio à capite prodit, ſi vel ſponte vel exercitato equo excretio procedat,nihil mali pollicetur. ſin minus, deſtillationibus reddet opportunũ,ita vt erumpente vomica purulentũ extuſſiet humorem, craſſa candidaq; ſanies virus olẽs profluet. tuſſi quoq; laceſſitus nihil emolietur. atqui faſtidio correptus vim cibi non ſentit. ſe ipſe volutans non extẽdit,nec caput ſuccuſſat, vtpote quod grauitate prematur. Quin & venarum tori in eo facieq; diſtẽti prominent. Is ſanatur exercitatione,curſuq; tollutari,ſed non longo,& tam caldæ fotu, quàm capitis ſuffitu, baccarum lauri nidore ſubditis carbonibus ore & naribus hauſto, frictioneq; corporis totius citra caput, ne obturata cutis ſpiracula nimis pateant. Oportet etiam infuſis medicaminibus alui deiectionem moliri, præcipue ariſtolochia ex vino naribus impreſſa,vel nitro ex ſale conſimiliter indito. item alumen primæ notæ ſicilici põdo ex pari ſale cũ hemina vini conuenit infundere. Quòd ſi ijs adhibitis vomica pus non eructet,ſequenti vtendum erit compoſitione. tauri ſanguinis,ſi deſideretur,iunioris bouis acetabula duo, thuris acetabulum vnũ, ſalis huius modi dimidium,ſingula terũtur,deinde in eodẽ vaſe omnia infuſa quàm acerrimo aceto reteruntur,& in ſole ſiccantur. vbi vero concreuerunt,digerũtur in paſtillos, qui magnitudine iuglandem æquent. ijq; ſiccati reconduntur. Vnus quotidie tritus in aceto infunditur in os. verum ſi vires infirmentur, terent[illegible] in vino. ſed antequam medicamentum præbeatur,calda multa proluere conueniet,poſtea ipſum ſuffire,& os eius adaperire. cum vero nidorẽ naribus rapuerit,occludere.

Eumelus dolori capitis.

EQVVS qui capitis dolore cruciatur,hæc indicia monſtrat. oculi inflammatione turgent. liquidum quid ore defertur. tum caput feruẽte aqua fouere conuenit, & molle lætamen ſubſternere, quò

somno possit indulgere. Sanguis a superciliis mittendus. Folia trifolij contrita potioni indenda. Si intentos habeat oculos, sanguis ceruice & caluaria detrahendus, deinde salis aqua diluti quadrans infunditur. si hoc non habeatur, vermes quos intestina terræ vocant, & vrina vetus instar sextariorum duûm per sinistram narem induntur.

Doloris capitis curatio.

CAPITIS dolorẽ indicãt lachrymæ quæ profluũt, aurésq; flaccidæ, & caput cũ ceruice aggrauata, & in terrã summissa. Curãdi hæc est ratio. rescinditur vena quę sub oculo est, & os calida fouetur, ciboq; abstinetur primo die. in postero autem potio ieiuno aquæ tepidæ præbetur, ac viride gramen. tum vetus fœnũ vel molle stramentũ substernitur, crepusculoq; aqua iterũ potãda datur, parúmq; hordei cũ vicialibus, vt exigua portione cibi ad iusta perducatur. Sunt qui castorij sextantẽ, baccarum lauri semissem, nitri, brutiæ, mannæ thuris, singulorũ sextãtem, olei veteris selibram, amararũ nucũ semissem contundant, ac misceãt, prælutúmq; lotio collinãt. Capitis pituitã elicit gari hemina per nares infusa. Cum caput equi dolore conflictatur, hoc medicamento perfunditur. cerusæ selibram aqua nocte diúq; nouo fictili macerabis, & excolata aqua cerusam tãtisper in pila teres, donec in tenuissima digeratur: tum mellis põdus adijcies, quod dimidium impleat cyathum, & cum reliquis subiges. manu sumens oleum, temporibus & sedi adhibebis. cerati pondus sit sextãs semuncia. id quoq; medicamentum hominibus omnem lassitudinem leuat, & laborem reficit.

Destillationis notæ, & remedia.

SI AD caput sanguis cõcurrat, destillationẽ mouebit: quæ vel otio vel labore cõcipi solet. cuius indicia sunt. aures frigidæ subrigũtur, oculi p nares stillatim pituitã reddũt, totũq; corpus exteriori parte friget. Tum caput vestimẽtis fouere cõuenit, & alumine sicco suffire. triticũ vino rigatũ dabis edendũ. Si nihil ꝓfuit, sanguinẽ ab ore vel ceruice mittes.

Apsyrtus dolori caluariæ.

SI DOLOR caluariam occupet, signa hæc notantur. aures iactat. ei caput degrauatur. cibum esse non potest, pabulúmq; fastidit. Curandi ratio hæc est. Veratrum nigrum detritum, & incerniculo cretũ, cum vino oleo & nitro teres, eóq; caput nares & auriculas perunges. Sed calido vtitor medicamine. Aut laurus baccas viginti, eiúsq; teneræ frondes turionésq; modo qui manu prehendi possit, malicorij æqualis mensura, myrrhæ quod ternas fabas magnitudine peræquet, succi cyrenaici quod binas, ea tenuiter intrita, & in vini atri odoratiq; sextarijs duobus immissa, in narem sinistram funduntur. Insuper sanguis naribus detrahẽdus. Proderit quoq; ptisanam bene decoctam in os dare.

Eumelus capitis dolori.

CAPITIS dolor, quem aliqui, quòd caluariam male habeat, catacranion appellant, creatur cum crudum adhuc animal non idoneo tempore cibum cõcoxit. Oportet itaq; ab temporibus sanguinem mittere, quousq; languoris causa discutiatur. Vbi sanguis syncerus manabit, celerrime ruentis impetus sisti debet. fomẽta loco adhibenda. Acus palea' ve tenuissima in acri aceto oleoq;, si fuerit æstas, coquitur. sin hyems, in vino & oleo. hoc iure decocti vtendum. Aut atri veratri nitriq; cum vino & oleo pari vnciatim miscentur, & vna' teruntur. ijs caput oblinitur, vt noxius excoquatur humor, & noxa digeratur.

Theomnestus in dolore capitis præsagium, & remedia.

EQVVS qui capitis dolore vexatur, in terrã prorsus despicit, nec caput exerere potest, eiq; caligo semper offunditur. lachrymę oculis exciũtur. horret quod eisdem obijcitur: ideo cõniuet, & ægre cõtuetur. Cui sic mederi cõueniet. patẽte oris rictu à palato sanguis emittitur: quod nõ recta scalpelli acie, sed obtusa icitur. Eæ potiones quæ vrinæ mouẽdæ sunt, infundũtur. Quare seminis apij libra, iuris porrorũ decoctorũ quaterni sextarij, olei vino diluti sextarius italicus, miscentur, & per os instillantur. equus summisse cogatur incedere, paulisperq; cõquiescere sinatur, deinde in aqua refrigeretur, nõ secus atq; qui hordeatione torquentur. Si foria vel alui profluuiũ succedat, morbo liberatur. quin & oculos candor subinde decolorat: qui melle & fœniculi succo linãtur, & ocyssime reddẽtur sanitati.

PELAGONIVS.

CAPITIS dolorẽ ostẽdunt fluidi lachrymis oculi, flaccidę aures, ceruix in terrã summissa, visus euariãs. cui sic affecto sãguis ab ore dimittẽdus, indẽdaq; potio quæ ventrẽ subigere possit. is morbus subinde redux, & hordeationis modo certis circuitibus repetit. Sed in primis caput animãtis tali modo inaniendum est. Euphorbiũ, cẽtauriũ, farina thuris, olla fictili coquũtur diu, cũ vino in feruenti sole per nares inferuntur. Item paulũ aceti ex oleo vetere & spuma nitri auribus instillatur. Aut vermes arcuatim repẽtes, qui manus cõtactu cõtrahũtur in orbẽ (oniscos, quasi asellos vocãt: nos, q multis innitãtur pedibus, millepedas) ex butyro & rutę manipulo in oleo cõferuescunt, & postquã intepuerint, in aurẽ dantur. Itidẽ gallinæ adeps ex nardo dimittitur in auriculam. Si vitio cerebrũ adficiatur, animal in alea vitæ est. quare dãda est opera, vt circũagatur. Indicia huiusce lãguoris hæc sunt. Oblique graditur pecus, & pedibus aberrat, atq; sic offensis patet, vt cõtinuo se lædat, suaq; cõuellat crura. Oportet igitur animal sub iugũ mitti, vt sudore & labore lãguor omnis depellatur. sed quò melius post

laborẽ poſſit circũduci,hoc vtẽdum præſidio·lauri baccæ viginti,nitri libra, minutim tũduntur,viridis rutæ quantũ manu poteſt capi,cum aceto & laurino oleo cõferueſcunt:quibus caput inter aures vngitur.lanato tergore hoc vnguine delibuto caput obligatur,aut farina hordeacea reſinæ cõmiſta ſuperponitur. Verũ hac potione ſaliuãdum·ſeptẽ fluuiatiles cãcelli tũduntur, caprilli lactis ſextarius,& olei cyathus adijciũtur,colatiq; linteo mũdo in os dantur. ſi hæc nõ adſint,treis hydromelitis cyathos,& cãdidi piperis obolũ, croci ſcrypulos duos ſimul in vino tritos,in os indidiſſe ſatis eſt.Sunt qui vt detergeãt caput,mãdragoræ malũ in multas parteis cõciſum,in ſole vel furno deſiccent,& eo caput repurgent. Si caput oppletione grauetur,poſtea q̃ ſanguis vel ex temporibus vel ore dimiſſus fuerit,cretæ portiones duæ cum vna veteris acaciæ in vino ſubactæ ferueſcunt igni,& calidæ capiti ſuperponuntur. Si capitis grauitas ſentiatur,copioſus per nares humor fertur.cui hac potione medeberis·ſinapis mũdæ pertritæ acetabulum,cum pari menſura mellis in hemina vini quotidie octo dierum ſpatio dabis prælibãdum. Cæterum roſa,caſtorium,nuces amaræ,ruta viridis,ex aceto imponuntur.

Si quis doloris ſenſus in capite ſit.

ANIMALIBVS quæ morbis acutis torquẽtur,deiectionibus aluũ ſolicitare cõuenit. ſiquidẽ niſi impẽdẽtibus vitijs occurratur, ea iumenta vel malidis lues manet,vel ſuppurãs vomica fatigabit: quæ difficilè cedunt remedijs. Quare oportebit hoc vitæ genus ſequi· Oua duo,bacculæ piperis viginti,mellis vncia,ſubigũtur vnà,& per corniculũ infunduntur.Sed poſtea caput eius in pedes inclinãdum.ita ſemiſſem horæ cõtinendum,quoad præceps ſanies deuoluatur.deinde acopũ,quod quia ignea vi flagret,pyroticũ appellãt,imponẽdũ,vt morbi reliquię digerãtur.Poſtremo merum q̃ optimũ in nares inſpirãdũ,dein pecus ambulationi credendũ.

Pelagonius lethargicis.

MIHI nunciaſti tuos equos grauiſſimo morbo cõflictari. tradis enim hos veluti veterno preſſos cõcidere,& identidem in ſomnũ & inexpugnabilẽ penè dormiẽdi neceſſitatẽ prolabi. huius gratia cibũ non capere,ſed in ſtrigoſam maciẽ perduci. Hoc morbi genus,niſi ſuccurritur,celeriter iugulat. Quapropter ne quãdo in id equus incidat,multã obſeruationẽ requirit.quod ſi morbus peruadat:eis quæ prius expoſuimus remedijs erit pugnãdum. Hoc vitiũ medicinę profeſſores lethargũ appellauerunt.Cui & ijs quæ antè memorata ſunt,& quæ modo ſubijciemus,ſubuenietur. In primis molliter ſtabuletur. Pauimentũ equilis palea vel fœno recenti vel chordo ſubſternatur. manibus ſubinde vellicetur,quò poſſit expergiſci,ne cõtinente ſomno grauatus obdormiſcat. Proderit quoq; ſæpenumero proculcare,pedeſque quatuor aceto & furfuribus calidis defricari. Potio quæ furfures triticeos capiat & ſalem,ex poſcæ ſextarijs duobus mi-

niſtretur. Artemiſiæ flos tritus cum oleo & momẽto ſtillatitiæ myrrhę, quã vocãt ſtacten, per corniculũ infunditur. In primis quos lethargus opprimit, abſtineãtur hordeo. fabalibus ſiccis veſcãtur, quæ ſextariũ impleant. A vertebris ſanguis detrahatur. ſub hæc tale medicamentum infundatur, radicis ponticę quadrãs, calami odorati, radicis capparis, ſinguli quincunces tũduntur, & cribro creti aquæ ſextario miſcẽtur. ex eo modus qui treis ligulas capiat, indatur. potio præbeatur egelida quidem, ſed exigua. Continuo ſineq́ vlla tẽporis intercapedine aut humana voce aut virga vel flagello excitãdus eſt. tali adhibita diligentia paulatim ſeſe recolligit, & morbus abigitur.

Apſyrtus de notis eorum qui pedibus valent, aut pedum mollitie præditi ſunt, Cap. CII.

CVM ſelectas quaſdam notas indices corporis animorumq́ in equis mihi conſtituerim, domine Galle: id quod primũ & caput eſt in eius animantis cõſtitutione, indicare tibi volo, quinam bonis pedibus, qui mollibus præditi ſint, qui boni, qui praui habeãtur. Equi qui albam habent vngulam, cuius cauũ, quam hirundinẽ vocant, prælongũ, ij & molles habentur, & improbi. Qui ſiccã fragilẽ albamq́ poſſident vngulã, & molles & peruerſi traduntur. Si cauitas ſubdita eſt, paruaq́ fuerit hirũdinis forma, ij pedibus valent, & bonis ſunt moribus. Sin pręlonga ſubijcitur, mali & inutiles iudicãtur. At tabellares, & longa hirũdine, & molles & praui ſunt. Quod ſi parua fuerit hirũdo, frugi exiſtimãtur. Qui nigram ferũt vngulam, pedibus pollẽt. Improbãtur qui cãdidam præmonſtrãt. Qui nigras in ea tænias habẽt, pedibus & moribus pręſtãt. Qui vero rotũdã, præſertim ſi quid ſupra vnguẽ vngulæ occalluit, molles & praui repudiãtur. At qui hirundinem adeo paruã habent, vt eſſe videãtur ſine infimo diſcrimine pedis, ij & pedibus valẽt, & probitate laudãtur. Porrò qui varis cruribus conſtant, eaq́ introrſum flectunt, validis fulciuntur pedibus, ſed praui notãtur. Qui quadratã habẽt vngulã, non altã quidem, ſed atrã, parua intus hirũdine, pedibus excellunt. Qui rotũdam & ima parte cauã pullamq́ ferũt, boni ſunt, & pedibus vigẽt. Qui pedes duri, lõgi, nõ etiã lati, ſed proceri, probãtur. nigrã habẽtes vngulã & promiſſam, damnantur. Qui vacij in exteriorẽ partẽ torquẽtur, molles quidẽ, ſed nõ peruerſi. Qui humili ſunt vngula retro, molles ſunt, & hirundinẽ proculcãt. qui pullo cernũtur cornu, ſi cãdida tænia cingat, plus ingenio & pedibus valẽt, q̃ quibus atrę intercurſant tęnię: ſed vngulam ſi anterius coronã promunt, pedibus laudantur, ſed indolis malæ ſunt. Qui lato ſunt cornu & teſtaceo, ſi hirũdo parua cruẽtaq́ ſubeſt, molles habẽtur. Qui leue ferũt cornu, & aſſiduis in protritionibus verſãtur, ingenio & pedibus, vt antea ſcriptũ eſt, pollẽt. Qui cauã poſſidẽt vngulã, & cornu craſſum, ſi inter ambulandũ ſtrepitũ moueãt, curſuræ inhabiles ſunt, nec calcariũ ſentientes. à primis autẽ vitæ rudimẽtis ad perfectã vſq; ætatẽ morati ſunt, &

boni, sed ab illo flexu statim euadunt peruersi & mordaces. A coloribus deterrimi aliorum omniũ intelligũtur, qui in pedibus aut cruribus candidam notam aut lituram præmonstrant, aut frontem albam aut rostrum exhibẽt, præsertim si spadices quicquam harum macularum retulerint.

Apsyrti mollium pedum procuratio.

APSYRTUS Marco Mario Decurioni salutẽ. Literis ad me datis rogasti quonã remedio aduersus pedũ mollitiã opus esset. Difficile id vitij corrigi potest, simul ꝙ natiua cõditione sit insitũ, simul ꝙ in agendo itinere damnũ ẽ diurno detritu maius sit, q̃ vt per noctis quietẽ tantũ renasci possit, quantũ die subteritur. Sic quæ facta est interdiu cornus iactura, noctu non resarcitur. Vndiq; calor vngulã ambit, quæ attritu cõficitur, cõtinẽterq; in segmẽta fathiscit. Solet tamẽ mãgonizari, quo vitiũ occulatur, & venustior ad vsus placeat. Quare cupressi fruticibus in aqua coctis pedes fouẽtur, aut similiter rubi coliculis. Decoctum absinthiũ eundem prębet effectũ. acida quoq; muria perfundi prodest. Vngulæ per hyemẽ oleo perungẽdæ. sub æstatẽ axũgia foueri melius est. Mãgones suis fucis vngulæ detrimẽta mentiũtur. De ratione vrẽdi multa multi memoriæ mãdauerũt: longe tamẽ omniũ fuerit optimũ succẽdere bitumen, & eius pingue facibus instillare. Cęterũ si eius qui firmo stabilitur pede, subtrita sit vngula: sanguis è suffraginibus mittẽdus, ne sensu inflãmationis circũrupta corona dehiscat Improbãtur in ea scalpellorũ ictus impressi: quippe quum vngulam vitient.

Eumelus subtritis pedibus, & intertri gini.

SUBTRITI pedes cõmode fouentur calida, dein axungia cornua linuntur, feruentibusq; testis animal cogitur insistere, sed modo qui possit ab eo leniter perferri. Cæterum spicis alliorum cum sulfure tritis vtendum, candentéque ferro tridui spatio succendendum. hoc idem bubus auxiliatur. Intertrigo bis in die subluitur aqua calida, mox decocto ac trito sale cum adipe defricatur, dum saniei vis emanet.

Theomnestus subtritioni.

SI PEDES itinere subtriuerit pecus, dein neglecta febricitarit, laborantem celeriter vitium rapit, nisi confestim auxilijs occurratur. Oportet itaque calida aqua in qua radix altheæ, quam aliqui syluestrem appellant maluã, incocta sit, pedes perfundere, vsq; dum mollior reddatur vngula. Postea vitiatũ cornu subradere, & quæ in profundo subduntur fragmenta, quo pateãt, aperire. sparteam soleam, & asperas fascias in prõptu habere, quibus pes induatur. Sed antequã spartea calceetur, & seorsum & simul allia & axungia vetus redacta in lentorem cataplasmatis, fascijs induci debent. Si concitata inflãmatione suppuret pes, aut exsaniet, suffraginibus sanguis emittatur, tepido quiescat equili, in quo per hyemem succendatur ignis. fimo substernatur non admodum arido, ne

duro rerũ occursu gradiẽs pedes offendat. At cum nulla peruasit inflãmatio, mane diebus octo procuretur, conclususq; mandrę supra sterquiliniũ iaceat, inibiq; potus offeratur: ne via, dum itur aquatũ, vngula deteratur: verũ sterquilinij spurcitia vel sorde nutrita succrescat. Vt incremẽtum cornu capiat, axungia vetusta, allio, bitumine, sulfure viuo cum pice & oleo tusis perũges, vndiq; corollam circuncides, ductis in orbem vulnusculis. equus sicce stabuletur, vt vngula quoq; duretur. Proderit ceram, sulfur ignem nõ expertum, resinam, picem, & oleum, & axungiã subigere, vt in vnum coẽant corpus, & diligẽter linere. Aut piceã præpinguem in assulas dissectã axũgia intingere, & resupinis vnguibus instillare in omneis parteis quę vngulis sunt subditæ. hoc triduo faciundum: quo tẽpore neq; equus in aquam pedem mittat, neq; humente loco stabuletur. post exactos sex aut septem dies hoc idem iterum est repetendum. Vel baccarum hederæ parteis duas, aluminis rotundi partẽ vnam vbi cõtriueris, vnguibus misturam admouebis, quandiu erit ferendo malo: dein allium bitumenq; pertrita super cornu candente ferri lamina per triduũ inures. Hoc idem bubus auxiliatur. Aut liquida pice & axungia pes calceatur, & exponitur calori: detersoq; prius exacte cornu, tum baccæ lauri tunsæ insperguntur, dum totũ impleatur. dein induatur pes calceo, sed post triduum cornu depleatur. si tertio hoc tentatum fuerit, sanitati reddetur.

Pelagonius incremento vngulæ.

VT VNGVLA capessat incrementum, alliorum capita tria, rutæ manualem fasciculum, aluminis tunsi selibram, axungiæ veteris trepõdo, fimi asinini quantum digitis tribus capi potest, vnã subiges, vt in vnitatem coẽant. hoc quotidie vtitor. Aut fabam in aqua decoctam ex melle teres, & fascijs inductam inuolues. sic sanitati dabis. Proderit quoque calido aceto cornua perfundere, deinde marrubio & syluestri absinthio cum axungia veteri mistis infricare. Alit vngulam pelmatici mistura, quæ recipit galbani vnciam, castorij sescunciam, adarcę semunciarium pondus, siccæ resinæ tantundem, resinæ liquidæ, gallæ alexandrinæ, singulorũ sextantẽ, bituminis iudaici semunciam, chalcitidis, picis, singulorum vnciã, axungiæ libram, aceti semissem, ceræ dupondium, olei sesquisextarium. miscentur omnia, vt in medicamentum cogantur.

Apsyrti de equo qui cæca occasione prorumpit in sudorem, Cap. CIII.

SI CONTINGAT conquiescẽtem equum nulla vel æstus vel caloris oblata suspicione particulatim aut vniuersim sudore diffluere, corpusq; vaporem vel auram expirare: scire licet bilem eo loci subductã irrepsisse, aut suffusam membratim prodijsse. quapropter passo tales sunt infundendi.

Apſyrtus ijs qui compedibus aut vinculis colliſi vitiantur, Cap. CIIII.

VSVVENIT vt ſuffragines, quas meſocynia vocãt, tricis, pedicis, vinculiſq; quibuſdam loro vel fune diſtrictis plerunq; laceſſantur, quibus coriũ procidit, ſic vt neruuli huiuſce partis aperiantur, ac nudi pateant: id quod vitæ diſcrimen adfert, pręſertim ſi in vtroq; flexu articulorum euenerit. In primis igitur opus eſt vino vel aceto aut muria ſubſtringere, dein lipara & alborum emplaſtrorum tripheris vitiatã partem alere. Cæterum ceruſæ pars vna, ammoniaci dimidia portio, myrti quod eſſe ſatis videbitur, præſenti ſunt auxilio. ammoniacum itaq; teritur in aqua, & ceruſæ permiſcetur, & baccæ myrti profunduntur.

Apſyrti ijs qui perfrictionis iniuriam ſenſerunt, Cap. CV.

EQVVM qui frigoris offenſæ patuit, cibi faſtidium vrget. quare macie conficitur. cum mandit, labia nõ mouet. cum incedit, paulatim progreditur. cumq; ſurrigit caput, gemitus exprimit. deorſum flecti non poteſt, quòd interiores nerui cõtenti rigeant. ſed qui ſumma facie ſpargũtur, noxa vacant. Cui ad hunc modum mederi licebit. Piperis grana triginta in vini candidi odorati hemina trita faucibus infunduntur. aut rutæ feruefactæ ius, aut ſaluiæ, aut artemiſia cum vino, aut poliophyllum inditur ori. tollutari curſu perniciq; ſed in dies volubiliore exerceatur quoad cibo videatur indulgere. Frictione permulta quę pilos ſubigat, vtẽdum. ſed cum per opportunitatem licebit, incumbat paſcuæ. ſic recreabitur, & perducetur ad ſanitatem.

Hierocles aduerſum pecudis perfrictionem.

Rutam & maſtichen ex oleo exiguo & melle coctam addito pipere defundes, vt perfrictionem pecoris diſcutias.

Eumelus equorum morbis imbecillitate æſtu & frigore contractis.

PLERVNQVE iumẽta morbos cõcipiunt laſſitudine & æſtu, nonnunquam & frigore, & cum ſuo tempore vrinam non fecerint, vel ſi ſudant, & à cõcitatione confeſtim biberint: vel ſi cum diu ſteterint, ſubito ad curſum extimulata ſunt. Laſſitudini quies remedio eſt, ita vt in fauces oleum vel adeps vino miſta infundantur. frigori fomenta adhibentur, caputq; & ſpina tepenti adipe vel vino liniuntur. Si vrinam nõ facit, eadem ferè remedia ſunt. nam oleum feruens, vel adipi miſtum, ſuper lumbos & renes infundatur, caputq; defricetur. Perfrictionẽ tollit ſuillus ſanguis ex vino faucibus infuſus.

Apſyrti de ſyderatione, & comitiali morbo, Cap. CVI.

APSYRTVS Tiberio Claudio Heraclidę Clazomenio ſalutem. Te non lateat velim, quòd in equis ſyderatio naſcitur, cuius indicia ſunt. Pecus ſubito concidit, & partim cum reſolutione membrorũ, partim cum diſtentione neruorum prolabitur. totum corpus micat, & quaſi vibratũ ſubſilit. interdum ex ore ſpumæ mouẽtur, ſed interpoſito tempore ad ſe redit. Id morbi genus in hominibus comitialis nominatur. Huic pabulũ obijcimus proluẽtes nitro, & potioni reſpergẽtes. Conueniet aluum ducere dato cucumere & nitro: quæ ſeptenis quibuſq; concita, iuuamentum præbebit. Ne etiam continenter repetat, fertur auxilio fore teſtudinis marinæ ſanguis, ſi inſtar trium cyathorum ex pari aceto vinoq́; permiſto cyrenaici lactis denarij pondere, naribus inſtilletur. Cæterum corpus totum illini nitro & oleo cum aceto proderit, & abunde confricari.

Apſyrti ijs qui cornua calcando proterunt, Cap. CVII.

QVI SECVNDVM vnguem cornu calcant, aut ſuopte ingenio vario pede, vel ex certa cauſa diuerſis vngulis cõſtant, aut quibus ſic in poſterioribus infringũtur ſuffraginum artus, vt terram contingãt, item qui ſurſum trahunt cornua, claudicãt: & quoniam imbecillitas ilia & lumbos infirmat, curſui ferendo non ſunt.

Apſyrti defluxionibus vlcerũ, & ijs quos aper dẽte percuſſit, Cap. CVIII.

VLCERIBVS quæ ſunt opportuna defluxioni, calda non oportet vti, ſed frigida, tam æſtate, quàm hyeme. Facilè inter venandum equus ab apro interno poplitis ſinu, aut interiori crure vulnus accipit. quod in vlcus defluxionibus ſcaturiens degenerat. tumor ſequitur, cui frigidam obijcere conuenit. Quod ad medendi rationem pertinet, medicamento quod atramento ſutorio conſtat, diachalcantes nominatur, illini debet. Aut canis caput exempta lingua crematur, & redactum in puluerem ſuperinducitur.

Strangulatus auxilia.

SIQVANDO contingat equum pabulo diſtentum, aut cibo refertum in curſum excitari, facilè ſtrangulatus inuadit. Succurritur odorato vino candido, ſi inſtar heminæ cum nitri drachma per nares infundatur. Aut cuminum & galbanum ternûm obolorum pondere, trita cum vino propinantur, aut lauri baccę ex vino. In frigidam equus

non descendat. Calidos potus sequatur. Totum corpus ex oleo defricetur. Ad hoc vetus est præstantius.

Apsyrti si quid in inguine sit vulsum, Cap. CIX.

SI CONVVLSIONEM inguen concepit, eius sinus intumescit. equus progredi non potest. quare in equili conquiescat. calda largiore, item spongijs calido vino imbutis inguina foueantur. Caprina adipe trita, cerato, & torrefacto nitro cum aceto sedes affecta perungatur.

Apsyrti omnibus coronæ duritijs, quę tophacei calli nominãtur, Cap. CX.

APSYRTVS Posthumio Daci equiti salutem. Ad me scripsisti, in anteriori pede tui equi versus interiorẽ vngulæ partem, qua prodit corona, durum tumorem ac magnum erupisse, eaq́ꝫ occasione non parum claudicare. Cognoscito itaqꝫ sua sponte prodijsse. Aegrius tamen anteriores hoc vitium tentat, quod poros Græcis, quasi tophaceus callus appellatur. Ratio curandi talis est. Cunilago in lentorem cataplasmatis intrita linitur. hederæ frondes simili modo paratæ superponuntur. Vitiligineus cinis ex aceto subactus itidem efficax est, atqꝫ inter valẽtia remedia est. Alij cupressi frutices ex aceto tundunt, & ita vtuntur. Alij rhum adhibent. Nos hoc vti solemus auxilio. salẽ cum melle terimus, dum strigmenti crassitudo fiat: & callum rescindimus, illitumq́ꝫ linteo medicamentum bis die deligamus. sed prius calida fouemus aqua. Hoc vitiũ armenta præsertim implicat, exoriturq́ꝫ prægrãdis callus, qui pedem deformitate vitiet, præsertim cum nulla præbeantur remedia. nec incedere, nec alios sequi potest equus: stansq́ꝫ non pascitur, sed mœret, gregem requirens. se ipse iactat, nec erigere potest. quapropter facilè despondet animum. Hos igitur palustribus, vliginosis aut riguis impasci locis non expedit, sed vertere solum, & in eum ablegare locum vbi nullus scaturit latex, sed puluerulenta, tenuis, sabulosaq́ꝫ subest humus. si hinc aliò quis possit amandare, sanabit pinnis sale & melle imbutis, aut pice ex eodem sale.

Apsyrti qua ratione pecudibus armentitijs alui deiectionem moliri conueniat, Cap. CXI.

APSYRTVS Marco salutem. Te equinum pecus enutriẽtem certiorem facere voluimus, quòd armẽtis & gregibus ad hũc modum mederi solemus. tusam in tenues particulas syluestris cucumis radicẽ insolamus, dum flaccescens inarescat: rursumq́ꝫ vt in tenuissima læuigetur, cõtundimus, adiecto tũ-

si nitri pari modo: saliśq; permiscentes vorandam obijcimus. Porrò grauidis & ventrem ferentibus iumentis abstinemus: lactarijs tamen interdum damus. Siquidem qui matribus subrumantur equuli, hac ratione purgabũtur. Salem huius gratia permiscemus, vt animal hoc illectum condimento, deiectorium medicamẽ non aspernetur. Melius cedet si salis furfurosa sordes adijciatur, sic vt à decimoquinto rem auspicati, quinto quoq; die, quod est ter in eo temporis spatio, ad calendas vsq; prębeamus. Quod si fuerit ita factum, nec psora nec scabies inuadent, cæteræq; valetudines arcebuntur.

Apsyrti de specie equorum oracula, Cap. CXII.

DE EQVORVM specie multi perpulchrè sua placita memorię mandauerunt, longe tamen optima Simo & Xenophon, viri Athenienses. Domiturã equuleorũ diligẽtius cæteris Xenophon prosequutus est. Quare tibi, qui alẽdis equis tuum impendis studium, necessarium putaui & genus eorum & nationẽ nosse. Parthi corporis magnitudine præstant, animosiq; generosam faciem præ se ferunt, ac pedibus eximiè valẽt. Medi grãdiore præcellũt forma. Armenij Cappadocesq; à Parthis genus ducunt, capitis tantũ grauitate cedentes. Hispani magno sunt corporis habitu, concinno & arrecto, elegãti capite, compage corporis luculenter diuidua, sed astrictis clunibus, itineribus obeundis pares & robusti, corpore nec gracili, nec ad maciẽ opportuno: cæterum ad cursuram inhabiles, in equitatione calcaribus non incitantur. Quin & ab ortu ad integrã vsq; ætatem morati & obsequẽtes, deinde improbi & mordaces euadũt. Græcanici pedibus bonis fulti sũt, vasto corpore, capite venusto, ardua antica parte statura, concinnoq; hactenus corpore: sed clunium cõpage incommoda, nec respondente: pernices, & animosi. Verum in tota Græcia Thessalici præferũtur. Epirotici, mordaces, & peruersi. Thraces autẽ turpes, deformi specie, rigido corpore, prægrandibus armis, gibbere spina: vari, atq; ideo ingressu vacillãte, cursuq;. Cyrenaici magnitudine pollent, ilibus substrictis & paruis. ideo ad curule certamen idonei, pedum bonitate præstantes, inter equitandũ longiore animæ ductu. Istrij pedibus valent, perquam proceri, turpes, indiuidua spina, cauaq;: sed cursu pernici. Sarmatica natio non iniucũda, suiq; generis concinnitate prædita, ad cursurã idonea, grãdi corporis habitu, valido capite, ceruice decora. Argolici vt pedibus præstant, ita cluniũ cõmissura cedunt: venusto capite, indiuidua spina, grãdi, sed curta. Quosdam equos aëtogenes vocant, à genitiua quadam nota, quam in armis & clunibus referunt, quos Sarmatæ sibi vt probos adsciscunt, apud quos cum reliquis de pernicitate certant: quare ijs ad bellicas excursiones vtuntur. At vero qui aquilinam notam ponè ferũt contra clunem & caudam, ij ab ipsis

improbantur. Quin & obſeruatum eſſe apud ſe tradunt, ne ex eis prælientur. Quippe aut equitem facilè ijs inſidentem perire, aut in quippiam moleſtiæ incurrere. Cæterùm quæcunq; ſic naſcuntur in veterino genere, vt notam eam habeant, quam leporinum dentem vocant, ſubrumari non oportet: ſed nuper in lucem edita aut reijcere, aut ab armento ſegregare: ſcientes vtique huiuſmodi fœturas & pullationes veluti adulterinas eſſe naturæ notas, & portentoſas. Maximè autem gignuntur in hinnis, & bigeneris animãtibus.

Qui ſuffraginum articulo recta oſſa continent, ij peſſimo greſſu nituntur, vectoremq; contundẽdo fatigant. ij, quòd ceruino pede conſtant, elaphopodes nominantur. At qui eiſdem in locis breuia condunt oſſa & humilia, ob idq; cynobatæ vocantur, ij vngulas ad internam calcium partem, ſeu malleos potius vocare placet, adferunt, ac pedes tractim agunt, in eiſq; claudicãt. Sunt ex ijs, qui facilè vngulis aberrent. Probantur ad equitationẽ qui genibus lentis, & facilè flexibilibus conſtant. Quippe minus ij cæteris deerrant, nec ceſſori periculum adferunt, minuſq; fatigati in obeundis operibus elaſſeſcunt, quàm qui duris genibus, non ſecus atq; ſi vallis & palis niterentur.

Qui vaſtis ilibus turgẽt, ij imbecilliores viribus, & deformiores intelligũtur, ijſq; moleſtè vector inſidet. Omnibus præſtantiores habentur qui originem armorum ſublimiorem prætẽdunt. non enim modo ſeſſoribus tuti, ſed firmioribus armis ſtabiliti putantur. Suſpicaces & meticuloſos ſupra modum, optimum eſt non poſſidere: cum nos non fugiat plerunq; ſarcinas & onera quæ ſubuectant, pernicioſè deturbare. quod minori vitio verteretur, niſi vectorem excutientes malè ſæpius afficerent. Equinum genus proſpicuam præ ſe fert ſuſpicionem, ſic vt inſidens tutò hæreat. Aſininum vero pecus & bigenerum repentino rerum conſpectu conſternabile, nouitatiſq; verens, in diſcrimen adfert.

Apſyrtus de exercitatione militaris equi, & domitura pulli. Cap. CXIII.

APSYRTVS Getulio Seuerò ſalutem. Te, qui eques haberis optimus, de equulorum domitura certiorem facere volui. Res ita ſe habet. pullũ bimũ ex armentis accerſunt, huncq; gregibus excitum domant. Optimum quotidie aut certe diebus alternis conſueſcere manu tractari, quò facilè ſeſſori pareat. tum modicis ac mitibus exercitijs ſenſim in dies ſuccreſcẽtibus docent dimoueri, plerunq; ad trimatũ vſq;, dein validioribus excitari. ſed tempori nõnihil laboris continuò ſuccreſcat, dum ſextum attigerit annum: à quo tempore nec exercitationes nec miniſteria diutius interpellari placet, cum liquidò conſtet equum ineũdis certaminibus idoneũ fore, diutiuſq; poſſe bellicis inſultibus reluctari. Pullo qui

committitur exercitationi, præsertim ineunte ætate, solum nõ alta profunditate subijciatur: quippe cum facilè tibiæ radium hinc contingat abscedere: id quod pedis articulos ac suffragines infirmat. quod vbi fuerit obortum, equus claudicabit. Mollipedem equum ad hoc adduci munus alienum est, eoq; vehente bellum gerere. siquidem in ipsis congressibus non se facilè ab hostili concursu euadẽs explicat, quòd pedibus laboret: sic vsuuenit, vt nec vector sibi fuga cõsulat, nec suæ prospiciat saluti. Eodem modo calcitrosi & in alios sæuientes equi negotium exhibent.

De luxatione in pedibus eorum qui vngulam indiuisam habent, item de cornus incremento, Cap. CXIIII.

SI LVXVM in articulo pedis aut corona hiet, hoc erit vtendum remedio. primum sanguis ab articulo suffraginis mittendus, quem appellant mesocynium. coronã quam & cynoplon nominant, scalpellum experiri non oportet: vtpote cum venæ quæ feriretur, neruosa subijciatur copula. deinde lineam fasciam aceto & oleo imbutam conuenit obligare, coronam eadem perstringere, explicitamq; fasciã vngulæ subijcere, oleo & aceto perfundere, sanum pedem ad genu deuincire. Porrò pede qui sensit ictũ, tres horas sines insistere, resolutisq; fascijs calida perfundes aqua, & cerato confricabis, bulbisq; cum sale tritis dũ in cataplasmatis lentorem redeant, illines. Hoc triduo procurabis. tum malagmate quod aduersus luxata compositum est, pugnabis. cuius etiam siccati farina non modico luxis est auxilio. Cum vero supra modum succrescunt vngulæ, nihil ab eis est detrahendum, sed idem obeundum munus, & aliquantisper differendum, nisi exortus vngulæ pedis afficitur iniuria. quod cum adfuerit, incedens equus retrorsum inflectit vngulam, & in exteriorem partem distrahit. Optimum quoq; fuerit vt interdum ad volutabra ducantur, quæ solidas gerunt vngulas. locus tamen qui volutationis officio destinabitur, debet esse solidus, pulueruletus, ęquabilis, non lapidosus, nec asper, ac minime salebrosus, quo sese possint citra noxã saburrare. Improbantur læti tractus, graminosi, stercorati: quòd expeditum non reddant equum, nec corporis agilitate præstantem. Porrò durum solum scabrumq; non erit eis alienum.

Eumelus luxis.

Acidam fecem cum cineribus calidis & axungia vetere permistam illinens obduces, addito ouo: & cum tempus expostulabit, impones.

Hippocrates luxatis.

Luxationis eæ sunt indices notæ. pes in ossium coitu, vbi pyxidatim

cohærent,qui modiolus appellatur,non persistit,sed subterfugiens labitur. Partes vnguibus vicinæ sublimes prominent. Quod ad curandi rationem pertinet,circumscarificata prius vngula,pineas assulas & spongiam ex aceto septẽ diebus obligabis. Si non in sedem restituatur,fœnigræci,quod buceron nominant,sextarios quatuor,effuso vino in quo maduit,tundes,inditumq; fictili cum melle coques.sic diebus senis illines. Veteres luxatus cancellatim sunt adurendi.

Luxatis pedibus.

SI QVAE pedibus luxata dehiscant, sic nosse licebit. manibus vngulam distringes. sic excitatus appressu dolor ostẽdet iniuriam,eoq; argumento pecus luxatum cornu fatebitur. hoc vitium continenter equi curribus iuncti cum certamẽ initur, contrahunt. Cui sic succurritur. Sanguis è parte coronam cingente,quam ideo peristephanida vocant,elicitur, & sale & aceto perfusa defricatur,dein oleũ vino dilutum,& exceptum vellere,superponitur compagini vnguis. Identidem calida fouetur. hæc curãdi ratio ad duodecim vsq; dies adhibetur. Si nihil ijs proficitur, tum vnguis vbi necessitas vrget, scalpello deorsum succinditur dupla sestertij nummi magnitudine. Quod si quid eminẽtius propendeat,viuó tenus resecatur.sed ossi parcendũ,ne forsan acies ferri penitus adacta cõtingat. Si copiosus profluat sanguis,oleum ex aceto & sale tenui ac stercore huius equi inducitur linteo,quo cum vngula pes totus induitur, post triduum calda perfunditur. Quód si luxurians caro superexcreuerit, adstringentibus & vulnerarijs auxilijs cohibebitur. Crebrius cornu repurgatum,scalpro circuncidatur,vt hoc æqualiter vndiq; succrescat. Malagma quod ignem non fuerit expertum, anephthon vocant,sensim adplicatur. Si ijs remedijs equus non est adiutus,adurere necessum erit.

Luxati pedis præsagium,& medela.

PRIMVM vngue summo graditur, articulusq; micans insilit, & pedem ad se trahit. Tum sanguis à luxata parte instar duarum heminarum extrahitur. Vinum & oleum inspirãtur. reliqua quæ cõueniunt,adhibentur. lana fouetur. offunditur calda. Cum melius habuerit, luxatũ confricari debet,& succida lana sordidaq; vino & oleo cum tenui sale rigata circumuolui,loroq; vinciri. Cæterum pes obductis fascijs calceatur,leniterq; substringitur,ne vehemẽtior perstrictio moueat inflammationẽ,aut subditas abscindat venulas. Ea quotidie debent admoueri, nisi die quo detrahitur sanguis,quoad reddatur sanitati. Si medicamentis non finitur noxa, vrens medicamentum postulabit. Vlcus igne factum vt reliqua sanabitur.

Lepræ curatio. Cap. CXV.

LIXIVIO acri copiosa adiecta calda proluito, finitoq; resiccari, deinde sulfuris viui minam vnã, atramenti sutorij tantundem, lachrymæ papaueris drachmam, contundito, dum in minuta digerantur. picis & olei singulos sextarios, acris aceti heminã misceto. designati prius medicamenti instar acetabuli adijcito, dein in oleum & acetum mittito, tepefactamq; misturã linito. Sub tectum equus molliter stabuletur, cumq; hoc iterum tertio aut quarto feceris, calda lixiuium eluito. Quando recte habuerit, vinum & oleum tepens inspirato. sin minus, medicamine perungito, reliquamq; adhibeto curationem.

De pastinaca.

PASTINACA bestiola ei non dissimilis est verticillæ quæ domibus nostris oberrat, sed paulo maior. Ea in agris vbiq; gignitur, & exerta cauda serpit. Hanc si vel improuide pascitur equus insidentẽ gramini, vel hians mandit, confestim cibum reijcit, acriter anima fœtet, sanies serpentis virus olẽs destillat, totum intumet corpus, & prægrandibus obsidetur pusulis. Primum equus medicamine quod alijs infundi solet, saliuatur, deinde calda aqua largiore perfunditur, fouetur, fricatur. Ad hæc acida fex in fictile mittitur, linum tenuiter tunsum feci mergitur. quibus, vbi in aqua conferbuerint, totum illinitur corpus. statim atque medicamentum accepit, calido molliq; substrato lætamine, resideat stabulo, contectus pallio. Perpetuus succendatur ignis, vt diluculo concrescens in fictilis testæ modum illitus inueniatur occalluisse. tertio die rursus multa proluitur calida, fouetúrque, & sub tectum defricatur. Si vel labia vel præsertim oculos tumor obsedit, cataplasmatis non erit pugnandum. quod nonnũquam solet euenire: verum continuo vitium abigitur, equusq; restituitur sanitati.

Inedia laborantibus & fastidiosis iumentis. Cap. CXVI.

SI EQVVS vel aliud quoduis iumentum nullo correptum vitio laborauit inedia, sic vt nihil exesse contigerit, id erit argumento. toruli in versus digesti sustolluntur in palato. os feruidum sentitur, pituitáque fluidum scatet. Quod ad curandi rationem pertinet, à tertio palati versu sanguis instar heminæ mittitur. sale cum cunila bubula trito os perfricatur, & finitur profluere, frigida proluitur. nihil ad horam vsq; sextam datur edendum.

De conuersione vesicæ, Cap. CXVII.

SI VESICA secesserit à sede, vrinam equus facere nõ potest. coxẽdices & vngulas attrahit. Quod vbi cõtingit, nullus medicinæ locus. Si vero supra sedem vesica decubuit, vel alio se recepit, hanc ad hunc modũ eximere. quod forfice prehensum est, emittere, productumq́ conuenit excindere, vt quàm purissimum feceris. vbi resecueris, salem & oleum inijcies, & emplastris illigabis. Postridie calida perfundes: & vbi sanguinem deterseris, lycio nutries, turundamq́ è succida lana mollem imbutam vino indes, hancq́ die bis inculcabis.

De rimis, quas vocant rhagades, Cap. CXVIII.

SI RETRO pernas rimæ dehiscunt, eæ distentione vel saltu contrahuntur: quas oportet ita sanare. Adipis vitulinæ libra, rosacei selibra, coquuntur vnà, adiecto cerusæ exiguo. hoc vnguine delibuta pars leuatur.

Vngulæ productionem moliri. Cap. CXIX.

SI VNGVLA anterius non prorumpente claudicet equus, in terramq́ summissus nutet, atq́ punctim vnguis lancinetur, hæc tentari debent remedia. deprehensus vnguis castratur, viuoq́ tenus pes exungulatus subraditur. Verum de cornus succremento facessat omnis timor. Quippe ferrum alit vnguem. Prætérea ficorum libra, ceræ selibra, tundũtur vnà, triduoq́ ligata non resoluũtur, deinde vino & oleo fouentur. sic breui prodibit in apertum.

Qua ægrotanti pecori aut fame confecto ratione victus sit opus.

SEMINIS apij sextarius vnus, seminis lini drachmæ tres, fœnigræci sextarij duo, erui trepondo, radicis panacis, iris illyricæ, hærbę sabinę, singulorũ selibra, axungiæ libræ sex, vino excipiũtur vetere, & cogũtur in pastillos, qui siccãtur in vmbra. dantur ioglãdis magnitudine, cũ mellis tribus vncijs & vini veteris vno sextario resoluuntur. nihil per triduũ infũditur. canis caput efficaciter suffitur, sic vt nidor naribus hauriatur.

Theomnesti ambustis glacie. Cap. CXX.

HYBERNIS itineribus glacies equos reliquaq́ iumenta vt sors fert torquet: quod vitium medicorum natio pagoplexiam, quasi à gelicidijs torporem appellauit. ijs intument calces, & cum vngulis amburuntur frigore. Curandi modus exigit vt oleo tepente aqua diluto perfundantur. Sed prius in scyphum oleum cum aqua calidum

mittatur, prædurisq; detergeantur linteis, & fascijs loca diligẽter obstringantur. Si vero vehementer intumuerint, scalpello scarificentur, hordeaceáque farina in quàm acerrimo aceto decoctà delinantur, dum pedum tumor euanescat, & feruor leniatur. siquidem neglecta veterina subinde redduntur inutilia.

De ileosis, Cap. CXXI.

ILEOSVM efficitur cum ad satietatem se compleuit animal, nec inculcatum cibum concoxit. ideo nonnihil in intestino quod appellant colum, concrescit, & vt lapis duratur, quod deterrimis morbis annumeratur. distorquet sese, plerunq; suscitatur, & ambulat, deinde rursum se proijcit, in spinamq; & ilia decumbit. gemitus ob intestinos infarctus cogitur exprimere. Sic opem ferre conuenit. vncta manu & per anum inserta fimum quod opponitur, extrahere: molli frictione scrotũ demulcere, quò valeat vrinam facere. Neq;, vt ferũt, vesica conuertitur, sed foramen quo meat vrina, præcluditur. itaq; brassicæ succus, vna olei hemina, apij cyathus, in hemina vini decocta, per os infunduntur. vino & oleo calido perungitur. stabulo cogatur conquiescere, & oleum caldum vino dilutum subter in aluum detur. cliuosis, quò susq; deq; feratur, progrediatur, vt noxij spiritus possint deflari: qui si semel egerantur, tumor residebit, & tormento leuabũtur. Postea paleæ calida aqua maceratæ, & exceptæ sacco, ilibus subligantur. Quippe quũ excalfaciãt, flatuũ reliquias digerunt. Si animo linquitur equus, confestim obijciatur cibus auena, viride gramen, vel aridum aqua conspersum. liberalior aquæ potestas fiat. Signa tamen salutis erunt si flaccent aures, si spiritus feruens ac intentus ore prorumpit, & venter subducitur. Deplorati notæ sunt, coles prociduus, sudor in ilibus frigidus, rarior spiratio, priora crura contenta frigidáq;, concreta ceruix ac rigida, nares frigidæ.

Ad ileosos remedia.

ILEOSIS betarum decoctum ex nitro & bdellio trito subter in aluum oportet indere, & lauare: quin & stragulis & ephippijs operire. ignem prope succendere. cum reliquum pabulum, tum maxime farraginem obijcere, vel viride gramen. Si vero alui recrementa quæ molestiam inferunt, non reddantur, vncta manu per anum inserta debent elici. betæ semen ex vini & olei sextarijs tribus infundendum. Sin ijs equus non est restitutus, derasa ab vngulis anteriorum pedum scobis, cum sesquisextario vini per nares inditur.

De tuberculo in mori ſpeciem concreto, Cap. CXXII.

SI TVBERCVLVM mori referens imaginem, equus contraxit, auripigmẽti partes quatuor, calcis viuæ pars vna, ammoniaci partes duæ, aloæ pars vna, mellis quod ad ea excipiẽda ſatis ſit, vnà terũtur dum ſtrigmẽti craſſitudinem exhibeant, dein cineribus calidis rudicula mouendo tantiſper coquuntur, dum miniato colore rutilent. Medicamen tepidum inducẽdum eſt. Sunt qui ſciſſilis auripigmẽti & calcis viuæ nõ præmaceratæ portiones æquas in garũ conijciant, ſic vt fermenteſcant, iiſq; locum affricẽt. ſic incolumitati reddunt. Optimum quoq; fuerit ſubula vel acu tuberculum perforare, & veratrum inſerere.

De fiſtulis Hierocles.

Si in armorum commercio vel alio quouis loco fiſtula dehiſcat, affectam partem diuides, & adures, deinde medicamento quod calce compoſitum eſt vteris, quouſq; cruſta deciderit: quippe cum ambiens callus emarginabitur, & cõfeſtim explebitur hiatus. Quod ſi vitiũ ijs nõ ceſſerit, rectis ferramẽtis cãdentibus exulcerãdum, adſtringentiq; medicamẽto dum ſanetur, vtendũ.

Hippocrates fiſtulæ.

Si in equo fiſtula hiet, atramentũ ſutorium aceto quàm acerrimo miſtũ, reſiccatumq; ſinui reſpergitur: aut ſylueſtris cucumis vehementer detritus, & cum lacte marinæ lactucæ, quam vocant tithymalon, ſubactus inditur cuniculo. Apſyrtus raſilis æruginis, æris vſti, myſis, gallæ acerbæ, ſingulorum trientem, gummis dodrantem miſcebat, & anfractui fiſtularum inſinuabat.

Apſyrtus de compoſitis infuſionibus.

CVM OPERIS cõnexio, domine Celer, efflagitat vt medicamentaria ſubijciamus remedia, tibi primũ demõſtrare propoſuimus quæ alijs authoribus referũtur accepta: eaq; mãdãtes ſcriptis, non poſſumus non illis referre gratiã, ſimul q; ab ijs prima rudimenta hauſimus, ſimul q; ab eiſdem rerũ peritiam ſumus aſſequuti. ſi tamen quidpiam ſilẽtio prætermiſerint, nos fideliore iudicio freti, poſteritatis memoriæ prodemus. Primũ de deiectorijs infuſionibus eſt diſſerẽdum. Catulũ lactentem iugulatũ deglubunt, viſceribus & extis exenteratum eluunt, dein ollæ fictili mãdant, vt aquæ tãtiſper incoquãtur, dum corpus oſſa relinquat. cuius iuris, adiecto melle, per triduum heminas binas quotidie ſatis eſt infudiſſe. decocto ſuillæ pernæ itidem præſtãt, aut cãdidi gallinacei iure. ea maioribus noſtris memoriæ tradita ſunt. Nos ijs vſi fuimus infuſionibus, tenuẽ tithymalũ incoquẽtes in aqua, aut peucedanũ, aut abſinthiũ, aut minus cẽtauriũ, aut ariſtolochiæ radicẽ eodẽ modo decoctã, aut ſylueſtris cucumeris radicẽ ex nitro, vt prius ſcriptum eſt, aut colocynthidis ægyptiæ ſemen cum pulpa

cruda resiccatũ. sit aquæ modus sextarius, quotidieq; septẽ dierũ spatio per os infundatur. Optimũ fuerit syluestrẽ cuminũ ex nitro defudisse. Simplex & lenis habetur infusio, quæ constat meraci vini sextario, olei & mellis singulorũ selibra, aquæ modo qui videbitur satis. Infusio calfactoria, recipit vini probati sextariũ, piperis, rutę viridis, singulorum vnciã, olei, tragacanthæ, mellis, singulorũ selibrã, adiectis sex ouorũ liquoribus. Infusio succata, quã diachylon vocant, capit fœnigræci sextariũ, rutæ, betæ, singulorũ manualem fasciculum, pinguiũ ficorũ, olei, lactis, singulorũ libras quatuor. Odorata infusio habet hyssopi, petroselini, croci, piperis candidi, thuris, piperis cõmunis, myrrhæ, singulorum vnciã, costi, tragacanthæ quod sufficiet. Calocærina constat croci duella, tragacanthæ, hyssopi, sampsuci, myrrhæ, thuris, sacharis, singulorum vncia. hæc in stillatitio rosarum liquore, quod rhodostagma vocãt, macerãtur. tertia pars medicaminis datur potãda. Infusio cum viridi pabulo vescitur pecus, epichloën appellant, habet vini italici, olei, singulorũ sextarios tres, mellis sextarium vnum, oua duodecim, piperis vnciam.

Compositio quæ excalfacit, & vrinam ciet.

Casiæ sextans, nardi spicatæ, cyperi, singulorum vncia, hyssopi cretici, absinthij pontici, singulorum selibra, myrrhæ vncia, hæ in aqua coquũtur, & triduo faucibus infunduntur. Ventris animalia pellit, & rigores neruorum discutit, ac tussim abigit, simulq; totum corpus vegetũ reddit. sed tertio die dandum est oleum, quo munde læuigata resoluatur.

Compositio infusionis aduersus æstuationem.

Si ex itinere reuertit equus, & ilia vibrat, cibum fastidit, & subinde gemitus edit, secundum horam arundinis folia, vel gramen viride, vel lactucas aceti rorabis imbre, & indes ori, vt æstus refrigeretur: postea tragacanthæ, croci, singulas vncias, & pineorum nucleorum sextarium à vespera in crastinum aqua macerabis. singula priuatim læuissime teres, & ita rursum cõmiscebis, passi caryni vel scybelitici singulos adijcies sextarios, & succi portulacæ quadrãtem, aquæ frigidæ quod esse satis videbitur, per treis dies infundes, hordeum parcius obijcies.

Pecudi cruditate laboranti remedium.

Pecus crudum hisce cognoscitur signis. eius labia tumescunt, corpusq; totum pustulis scatet, lingua turget, caputq; grãdius cernitur. in quo affectu hoc remedium adhibetur. sanguis primo quoq; die mittitur à ceruice. viride pabulum offertur, si tempus suppeditat, lactuca, gramen, arũdinis folia solùm. secundo die sanguis trahitur à temporibus, ac pecus eodem fulcitur cibo. tertio, si hyems incessit, medicamentum quod excalfacit, & vrinã mouet, antea scriptum infundetur. si æstas adest, refrigeratorium, quod tragacantha & passo constat, indetur.

Potio quæ febricitantem pecudem infusu refrigerat.

ACETI vnciam, rosacei tãtundem, simul agitans infundito. dein interposito breui tempore, mellis rosacei singulos quadrantes, lactis libram, vini heminam italicam, vbi miscueris, ingerito. viridi pabulo, si tempus non deneget, vtitor.

Potio quæ calfacit & vellicat.

Gentianæ, piperis cãdidi, seselis, singulorũ sextãs miscetur, aut absinthij pontici sextans, lupinorũ amarorũ, piperis albi, castorij, singuli quadrantes.

Vt somnus pecori concilietur.

SOMNVM hoc medicamentum accersit, lac papaueris instar oboli, anethi quod tribus digitis capi potest, teruntur læuissime, dum in vnum coalescãt corpus, & addito prius olei cyatho dantur potanda. sin lac papaueris desideretur, eius semine erit vtendum, quod triplum lactis modum æquet, cum vna vini hemina.

Medicamentum quo saliuatur equus, propotisma vocant.

CROCI selibra, sampsuci, hyssopi, singulorũ triens, fertulæ campanę selibra, costi, myrrhæ, aloæ, iris, abrotoni, dulcis radicis, singulorum triẽs, casiæ, absinthij cretẽsis, folij, calami odorati, singulorũ selibra, cyperi, piperis, singulorum triens, tragacanthæ libræ quatuor, sarcophagi, cardamomi, petroselini, gentianæ, centaurij, opopanacis, singulorum quadrãs, vettonicæ triens, salatici quadrãs, hęrbæ sabinæ sextãs, celticæ selibra, castorij tãtundem, porrorũ triens: ea tũduntur, & cribro cernũtur: adijciuntur mellis heminæ tres, cũ ouorũ duûm liquore, rosacei modus qui tibi faciat satis, vini sextarius vnus. medicamẽtũ infunditur. Alia saliuãdi ratio. spicæ nardi, folij, singuli quadrãtes, costi, agarici, amomi, myrobalani, singuli triẽtes, iris illyricæ, casiæ, cassami, singuli sextãtes, croci sextula, vini & mellis sextarij vigintiseptem, caryophylli triens, vnicuiq; animali hemina datur.

Hæc infusio refertur ad Hieroclem.

MELLIS, olei quod acerbæ oleæ fuderunt, omphacinum vocant, singulorum sextãs, porrorũ, anethi, pulegij, singulorum manualis fasciculus, apij tãtundem, omnia simul coquũtur, & cum similaginis cremore mista propinantur. Aut hordei cremor cum hircino adipe coquitur. ijs additur fœnumgręcũ. vbi fuerit incoctũ, animalis faucibus infunduntur. Verno tẽpore sic pecus saliuatur. oua quinq; in aceto quàm acerrimo à vespera in matutinum macerantur, & equo potanda dantur. Aestiua infusio, capit nucem defruto maceratã, aut croci ligulam vino madefactam, tragacantham quæ in aqua tepida maduerit, aut pineos nucleos vino maceratos. omnia detrita extracta equi lingua faucibus instillantur.

Infusio recreans vires.

SVMES apij manipulos duos, porrorũ, brassicæ, singulorum manipulos treis, baccarũ lauri sextarios duos, suillæ carnis põdo quatuor, piperis, opopanacis, singulorum sextantem, cremoris hordei sextarios nouem, mellis sesquisextariũ: excoques apium, brassicã, porrum cum carnibus hordeo & baccis lauri: & vbi reliqua addideris, infundes.

Medicamentum quod versatilibus veterinis somnum accersit.

Cardamomi, seminis apollinaris, quæ hyoscyamos vocatur, styracis, singuli trientes, myrrhæ sextans, piperis selibra.

Pecudibus quæ vertigine correptæ concidunt.

Seminis longarum ceparum, aloæ, singulorum vncia, piperis candidi quadrans, mellis triens.

Pastillus.

Hyssopi vncia, pyrethri, rutæ viridis, croci, gummis, singulorum sextãs, floris aloæ quadrans, mellis tertia pars.

Pastillus Archelaï.

Myrrhæ sextans, abrotoni triens, croci tantundẽ, pyrethri, rutæ recẽtis, cunilæ bubulæ, hyssopi, singulorũ sextãs, aceti quod ad ea excipiũda satis sit.

Puluis.

Casiæ vncia, indicæ nardi triens, croci, iris illyricæ, cardamomi, petroselini, piperis candidi, porri cum fibris, centaurij, panacis, iunci odorati, amomi, singulorum vncia.

Medicamentum reficiendis lassitudinibus, acopum vocant.

Ceræ, ammoniaci, baccarum lauri, resinæ duræ, olei lixiui, id est spõte sua destillantis, nõ tortiui, singulorũ libra, opopanacis, bdellij, singulorum duapondo, sampsuci libræ quatuor, terebinthinæ selibra, piperis vncia, mannæ tantundem, cyprini olei selibra, vini veteris sextans. Aduersus coxendicum cruciatus prodest euphorbij, zonæ sardianæ, spumæ nitri, gleucini vnguenti pares portiones imposuisse.

Potio quæ mordentium sæuitiam infrenat.

CROCI duellam, myrrhæ tantundem, aloæ selibrã, costi semunciam, pridie detrita vino macerato, tragacanthæ sextantem priuatim in aqua madefacito, postridie in aquam missum terito, quoad resoluatur, vinum paulatim adijcito, quod nouẽ sextarios italicos impleat, mellis libras duas infundito. cum omnia scrupulose subacta fuerint, fictili calfacito, momentũ farinæ piperis inspergito, sextã partẽ potandã præbeto, hyeme tepidã, æstate frigidã. Non desunt qui cõmisceant hyssopi, gẽtianæ, opopanacis, singulos sextãtes, sagapeni, myrrhæ, ficorũ pinguiũ, gingiberis, petroselini, costi, acori, singulas vncias, iunci odorati sextantẽ, rutæ quãtum

manu capi possit, seminis apij sextantẽ, marrubij selibrã, dauci cretici triẽtẽ, panacis, casiæ, singulos sextantes, calcis viuæ, apij aphrici, singulos trientes.

Potio necessaria omni tempore prælibanda.

HAE QVAE mox subijcientur species, in pollinem digerũtur, sed eas simul cõtundi cõmodius est. gẽtiana, aristolochia, myrrha, baccæ lauri, eburnea scobis, omnes æquis ponderibus contra quæcunq; vitia tali modo propinantur. acuti iunci, & marrubij radices, in vino feruescunt, in excolatum vinum prædictæ farinæ plenum coclear conijcitur, & per triduum præbetur potandum.

Potio quæ apud Romanos quatrigaria vocatur.

TRAGACANTHAE, petroselini, singulorũ vncia, bettonicæ selibra, sarcophagi, casiæ cui fistulæ cognomentum est, iris illyricæ, singulorũ vncia, hyssopi duo fasciculi manus plenæ, euphorbij, thuris mannæ, gentianæ, singulorũ vncia, perdicij hęrbæ libra, piperis, costi, sertulæ cãpanæ, opopanacis, spicatæ nardi, iunci odorati, ammoniaci, cinnamomi, seminis rutæ, baccarũ myrti, singulorũ vncia, nuces pineæ paruæ virides vigintiquinq;, radicis dulcis vncia, hęc omnia tũduntur in farinã, & tenui cribro cernuntur. porrò cum necessitas postulat, medicamentũ ex vino datur.

Potio omni tempore conueniens.

COSTI, sertulæ campanæ, hyssopi sicci, iris illyricæ, aristolochiæ, myrrhæ troglodytidis, dracunculi, spicæ nardi, singulorum vncia, omnia tunsa cribrataq; redigito in polẽtam, & æstate adijcito croci vnciam, tragacanthæ tantundem, mellis quod ad excipiendum sit satis, vini senos sextarios, sic infundito. hyeme prædictis omnibus farinæ piperis quadrantem admisceto, & infundito cornu.

Potio agglutinans.

Myrrhæ, tragacanthæ, cumini, croci, singulorũ vncia cum tepẽte vino datur.

Aestiua potio.

Croci vncia in vinum, tragacanthæ quadrans in aquã calidam inijciũtur. vbi trita fuerint, miscentur ijs, caput porri cum fibris, viride apiũ, rursumq; teruntur vnà: succi lactucæ paulum, lac caprillum ex oleo rosaceo, mellis triens adijciuntur, sapæ sextarius vnus, vini veteris quod tibi faciet satis: omnia per corniculum in os triduo dantur.

Potio quæ epichloes cognominatur.

Butyri, mellis, singulæ vnciæ, axungiæ veteris libra, palmulæ duodenæ, vuarum passarum sextarius, bulbi deni, seminis lini tũsi hemina, fœnigræci triti tantundem, allij gallici modus qui tibi placebit, croci vncia, tragacanthę

quadrans, ea omnia trita cum melle, ouis & oleo & sapa, subiguntur, mensura quæ tibi faciat satis, & triduo dantur potanda.

Potio hyberna.

Vini veteris sextarius, olei primæ notæ selibra, piperis vncia, rutę viridis dextans, tragacanthæ selibra, mellis tantundem, ouorum, olei, & defruti, quod esse satis videbitur.

Potio ad omnia efficax.

Cremoris hordei sextarius, fœnigræci tantundem, betæ fasciculus manualis, pingues fici viginti, olei dupondium, lactis asinini sextarius, miscentur, & continuo propinantur.

Potio refrigeratoria.

Vini veteris sextarius, olei primi meriti cõgius, vuarum passarum quantum voles, aquæ frigidæ quod erit satis.

Potio hyberna.

Croci, costi, petroselini macedonici, myrrhæ, thuris masculi, tragacãthæ, trisaginis, vettonicæ, cumini alexandrini, mannæ, piperis, singulorum vncia, hæc omnia tunduntur, & vncia ex vino & oleo sufficienti, veterino dantur. miscebis, si placet, ptisanæ cremorem, palmulas viginti, ficos pingues viginti quinque, caprinum adipem, & catuli lactentis in aqua feruefacti ius. omnia permista cornu dantur.

Potio refrigeratoria.

Mannæ thuris scrupulus vnus cum vino albo tepente per sinistram narem iniicitur.

Potio calfactoria.

Resinæ colophoniacæ triẽs, hyssopi sextãs, medullæ ceruinæ vncia, opopanacis semuncia, galbani tantundem, olei laurini selibra, olei libra, olei lentiscini tantundem, ea cõmista in æneum vas mittuntur. vbi igniculo molli fuerint concocta, sumuntur: & postquam densata cõcreuerint, vsui seruantur. ea frons animalium illini debet hyeme. Efficax etiam est hominibus qui luto refrigerati, coxendicibus laborant. Nihil æque hyemis tempore pecudes à noxa vindicat, si continuò per cornu conditum ingeratur.

Potionis compositio mirabilis effectus.

HAEC animalia recreat, ad omnem curandi rationẽ pollet, tussim leuat, omniq; tẽpore veterinis opitulatur. Capit autẽ tragacanthæ dextantem, opopanacis, galbani, singulorum sextantem, gummis alexandrinæ bessem, sertulæ campanæ quincũcem, rosarum aridarum, casiæ, singulorum tantundem, nardi gallici quadrantẽ, sampsuci quincuncem, carpobalsami trientem, spicæ nardi quadrantem, iunci odorati quincuncem, amomi vnciam, myrrhæ, taurini adipis, singulorum quincuncem, farinę fœ-

nigræci ſextarios treis, palmulas in vino maceratas viginti, bulbos nouem, mellis primæ notę libram, ſapæ ſextarios treis, vini veteris ſextarios viginti quinq;, galbanũ, opopanacem, tragacantham, vino macerata deteres, & cum reliquis medicinarum generibus incoques, donec ad tertias redigantur. vinum & ſapam moderate conijcies.

Aeſtiua potio.

SEMINIS ormini heminam, petroſelini tantundem, baccarum myrti, ſeſelis gallici, ſingulorum ſextarium, ſeminis apij heminã, iunci odorati quadrãtem, in farinam conteres, & cum aqua mulſa colabis, & in fauces inſtillabis. Habetur & alia potio, quæ dolorem omnem lenit. hærba quæ heraclea dicitur, aut panacia cum vetere vino teritur, & in aqua calida præbetur. Efficax eſt & inſequens compoſitio, panaciam & triticeam farinam ex æquo terunt, & cribro pollinario cernunt, vinoq; vetere excipiunt, & in orbiculos colligunt, qui diluti dantur potandi. Ii ſi inteſtinũ vulnus animal inueniatur accepiſſe, perſanant.

Hyberna potio.

COSTI, caſiæ quæ fiſtula cognominatur, petroſelini, britanicæ, dulcis radicis, ſampſuchi, ſpicę nardi, ſarcophagi, ſertulæ cãpanæ, ammoniaci, iunci odorati, tragacanthæ, ſingulorum ſextans, nardi gallici vncia, iris illyricæ, gentianæ, ariſtolochiæ, croci, ſingulorum triẽs, centaurij, dracunculi, ſingulorum vncia, abſinthij pontici pugilli tres, opopanacis quadrans, ea potio omnibus animalibus auxiliatur.

Apſyrti malagma, quod ex bdellio conſtat.

HABET picis pondo dodrantem ſemunciam, ceræ, reſinæ, ſingulorum tantundem, galbani, opopanacis, ſtyracis, bdellij, ſingulorũ ſemunciam pondus. ea ſimul miſcentur, vt in malagma coëant, quod in reficiendis laſſitudinibus fungitur acopi vice. Cyprino quoq; dilutum aduerſus hominum perfrictiones efficax eſt.

Acidum malagma, quod oxyron appellant.

RECIPIT picis aridæ pondo libram, ceræ pondo dextantem, ammoniaci pondo ſextãtem, galbani, mannæ, ſingulorum pondo ſemunciã, acris aceti candidi heminã. ea dum fictili vaſe coquũtur, aceti dimidiata portio conijcitur: cumq; ferueſcens bullauerit, reliquæ portionis imbre roratur. Malagma etiamnum quo ſolemus vti, hominibus etiam auxiliũ adfert. Ceræ pondo beſſem maceramus, & ſubigentes in ſole folia vel laminas fingimus, quæ cyprino ſubijciãtur, & modo eodem inſola-

mus,dum cyprinum omne perbiberint.id autem cyathos binos compleat, & proterentes ammoniaci pondo libram operose,cum acris aceti candidi modo parciore reterimus,ne humore liberalius imbuatur.tum ceram inijcimus,& commiscentes in malagma cogimus.

Malagma quod adipe ceráq; constat.

HABET ceræ pondo bessem,adipis ceruini vel bubuli renibus extracti,aut caprini,æquale pondus,mannæ pōdo semunciam,resinæ colophoniacæ pondo vnciā,galbani pondo denariorū duûm, olei cyathum.omnia in fictilem ollam demittuntur,& simul subacta vbi in vnitatem coiërint,confestim eximuntur,manna & galbanum respergūtur. Aliud habetur quod vim habet emolliendi,cuius temperandi ratio hæc est. axungiæ pondo libram,resinę colophoniacæ tantundem,ceræ pōdo bessem, acopi,cerusæ,singulorum pondo vnciā,nouo fictili noctu diúq; in aqua macerato,& exclusa colis aqua,cerusam pila quàm lęuissimè terito,ita cogens in ceratum cōmisceto,totamq; diem,vt in farinam fatiscat,deterito,mellis dimidiatum cyathum ammisceto.modus adhibendi talis. Sumens oleum manu resoluito,in tempora equi & anum indito. Simili modo hominibus ad discutiendas lassitudines hoc ceratum efficax est.

Alterius malagmatis compositio.

CAPIT ceræ,resinæ aridæ,ammoniaci,cicutæ,floris salis,taurini adipis, singulorū librā,picis nauibus derasæ dupōdium,opopanacis selibrā,myrrhæ sextantē,thuris tantundē.Quòd si adstringēdi vel glutinādi facultatē placet assequi,pingue taurinū eximes,& adijcies bituminis iudaici librā,aceti duas heminas. Malagma cereum cōstat ceræ libra, terebinthinæ selibra,colophoniæ,resinæ pini,picis,singulorū selibra,opopanacis,galbani,ammoniaci,sagapeni,bdellij,thuris,croci,singulorum vncia.

Aureum malagma.

OPOPANACIS, floris salis, ammoniaci, sagapeni, galbani, singulorum vncia,colophoniacæ,aridæ terebinthinæ,thuris,ceræ, singulorum selibra,cogūtur in malagma. Malagma quod inflationes articulorū discutit,habet bituminis iudaici,ceræ,singulos dodrantes, picis aridæ sextātem,resinæ duræ,thuris,singulas selibras,squāmarum æris cyprij quaternas libras,olei ternas. Malagma quod callos qui in quandam marmoris duritiem concreuerunt,discutit,collectionésq; tollit,habet argēti spumæ,olei laurini,cerusæ,singulorū libras quatuor,terebinthinæ,colophoniæ,styracis,iridis illyricæ,propolis, bituminis iudaici, singulorum libras duas,galbani libram vnam,hyssopi cretēsis selibram,mysi aureum colorem

referentis sextātem,ammoniaci selibram. Malagma quod neruorum dolores sedat,lassitudines articulorum reficit,& citra cādens ferramentū quæ decubuerūt extrahit vitia,mentæ,milij,sulfuris,terebinthinæ,styracis,bdellij,galbani,picis,singulorū selibra,omnia contūdūtur,& quatuor vini sextarijs miscentur,postea coquūtur igni: medicamentum prius quàm calorem exuerit,inducitur.Malagma quod agglutinādo reuellit,& tophaceas emollit durities,habet resinę aridę,pollinis tritici,aceti,singulos sextarios.Malagma quod vulgo ambulimula vocabatur, recipit opopanacis, bituminis, galbani,sagapeni,visci quęrnei,singulorum quadrātem, floris salis semunciam,castorij sextantem,œsypi,ammoniaci thymiamatis, singulorum vnciam, thuris masculi sescunciam,terebinthinæ trientem,bdellij quadrātem, styracis sextantem semunciam,propolis vnciam,resinæ pineæ sextātem semunciam,ceræ semunciam, picis brutiæ sesquilibram. opopanax cum salis flore teritur scrupulose,& cum reliquis omnibus vbi fuerint eliquata,ea trita subiguntur.

Archedemi malagma pullare.

PICIS nauibus derasæ trepondo,ceræ, propolis, singulorū sesquilibra,resinæ pineæ,terebinthinæ,singulorum libra,visci quærni,galbani,floris salis,hali,quem appellant symphyton,singulorū selibra,castorij,eupatorij,singulorū quadrans, euphorbij sextans, sertulæ campanæ selibra. Aliud malagma capit bituminis,ammoniaci,singulos sextantes,myrrhæ, galbani,singulas vncias, euphorbij,castorij,opopanacis,adarchæ calamularis,singulas semūcias,picis nauibus derasæ,quam apochyma nominant,quadrantem,colophoniæ selibram,ceræ dupondium. Malagma quod ficis constat, diasycωn appellant,fici aphræ, galbani, picis brutiæ,sulfuris,nitri,singulorum libram conteres, & pici & galbano miscebis.hoc malagmate vtendum quousq; dolores finierit,deinde crudum malagma quod ωmon cognominant,est inducendum.

Malagma quod ωmon id est crudum nominant.

HOC neruos firmat,& robur eisdem recreat. hominibus quoq; podagricis plurimum auxiliatur.ceræ dupondium, œsypi libras sex in pilam conijcito.postquam operose contriueris,ex eo quod selibram pendit,in mortariū mittito,pistello plumbeo tantisper terito,dum ex tritura sextans supersit.dein adijcito mellis tripondium,aceti quod esse satis videbitur.postea farinæ triti marmoris sextarium vnum, ammoniaci selibram imponito.Hæc contrita cribro cernito,& adiecto nasturtij sextario fictili sartagine coquito,postremo galbani libram dum mollescat terito.omnia simul pilæ mandato.vbi diligenter contriueris, pila tri-

turam extrahito,& adiecto ceruinæ medullæ quadrãte,& olei veteris semisse,cõmisceto exacte,demũ in offas cogito. hominibus linteolo inductũ medicamẽtũ,equis panno affigendũ. Malagma articularijs morbis cõueniens, galbani,styracis,opopanacis,mannæ,singulorum libra,sinopidis libræ sex.

Hippocratis malagma.

Spumæ aceti, nucis pineæ, pares vtriusq; portiones vnà colliguntur.

Malagmatis quod bdellio constat,mistura.

Bdellij,galbani,ammoniaci,bituminis, taurini glutinis,resinæ ponticæ, singulorum vncia,medullę ceruinæ tantundem, nucis pineæ selibra,mastichæ sextans,thuris vncia,ceræ,opopanacis,aloæ,myrrhę,singulorum vncia.

Malagma trypherum Hieroclis.

CERAE, propolis,singulorum selibra,thuris,styracis,cyprij æris combusti,medullæ ceruinæ,galbani singuli triẽtes,resinæ colophoniacæ libra,opopanacis vncia,veteris olei, argenti spumæ, singulæ libræ,spuma argenti in oleo teritur,& in ollã mittitur, donec resoluta fuerit,postea opopanax in vino tritus,reliquis ammiscetur. Aliud malagma, capit ammoniaci thymiamatis quadrantem, aridæ picis libram, ceræ selibram,resinæ terebinthinæ trientem,mannæ,galbani,singulorum bessem semunciam.ammoniacum & manna cum aceto teruntur,& liquefacta linuntur.Emplastrum quod axungia cõstat,habet axungiæ,ceræ,resinæ colophoniacæ pares portiones tritas. Alia malagmatis cõpositio.olei sextarius,picis nauibus derasæ assipondium, opopanacis,galbani,resinæ terebinthinæ, bituminis iudaici,ceræ,singulorum selibra,resinæ colophoniacæ libra.

Malagma quod extendit,extenuat,concoquit.

BITVMINIS sextula, ceræ libra,resinæ nucis pineæ,singulorũ selibra.oportet exitu veris ferulæ radicem erutam terra,siccare,& tritam immiscere. Aliud cataplasmatis genus,continet euphorbij,opopanacis,castorij, galbani,singulorum sextantem,sagapeni, styracis, singulorum vnciã,ammoniacæ suffitionis,quam thymiama nominãt,librã, zizyphi,terebinthinæ sesquilibrã,picis nauibus derasæ libras treis,propolis quadrantem,bdellij quincuncem,mannæ quadrantem,ceræ libras duas,aridæ resinæ dupondium,bituminis libras sex,visci libram vnam.

Malagma quod ad Pelagonium authorem refertur.

CERAE, resinę punicæ,olei,spumæ argenti,singulorũ trepõdo, omnia miscẽtur,vt in vnũ coẽant corpus. Alia cõponẽdi vnguẽti ratio. Ceræ selibra,zizyphi nigri purgati triẽs, picis aridæ libra, baccarum lauri triens, resinæ duræ selibra, piperis vncia, laseris,

thuris masculi, singulorum sextans, olei primæ notæ septunx, olei cyprini sextans, omnia simul coquuntur, dein in aqua frigida tantisper immorantur, dum in vnitatem coierint. vbi vero cerati crassitudinem retulerint, eximuntur. Mali cortex in aqua coctus ambustis medetur. Medicamentũ agglutinãs, quod etiamnum refrigerat, & fluxiones suspendit, anacollema nominant, habet croci selibram, pollinis thuris, minij, cochlearum africarum, bulborum, punicorum, singulorum selibram, similaginis heminam, aceti quod ad ea excipienda sit satis. Aliud agglutinãs medicamentum, armis equorũ & lumbis vtile. Recipit similæ scrypulos binos, farinæ thuris vnciam vnam, duûm ouorum luteos liquores. ea subigũtur vnà, & armis & lumbis agglutinantur. Seques malagma neruorũ dolores lenit. ceræ libra, medullæ ceruinæ selibra, myrrhæ quadrans, & binæ pollinis eius ligulæ coquuntur, & vsui seruãtur. Aliud malagma, constat ceræ semisse, argẽti spumæ libra, olei libris quinq;, resinæ libris duabus, galbani, opopanacis, myrrhæ, thuris, singulorum sextante, vino quod ad ea excipienda satis sit. Aliud, recipit pollinis thuris, medullæ ceruinæ, violarum albarum, resinę terebinthinæ, singulorum sesquilibram, adipis taurinæ, lachrymæ papaueris, iridis illyricæ, singulorum libram, aristolochiæ semunciã. Aliud malagma, capit adipis colatæ, resinæ terebinthinæ, olei, singulorum binas libras, plũbaginis libras quatuor, galbani, æruginis, singulorũ vnciam. Aliud malagma neruorum dolores leniẽs, ceræ, violæ candidæ, singulorum pondo, styracis, propolis, ceræ candidę, papaueris, baccarũ lauri, singulorum sesquilibra. Aliud malagma, continet ceræ libras duas, opopanacis, styracis, baccarũ lauri, adipis caprini, seminis papaueris, singulorũ librã, galbani sextantẽ, resinæ colophoniacæ semunciam, irini olei selibram. Malagma quod aduersus varia vitia, & ictas membrorum compages efficax est. Ceræ flauæ quadrans, galbani dupondium, styracis, resinæ colophoniacæ, olei irini, singulorum selibra, violæ candidæ, baccarum lauri, adipis caprillæ, resinæ aridæ, seminis papaueris, singulorũ libra. Aliud, pinguis taurini librę duę, violarum albarum, ammoniaci, iridis illyricæ, spumæ nitri, adipis anserini, adipis ceruini, singulorum libra, piperis candidi vncia.

Malagma armis & scapulis dolentibus idoneum.

SPVMAE argenti, galbani, candidæ violæ, mannæ thuris, singuli sextantes, resinæ terebinthinæ, resinæ colophoniacæ, opopanacis afri, propolis atticæ, iridis illyricæ, lachrymæ papaueris attici, ammoniaci singulæ libræ, binę visci, cardamomi singulæ sesquilibræ, pinguis taurini triens, cerę tressis. Malagma durũ. cerę fuluę semuncia, hyssopi attici librę duæ, papaueris sesquilibra, styracis, propolis, medullę cerui, candidarum violarum, singulorum selibra. Malagma creti-

cum,capit ceræ,ammoniaci,singulas libras, picis aridæ,iris illyricæ singulas selibras,resinæ sesquilibram, galbani deuncem, terebinthinæ quincuncem, aceti quod esse satis videbitur. Malagma ficulneũ, quod diasycon vocant, recipit dulcium ficorum libras duas,nitri trientem. ficos diligẽter terito,nitrum tritum adijcito. Malagma quod constat axungia,diaxungion cognominant,axungiæ veteris libra contunditur, & calcis viuæ portio quæ videbitur sufficere,adijcitur.medicamentum triduo imponitur ligatum. Malagma quod tribus constat medicinis,ideo tripharmacũ appellant,habet ammoniaci,ceræ,singulas libras,& acetũ quod videtur ad excipiendũ sufficere.

Apsyrti malagma.

CAPIT ceræ libram,guttæ ammoniacæ selibram,olei cyprini, olei irini,olei laurini,singulorum paria pondera,adipis taurini sextantem,medullæ ceruinæ trientem, styracis semunciam,laseris, galbani,singulorum vnciam,resinæ terebinthinæ, masculi thuris, singulorum semũciam,piperis nigri vnciam,opopanacis sextãtem. Aliud malagma,cõtinet ceræ libram,bdellij,ammoniaci suffimenti,quod thymiama nominant,mannæ thuris, gastricæ,singulorum sextantem, terebinthinæ,galbani,opopanacis,singulorum selibram,resinæ librã. omnia pila tũdito. Aliud malagma,recipit ceræ,ammoniaci,singulas libras,galbani, terebinthinæ singulos sextãtes,olei cyprini quod satis fuerit, omnia præter ammoniacum decoques, quod est terendum.reliqua adijcies. postquam incocta fuerint,pila refrigerabis,postea manu subiges,& in offas cõglomerabis.

Aliud malagma,recipit ceræ trepondo,galbani sextantẽ,terebinthinæ triẽtem,adipis taurini quadrantem,œsypi sextantem,bdellij quadrantem,ammoniaci semunciam,piperis albi,spumę nitri,singulorum sescunciam,iridis illyricæ sextantem, adipis anserini,medullæ cerui, singulorum sextantem.

Malagma durũ,habet ceræ sextãtem,opopanacis,bdellij,visci quærnei par pondus,iunci odorati,resinæ terebinthinę,singulorum vnciam. Aliud malagma,spumæ argenti triens,bdellij sextans,papaueris quadrans,baccarum lauri vncia,opopanacis semuncia,olei laurini selibra.

Malagma ad laxatos artus & dolores efficax.

Seminis mentæ,resinæ terebinthinæ,styracis,bdellij,galbani,picis aridæ,singulorum selibram,mellis semissem,simul omnia cõcoquito,oua quatuor adijcito,& vinum quod ad excipiendum satis sit: dein medicamen linteolo illitum inducito.

Cataplasma ad ictus & dolorem neruorum.

CATAPLASMA aduersus ictus, & ad articulos recenti cicatrice contractos,quas ancylas græci nominant, habet ammoniaci, picis,bituminis,galbani,singulos tresses,bdellij,terebinthinæ,pro-

polis,ſingulorum dupondium,ſtyracis,viſci,ſingulorum pondo.

Cataplaſma ad tumores articulorum.

Bitumen,ceram,& acetum ſubiges,& tumẽti articulo perlines. Medicamen quod agglutinando reflectit,& defluxionem ſuſpendit, anacollema nominant,valet aduerſus omnia neruorum vitia. ammoniacum ſuffimentũ ſupra modum teritur,acetum additur,& cogitur in ceratum.

Eumeli cataplaſma ad palati dolorem.

Acaciæ ſelibra, picis libra, cretæ cimoliæ libræ duæ, fimi bubuli libra, omnia ſimul terũtur, & calfacta ſuperponuntur. ſed locum prius aqua maris egelida fouere conuenit.

Eumelus palati doloribus.

Palati doloribus emiſſus loco ſanguis medetur, aut thuris maſculi vncia,ſeminis apij acetabulum, teruntur,& aquæ permiſta per nares indũtur. Cæterum oportet ſubinde prope coſtas vtrinq; ferramento candenti laborantis veterini ſcapulas leuius adurere. ſed ne longius quidem digito acies impreſſa trahatur.

Hieroclis medicamen ad genuum dolores.

Genibus quæ dolore vexantur,rutam oleo ferueſactam illinito.

Malagma Pelagonij ſi rota pedem percuſſit.

Bulbum rubrum,mannam thuris,conteres, & impones,poſt triduum medicamen reſolues, rurſum idem auxilium adhibebis,deinde malagmate vtitor. Tumores pedum diſcutit hoc remedium. Euphorbij ſextans,ſalis communis triens,picis liquidę ſextula,coquuntur ſimul omnia,& tumenti parti linuntur. Si vero dolor in armis pertinaciter inſideret, aut noxius humor inibi coijſſet,bubulum ſtercus articulis illitum proficiet.

Agglutinans medicamen armis cruribus & fauis conueniens.

Galbani,ſtyracis,papaueris,bdellij,reſinæ terebinthinæ, minij,ſingulorum libra,ſimilę ſextarij duo,hæc omnia coquũtur vt in vnitatem coẽant,& prædictis vitijs agglutinantur. Aliud armis cõferens,croci,pollinis thuris, ſinopidis africani,ſingulorum ſelibra,ſimilaginis hemina, bulbi punici triti viginti,mentæ ſelibra,omnia ſimul tunduntur,& aceto miſcentur.

Apſyrti emplaſtrum calcibus & talis vtile.

Cadmiæ ſelibra, veratri nigri quadrans, floris æris, bituminis iudaici,

cremati æris,salis ammoniaci,atramenti sutorij, fecis combustæ, æruginis, spumæ nitri,singulorum quadrãs,veteris axungiæ,olei quod ex Ancone Picentinorum agro defertur,singulorum selibra.

Compositio emplastri quod ab hærbis diabotanωn inscribitur.

Galbani,myrrhæ, aloæ,cerusę,æruginis, mannæ, propolis atticæ,ammoniaci, resinæ bithynicæ, singulorum sextãs,ceræ selibra, picis nauibus derasæ,olei veteris,spumæ argẽti,singulorum libræ duæ, aristolochiæ,marrubij, singulorum sextans,cedri quadrans, picis brutiæ sextans,cyperi selibra, ciphi quadrans, centaurij,iridis illyricæ,radicis trifolij,artemisię,singulorum quadrans,spumæ nitri,piperis candidi, baccarum lauri,singulorum triens, omnia suprà dicta conteruntur,& cribro cernuntur,postea pilæ mãdantur, & cum oleo vetere tundũtur,dum malagmatis lentorem adsciscant.emplastrũ ad vsus varios venit,sed hyeme vinũ & oleũ adijci debent,& caldũ illini. Recõdatur calido loco,contectũ operculis. Emplastrũ quod cicatrices ducit,& vulnera statim implet,habet ceræ,butyri,resinę,singulorũ libras duas.

Vulnerarij emplastri mistura.

Cerusæ, spumæ argenti, pares portiones teruntur in sole,acetum & rosaceũ miscentur.si rosaceum forsitan non adsit, oleũ duntaxat immittatur.

Hieroclis emplastrum.

Picem nauibus derasam, aridam resinam simul in pila moueto, postea cerusam exiguam ex aqua & oleo tritam adijcito. quæ possunt eliquescere, vnà mittito.Si voles vt emplastrum puri mouendo sit,paulum opopanacis dilutum vino misceto.Simplex emplastrũ constat ceræ libra, resinæ aridæ, terebinthinæ,singulorum semisse. ea simul vbi ferbuerint, ab igni deponũtur:tum bituminis iudaici triti quadrans adijcitur,deinde ammoniaci tunsi & cribrati sextans additur:rursum igni superponitur, & lignea rude continuò mouetur. tum mannæ sextans inspergitur,& galbani tantundem: vbi ab igni demptum fuerit,opopanacis antea detriti sextans additur. Aliud, habet spumæ argenti libram, strigmenti balnearũ recẽtis colati libras duas, resinæ terebinthinæ vnciam.

Emplastrum quod strigmentis balnearum constat,diagliu vocant.

Strigmenti libras duas,spumæ argenti aut plumbaginis vnciam,picis nauibus derasæ,aridæ resinæ,singulorum quadrantem comparabis:strigmentum itaq; decoques,& argenti spumam:cumq; coierint,reliqua adijcies.

Emplastrum melinum.

Habet ceræ,pineæ resinæ, singulas libras, terebinthinæ sextantem, ammoniaci quadrantem, galbani,opopanacis,singulas vncias.

Emplastrum quod cruentis vulneribus inijcitur, enæmon vocant.

Aceti, spumæ argenti, singulorum libram simul incoquito, & vtitor.

Emplastrum ruptis efficax.

Spumæ argenti, aceti, singulorum libra, olei sesquilibra, ammoniaci quadrans, ceræ, resinæ, singulorum sextans, terebinthinæ quadrãs, bituminis, picis, æruginis, singulorum selibra, acetum, oleum, spuma argenti, præcoquuntur: vbi concrescere cœperint, pix additur: cumq; fuerit resoluta, ab igni detrahitur: tum bitumẽ, quod agitari non debet, inijcitur: cumq; fuerit resolutum, reliqua miscentur, & dum coaluerint coquuntur: postremo demptum ab igni emplastrum in pilam excolatur.

Emplastrum quod eliquat, emollit, & laxat.

Picis, ceræ, resinæ, singulorum pondo denarij vnius, ammoniaci triens, opopanacis in aceto prætriti pondus quod tibi fecerit satis.

Emplastrum siccum, quod vocant xeron.

Ruentis sanguinis impetum cohibet, sinus explet, ad exsiccandum & glutinandum efficax. Recipit plumbaginis, acris aceti, communis olei, singulorũ libram, picis nauibus derasæ, æruginis, singulorum vnciam: acetum, oleum, plumbago, coquuntur donec mutari cœperint: tum pix nauibus erasa additur, & iterum coquũtur. ærugo pila seorsum ex aceto teritur, & postea conijcitur.

Emplastrum trypherum.

Capit spumæ argenti libram, olei tantundem, ammoniaci libras treis, ceræ quadrantem, oleum & spumam argenti coques, dein cum cogi cœperint, ammoniacum & ceram conijcies.

Emplastrum melinum aureum.

Melinum aureum neruis & articulis auxiliatur, perfrictiones discutit, efficacius si irino vel cyprino diluatur, constat ceræ, resinæ aridę, singulis selibris, resinæ terebinthinæ, & opopanacis semuncia, galbani, myrrhæ troglodytidis pari pondere, ammoniaci thuris, pinguis taurini, singulis vncijs, floris salis quadrãte. quæ liquari possunt, eliquescãt igni: opopanax intritus vino, cum myrrha & flore salis thureq; tantisper conteritur, dum omnia in vnum coaluerint corpus.

Lipara quæ pelmatica cognominatur.

Robur firmat, & recreat imbecillas parteis, cedri bituminis pares por-

tiones vnà ferueſcunt,& ita linuntur. Alia ad idem valens, ſpumæ argenti ſelibra,ceruſæ libra,aceti italicus ſextarius, irini triens, ſpuma argenti teritur.item ceruſa,pars aceti cum aceto oleo & vino adijcitur,impoſitaq; ligula,manu iterum deteritur,dum ſtrigmenti craſſitudo fiat. Hoc medicamẽtum ad deſquammata & recentia vlcera pollet.Eſt & alia,quæ animene leuce,quòd diſſoluta cãdicet appellatur,ad defluxiones,ambuſta,deſquãmata, & ad ea quæ ſponte ſua naſcuntur vlcera,valens. ſpumæ argenti,ceruſæ,ſingulorum libra,olei communis,aceti quod ad ea excipienda ſit ſatis. Alia,recipit ſandycis ceruſę ſingulas libras,argenti ſpumæ ſelibram,roſacei & acris aceti quod ad excipiendum ſit ſatis:aut ſandycis ſelibra, ceruſæ,roſacei,pares portiones miſcentur.

Lipara animene adſtringens.

Spumæ argenti ſelibra,ceruſæ aſſipondium, vini veteris,olei communis,ſingulorum italicus ſextarius,olei myrtini triens.

Lipara omnibus ambuſtis efficax.

Ceruſæ ſelibra,ſandycis tantundem,decem ouorum albi liquores,roſacei quod eſſe ſatis videbitur,ſucci ſolani conſimilis modus.

Pelagonij emplaſtrum viride.

Habet ceræ libram,olei myrtini dupondium ſemiſſem, pinguis anſerini,œſypi,ſingulorum ſextantem, æruginis,galbani,ſingulorum quadrantem,reſinæ terebinthinæ ſextantem, farinæ thuris quod ſit ſatis, aheno coquuntur omnia,& ab igni ſummouentur. Aliud emplaſtrum,habet nitri, æris combuſti,axungiæ,ſingula dupondia,bituminis iudaici trepondo,atramenti ſutorij, laſerpitij, ſingulas libras. Alia medicamenti miſtura, picis aridæ,reſinæ pini,picis berytiæ,opopanacis,ſingulorũ libra,galbani,propolis,ſulfuris ignem non experti, quod apyron vocant, mannæ,croci,ſtillæ ammoniaci,myrrhæ troglodytidis, ſtyracis,ſingulorũ vncia, bituminis iudaici,cerę,ſingulorum ſelibra,medullæ ceruinæ ſextans,colophoniæ radicis, panacis,ſingulorum vncia,hæc omnia molliuſculo igni coquuntur, vt dum opportunitas vrgebit,medicamẽtum adhibeatur. Emplaſtrũ aliud,habet æruginis,æris cõbuſti,nitri cremati,ſalis ammoniaci,fecis vſtæ, quam vocãt pheclen,hoc eſt feculã, veratri nigri, ſingulorũ ſelibrã,axungiæ librã,galbani ceræ ſingulorũ ſelibram. Emplaſtrum aliud,habet etiam cadmiæ,bituminis iudaici,æris ambuſti,atramenti ſutorij,quod appellant chalcanton,nitri & axũgiæ pares modos. Vnguentũ trypherũ,quod plaſticon cognominãt, continet fecis vini,aut ſapæ,ternos ſextarios,ſampſuchi,baccarum lauri, ſeminis lini,nitri maritimi,ſeminis viticis,olei partes quæ tibi faciant ſatis.

Apſyrtus fœdis narium vlceribus, quas vocant ozenas.

Viſci quadrans, aluminis libra cum quadrante, ſideritis herbæ ſelibra, aceti quod eſſe ſatis videbitur.

Hierocles ad idem.

Scopa qua furnus euerritur, in labello lauatur. collecta aqua collinitur in ſole. ſed prius locus eſt eluendus, & aceto detergendus.

Eumeli medicamentum ad idem valens.

Ficos pingues in aceto ſcyllino per quatriduũ macerabis, poſtea tantiſper teres, dum ficaria grana in farinã reſoluãtur. tum adijcies cãdidum ceparũ, quod proportione reſpõdeat: deinde ſalſamentũ miſcebis purgatũ, carnéſq; detractis ſpinis ac pelle, teres omnia diligẽter, & ſupra laneam faſciam cataplaſma duces, & animalis pedes calceabis, ſic tamen vt prius panno pilis vel ſetis texto defricẽtur, & aceto detergeãtur. ita impones emplaſtrum. ſed biduo animal cui remedium hoc adhibetur, maneat quietum, nulloq; motu citatum, ſic vt in equili & potum & cibum capiat. poſt triduum medicamentum reſolues, & ſanitati redditum inuenies.

Medicamentum Pelagonij ad idem valens.

Atramentũ ſcriptorium, gallas, & alumen, æquis ponderibus tunſa cum axungia miſceto, corticis mali, ſalis nitri quod ſufficit imponito. Aliud, ad idem efficax. ficus & ſinapim tundes, acetũ cum liquido alumine addes, & parti impones, tertio die reſolues. Si non præſtiterit auxiliũ, renouabis, rurſumq; poſt triduũ eximes. Cũ melius articuli valuerint, vino lauabis, ſolutũ elues equum. Aliud, continet opopanacẽ cum hordeacea farina coctum, ita vt emplaſtri craſſamentũ reddatur: dein articulis medicamentũ inducitur.

Quid cruda polenta, quam vocant ωmen lyſin.

Polenta cruda, quæ græcis ωme lyſis nominatur, miſtura æqualis eſt fœnigræci, ſeminis lini, & farinæ hordeaceæ.

Puluis quadrigarius.

Amomi, cinamomi, moly, ſeminis lini, ariſtolochiæ, ſingulorum vncia, croci, iunci odorati, roſarum, ſingulorum ſelibra, iris illyricæ libra, aſſari dodrans, petroſelini, aniſi, ſingulorum ſextarius, crocomagmatis libræ duæ, radicis ponticæ, caſiæ, thuris maſculi, calaminthæ, ſingulorum quadrans, nardi ſpicæ, nardi gallici, piperis nigri, coſti, panacis, piperis longi, piperis candidi, ſingulorum triens.

Vnguentum quadrigarium.

Taurini adipis, caprini, & ceruini, ſingulorũ libræ binę, anſerini pinguis, ceræ tyrrenaicę, reſinę terebinthinæ, ſingulorum libra, olei veteris ſextarius.

Vnguentum calfactorium.

Habet ceræ, reſinę pini, reſinę terebinthinæ, ſingulas libras, axũgiæ binas, galbani, nitri, ſulfuris viui, baccarum lauri, cyperi, ſingulas vncias.

Pelagonij allimanticon.

Recipit resinæ terebinthinæ, resinę aridæ, resinæ colophoniacæ, resinę pineæ, ceræ, medullę cerui, olei laurini, galbani, opopanacis, æquas partes, quæ in ollam conijciuntur, & leuiter subditis prunis incoquũtur. igni detrahuntur cum in vnitatem coiërint, & à refrigeratione cõcreuerint. tunc animaliũ tempora renésq; defricantur.

Apsyrti vnguentum neruorum perfrictionibus vtile.

Ceræ vncia, resinæ terebinthinæ triens, opopanacis, medullæ cerui, singulorum sextãs, styracis, olei, singulorum quadrãs, cyprini olei vncia, omnia simul coquuntur. partes quę perfrictionem senserunt, hyeme calido loco linuntur, æstate sub dio.

Aliud vnguentum.

Vnguẽtum hoc, armorũ, coxendicum languores, lumbaginemq; discutit, tumores digerit, neruorũ rigores sanat. baccarũ lauri, sampsuchi, singulorũ sextarius, sulfuris ignẽ nõ experti quadrãs, mannę puræ, resinæ pineæ, singulorum libra, cumini æthiopici, olei cõmunis, singulorũ quadrãs, vini meraci sextarij terni, ea simul coquũtur, dum strigmenti crassitudo fiat. vase medicamen reconditur, quo subcalfacto cum necessitas vocat vtendum.

Apsyrti vnguentum quo perfunduntur opisthotonici.

Baccarum lauri, cumini, singulorum sextarius, sulfuris ignem nõ experti, galbani, singulorũ quadrãs, resinę terebinthinę libra, olei sextarij tres, omnia simul coquuntur, totumq; pecus oblinitur. sed tum pabulis siccis & vitiligineis palmitibus sustineatur.

Eiusdem ad artuum compages perfundendas.

Ceræ, picis, resinę aridæ, singulorũ libra, opopanacis vncia, galbani tãtundem, castorij semũcia, pinguis taurini selibra, picis nauibus erasæ, pineæ resinæ aridæ, singulorum triẽs, terebinthinæ, sampsuchi, singulorũ sextãs, olei sextarius, castoriũ tunditur, & cribro cernitur, & cum reliquis, vt in vnitatẽ coëant, miscetur. Medicamentũ quod iumentorum pedes sanat. In fictile nouum olei sextarios tres inijcito, lacertas virides duas ferè vel treis indito, & operculato vase tantisper coquito in oleo, dum crematæ cõtabuerint. vbi ossicula detraxeris, bituminis triti selibrã addito, & picis liquidæ heminam, adipis suillę veteris bilibres offas, omnia sufficienter concoquito. hoc durat vngulam, pedemq; reddit duriorem, si cornu perungatur.

Hippocratis vnguentum.

Fermentum, salem, minium, ouum in aceto terito & linito. Aliud, resinæ quadrãs, ceræ tantundẽ, terebinthinę vncia, axungiæ duapondo, erui sextarij quatuor, aceti diluti, & lixiuij sextans, picis heminæ dimidium, salsamenti veteris librę duæ, mellis hemina, salsamẽtũ cum omnibus teritur, & in mortariũ mittitur. Aliud, Amurcæ, & veteris cedriæ quod esse satis visum fue-

rit,antiquæ axungiæ par modus cum vino & viua calce terũtur,& seorsum, & cum amurca. Aliud,Alliorum selibra,sulfuris triens,iris quadrans,axungiæ suillæ bilibres offæ,in aceto coquũtur,euphorbij sescũcia,castorij vncia, bdellij sextãs,galbani,opopanacis,spumæ argẽti,singulorũ sextans,bituminis selibra,mannæ triẽs,aridę resinę selibra,ammoniaci suffimenti sextans.

Apsyrti medicamentum ijs quibus sanies liquida naribus fertur.

Butyrum vel oleum cum garo & melle mista naribus infundũtur,deinde caput pedibus illigatur. sic emittitur ad pascua.

Theomnestus aduersum humores qui frigore cõcreti naribus deuoluũtur.

Sanguis à temporibus mittitur,vt capitis emissaria laxẽtur,quibus humores possint ruere,& omnis pituita quæ frigoribus in cerebro coierat,soluta, præceps per nares delabatur.verùm ante sanguinis detractionẽ calido oleo animalis sinciput oportet perfundere. Siquidem huiuscemodi fotus ad hoc adiumentũ præstabit, vt occlusa explicẽtur spiracula. Conditũ quod entrygon cognominãt,per os & nares infundatur,quò piperis calor obstruentes infarctus expediens,sternutamentum elidat:eoq́ necessum est excuti quod officiebat.Quòd si ijs admotis vitiũ nõ finiatur,opopanacis drachmã & vini nigelli aut conditi sextarium italicum semel infudisse satis est.

Aliud Pelagonij.

Humor qui naribus deuoluitur,euariat,aut sanè pellucentes muci quotidiana cõsuetudine destillant,qui nihil prorsus adferunt noxę.Si crassiores fuerint,atq́ cãdidiores,à cerebro defluũt.qui verò tenues fuluescũt,antiqua perfrictione sũt cõcepti.Quapropter febrim minãtur. Pingues & spumosi pulmonibus extũduntur, densiores à glãdijs descẽdunt. Ea sunt quæ cõuenit obseruare,& memorię tradere. Veterinis quæ naribus purulẽta reijciũt, opus est thuris masculi vnciam cum attica vini hemina tritã,tepefactãq́,per nares infundere,deinde frondes lauri suffire sic vt nidor naribus rapiatur.

Apsyrtus ad ardorem capitis,quam vocant siriasim.

Aeruginis selibra,calcis viuę quod esse satis fuerit visum.Item fauis hordeacea farina,axungia,& acetum,imponuntur.

Aduersus phazalam.

Phazalam morbum equis mare rubrum ingredientibus peculiarem ita digerunt. calcis viuæ librã,floris hederæ tantundem,nucũ auellanarũ sextarium,olei lentiscini libram,axungiæ veteris dupondium,florum fabarum libram,vnà cõterunt,& locum vitiatum illinunt. Aliud,quod adstringendi vim sortitur. Aeruginis selibra,chalcitidis,mysis,acaciæ, singulorum libræ duæ,malicorij sextarius,aceti tres sextarij.

Aduersus dracunculum.

Dracũculum ijs cognosces signis. pustulæ toto ambitu corporis erum-

punt,animalq́ꝫ clamitans obstrepit. cui sic succurritur. rutæ, rosarum,& castorij pares modos sumes,& in vnũ miscebis. sed primum pustulas adures, deinde pustulosum corpus illines, dum sanitati reddatur.

Vulnerarij mistura.

Chalcitidis vstæ,myrrhæ troglodytidis,myrrhæ prospirãtis,aloæ,singuli quadrantes cum mellis libra in pila teruntur,& accepto vulneri delinuntur.

Hierodis agglutinamenti compositio.

Thuris sextãs,sapæ sesquisextarius,mastichæ quadrãs,rosacei sextarius, pollinis tritici sesquisextarius,bulborum sextarius,oua quindecim,cochleæ vigintiquinq́ꝫ.

Pelagonij lipara.

Spumæ argenti selibra,ceræ dupondius,cerusæ quadrans,thuris masculi triẽs,medullæ ceruinæ sextãs,olei libræ duæ,ea omnia vino mista coquũtur.

Apsyrti pissera,id est picata mistio.

Aridæ resinæ sesquilibra,picis aridæ libræ duæ,ceræ libra,olei duæ libræ, sertulæ campanæ sextans,vini semuncia.

Pissera Azanitæ.

Picis aridæ sextans,ceræ quadrãs,adipis suillæ selibra,œsypi quadrans, resinæ pinus quincũx,sepi taurini selibra. cõtra peruersa vlcera,quę cacoëthe Gręci nominãt,Azanites magnus author condidit hoc medicamentũ,quod recipit picis aridæ quincuncẽ,seui taurini libram,adipis suillæ veteris semũciam,ceræ dupondiũ & semissem,œsypi semunciã,resinæ pinus libras duas, medullæ cerui quadrantẽ,adipis gallinæ selibrã,terebinthinæ vnciã,pinguis anserini quadrantem,galbani tantundem,butyri semunciam.

Chlora,id est viridis mistura.

Aeruginis sextans,resinæ dupondius,olei per hyemem quadrãs,per æstatem vncia,cerę quadrans,aquę quod satis fore videbitur.

Eromene,id est amata compositio.

Habet ceræ librã,adipis suilli insulsi sextantem,aridæ resinę põdo,thuris, myrrhæ,singulorũ triẽtẽ,rumicis tosti libras duas. rumicẽ in charta subinde versans,calidis cineribus coquito,tritumq́ꝫ conijcito,& in ceratum cogito.

Aphroditarium.

Pinguis taurini,adipis suilli recẽtis,singulorũ librã,hircini sepi selibrã,adipis ouilli semũciã,resinæ pinus,ceræ,singulorũ librã liquefacito,& excolato.

Parygron.

Ceræ libræ duæ,cerusæ triens,spumæ argenti quadrans,vnà liquantur.

Medicamen è mandragorę succo.

Adipis suilli veteris,picis brutiæ,ceræ duræ,olei cõmunis,singulorum libræ binæ,spumæ argẽti,cerusæ,aluminis scissilis,singulorũ quadrans,mysis,gallarum,chalcitis,singulorum sextãs,lachrymæ papaueris,opopanacis,

aloæ iocineris imaginē suo coalitu referētis, quam vocāt hepaticen, myrrhæ thuris, singulorum vncia, succi mandragoræ quadrans, aceti quàm acerrimi quod fore satis videbitur, quæ liquari possunt, in pilam demittuntur, arida adijciūtur, inibiq́ sinuntur fermentescere. Quod si resoluere medicamen in animo sit, ea erit ratio. prædictę mistionis libra, ceræ, picis brutiæ paria pondera senis olei communis libris diluuntur.

Barbara Hieroclis suffitionibus dicata.

Bituminis iudaici, picis aridæ, ceræ, resinæ, singulorū libra, terebinthinæ sextans, spumæ argenti vncia, cerusæ sescuncia, mannæ, opopanacis, singulorum sextans, myrrhæ vncia, olei quadrans, aceti quod videbitur satis.

De macerata fruge quam strigosis equis Cappadoces exhibent, Apsyrtus.

Hordei modios ternos, fabæ sextarios ternos, ciceris sextarios octonos, fasiolorū totidem, erui sextarios binos, vini totidē, ea in vesperā macerāt, & appetente diluculo cōmiscent, paulumq́ resiccant. Huius maceratæ frugis vesperi semodium, & mane tātundem præbēt, vt interdiu modiū pecus deuoret. Si vero strigosum pecus fuerit, hoc pabulū diebus viginti continentibus estur. Si gracile non est, sed obesum, quindenis aut septenis dedisse satis est. sed quo tēpore vescitur, stabulo nequaquā exeat, sed inibi potū capiat. Syri misturæ huic, nucum pinearum & vuarum passarū singulos adijciunt sextarios, dantq́ diebus septenis, & tenebrosis cōtinent equilibus, quorum persiccum, nullaq́ perfusum vligine, vel obsitū aspergine fuerit pauimentū.

Remedium varijs accōmodatum vitijs, & vt vmbræ stabulis abigantur.

Magnetis gēmæ vncia, solomoniaci calculi sextans, panacis vncia, bituminis selibra, sulfuris vncia, peucedani selibra, miscentur vnà, & resina terebinthina excipiuntur, & ad vsum asseruantur.

Ad fastidia ciborum & nauseam.

Interdum fastidio ciborum elanguescit pecus. eius remedium est genus seminis quod gith appellatur, cuius duo cyathi triti adiungūtur olei cyathis tribus, & vini sextario, atq́ ita faucibus infundūtur. Nausea discutitur etiā si caput allij tritum cum vini hemina per cornu præbeas potandum.

Eumelus articularijs doloribus.

Si dolores articulos excruciāt, missio sanguinis mirū in modum prodest. Si ad internodia decubuerunt, & nonnihil puris subesse sentiatur, sic erit succurrendum. iris tūsæ, farinæ thuris, gallæ rubræ, radicis panacis, aristolochiæ, singulæ libræ contunduntur, & illinuntur.

Ad ligulam.

Si ligula pecus male habet, vena sub lingua soluitur, acetoq́ laserpitiato, & furfuribus in cataplasmatis lentorem congestis illinitur. pabulum obijciatur, & tepida aqua detur potanda.

Hippocrates intercisæ linguæ.

Si linguam cõtingat interscindi, gallam vino nigro incoctam adhibebis, aut centaurium tunsum illines.

Pelagonius.

Irim cum melle subactam imponito linguæ, eamq́ꝫ vino proluito, postridie rursum eadem medendi ratione vtitor, & consequẽter, dum ad iusta perducatur.

Eumelus gingiuarum collectionibus, quas appellant parulidas.

Sanguinem à superiore meatus aut emissarij parte trahes, & gingiuas aculeis compungi iubebis, saleq́ꝫ vsqꝫ dum sanescat fricabis.

Eumelus procidentiæ sedis, & vitijs eiusdem.

Si procidat anus, ipsam oleo, ouillo adipe, & tepida aqua fouebis, paulatimq́ꝫ in interiora repelles. resinã aridam cum supradictis medicaminibus inseres sedi. Si ex multa humorum acrimonia aut prurigine vitium circa sedem trahatur, curandi ratio hæc erit. Quinquefolium hęrba, & allij capita quindecim teruntur, & in pastillos digesta, mellis selibra, & olei sextario excipiuntur, dein per sinistram narem inijciuntur. aut stillatitij lixiuij sextarij duo cum vna vini hemina faucibus inseruntur.

Si excrementa non reddat aluus.

Si nõ possit venter excernere, nitrum, oua quatuor, olei quatuor heminæ, cum aquæ caldæ sextarijs duobus, subter in aluum per sedem funduntur.

Si collisa sit anus.

Thus in vino odorato coctum inditur: deinde vbi fuerit oleo perlita, iris redacta in cinerem inspergitur.

Eumelus vt aluum quis purgatione solicitet.

Si deiectionem alui moliri cordi sit, radicis syluestris cucumis modus qui tibi fecerit satis, laseris scrupula sex, mellis sextarij quatuor, aquæ calidæ sextarij octo teruntur, & calfacta per anum liberalius inserũtur. hoc vtendũ auxilio, dum hærentia ventris recrementa, remoratumq́ꝫ fimũ deuoluatur. sed progrediatur tãtisper equus, dum coactus venter recremẽta reddiderit. aqua quoqꝫ mulsa adiuncto melle & veratro detur potanda.

Eumeli, quæ medicamenta ciunt aluum.

Catulum qui iam cibum cœpit esse, iugulatũ, glabrumq́ꝫ, postquã omnia proieceris interanea, decoques, & iuri sextariũ vini odorati miscebis: & vbi redditũ ius totũ, ne qua remãserint ossa, linteo colaueris in lebete sex heminarum capaci, ex hoc per triduum animali binas heminas, nitro instar plenæ manus addito, faucibus infundes. si catellus tum nõ offendatur, suis pinguissimi trũculus vnus aut alter cum crure coquitur, & eisdem adiunctis impingitur. Nos vero vti cõsueuimus cãdido tithymalo, aristolochia tenui, & centaurio paruo, quorũ decocta linteis colata addito melle solemus infundere.

Purgationi.

Si quæ peperit equa, oneribus vteri nõ expurgetur, aut secũdæ nõ respõdeant, aut aliquis morbus aluum occupet, olei vino diluti liquore roratum tithymalum, & axungiã per os infundito, aut folia brassicæ tusa imponito.

Eumelus tergo transuerso.

Polenta vino oleoq; rigata agglutinatur. si pulmonem affecit, alta plaga rescinditur, equi fimum ex aceto oleo & crudo sale trito imponitur vulneri, & ita a morbo se recolliget.

Surculis hærentibus & clauis refigendis.

Clauos & surculos corpori defixos extrahũt, chalcitidis, floris æruginis, fecis vstæ, nitri, salis, aceti æquæ portiones mistæ & contritæ.

Eumelus vt animalia feritatem exuant.

Feritatem animans deponet, si gallinæ fimi dura pars quo placebit modo detur deuoranda.

Scabriciæ gutturis.

Si pecudi fauces exasperentur, nec pus inde feratur, tragacantha in aqua resoluta, & glutinis rhodiaci vncia in vini selibra trita infunditur.

Medicamentum emolliens.

Ceræ pondo quadrantem, olei heminam, resinæ colophoniacæ pondo sescunciam vna subigens, in vase recondito, & vtitor.

Sternutamentum mouens.

Nitrum crematum, radiculam, & piper candidum, irim illyricam, & nigrum veratrum, tusa cribrataq;, in nares inspirabis.

Medicamentum quod corpus exest, septicon appellant.

Vt caro luxurians erodatur, auripigmenti triens, squãmæ æris quadrans, veratri nigri sextans, cum ficis pinguibus tunduntur, & oleo miscentur.

Odoratum medicamen.

Casiæ, cinnamomi, singulorum quadrans, gingiberis triens, costi libra, amomi quadrans, calami odorati, iunci odorati, singulorum selibra, crocomagmatis libra, croci vncia, myrrhæ troglodytidis, xylocinnamomi, singulorum triens, piperis selibra, opopanacis, gentianæ, iridis illyricæ, singulorũ libra, aristolochiæ, pæoniæ, singulorum selibra.

Hieroclis odorata mistio.

Folij, costi, amomi, spicæ nardi, casiæ, iunci odorati, singuli besses, iridis, cardamomi, singulæ selibræ, sertulæ campanæ, hyssopi, singuli sextarij, nardi gallicæ, petroselini, xylobalsami, singuli besses, laseris, calami odorati, grani cnidij, singulæ selibræ, sampsuchi, rosarũ siccarũ, singuli sextarij, aristolochię, gentianæ, dulcis radicis, peucedani, centaurij, croci, piperis, tragacanthæ, singuli semisses, palmulæ quinquaginta, mellis sextarius, olei deni sextarij, oua quindecim, vini primæ notæ megarensis sextarius.

Hippacopum.

Mellis, ceræ, ſingulorum vncia, plumbaginis vncia, æris nigri ſemuncia, hæc ſubiguntur vnà agitanturq́ʒ, dum puniceum colorē contrahant, additur aceti cyathus, tertia pars infunditur. hoc & hominibus efficax eſt. Quòd equorum leuet laſſitudinem, ideo hippacopum nominant.

Hieroclis hippacopum.

Opopanacis, galbani, caſtorij, ammoniaci, euphorbij, pyrethri, terebinthinæ, ſingulorum triens, ſampſuchi, medullæ ceruinæ, ſingulorum ſelibra, myrrhæ, pompholygis, ſingulorū triens, ceræ libræ quinqʒ, olei ſextarij octo.

Hippaſij Heliæ medicamentum.

Axungiā ouillam, argēti ſpumā, oleum, vinū vnà ſubiges. valet aduerſus exulcerationes, recēteis tumores, præſertim ſi in vertebras boū decubuerūt.

Hippocratis agglutinamentum.

Sapæ, tragacanthæ, croci, nucis pineæ, chalcitis, ouorum ſufficientes parteis miſcebis ad vſum.

Hieroclis agglutinatorium.

Thuris quadrans, aut ſextans, maſtichæ ſextās, cumini quadrans, defruti ſeſquiſextarius, roſacei ſextarius, bulborū ſeſquiſextarius, oua quindecim.

Eiuſdem tetrapharmaci compoſitio.

Tetrapharmacum quatuor conſtat medicinis, ariſtolochia rotunda, gentiana, bdellio, baccis lauri. inde nomen.

Albæ vitiligini citra ſcalpellum mederi.

Radix verbaſci tuſa linitur parti quæ vitiliginibus ſcatet, dein reliquæ hanc labem non expertæ chamæleuce tuſa inducitur, & agglutinata ligatur.

Erigeron, ceu ſenecionis miſtura recenter vulneratis conferens.

Galbani quadrans, picis nauibus eraſæ, reſinæ aridæ ſelibra, terebinthinæ quadrans, ceræ, olei, ſucci ſenecionis, qui erigeron Grȩcis dicitur, ſingulorum libra coquitur, & oleum cum ſucco donec in vnitatē coaluerint, dein reliqua quæ in liquorem reſolui poſſunt, eliqueſcunt, & immiſcentur.

Liparæ compoſitio.

Spumæ argenti quincunx, plumbaginis treſſis, ceruſæ ſeptuſſis, ſarcocollæ bes, mannæ triens, ceræ libræ tredecim, axungiæ recentis decuſſis, roſacei ſeptuſſis, oua quinquaginta, vini veteris quod fore ſatis viſum fuerit.

Pelagonij lipara.

Spumæ argenti, ceruſæ, thuris maſculi, æquales modi teruntur, & adiungitur croci olei mellis quod ſatis eſſe conſtabit.

Si narium septum rescissum est.

Cum narium pars quæ Græcis triganum dicitur, concisa est, vis magna sanguinis exit, nec ruentis impetus facilè sisti potest. tum penicillus imbutus aceto, cum polline thuris inditus ligatur, quandiu vulnus hiat: cui vulnerarium emplastrum postea medebitur.

Si equus suum pedem cœpit mandere.

Liquidum canis stercus ex aceto quàm acerrimo continue linitur.

Tetrippi puluisculus.

Acori pontici vncia, myrrhæ quadrans, piperis semuncia, crocomagmatis sextans, iris illyricæ quadrans, hyssopi vncia, malagmatis, allij, salis pontici, singulorum sextans.

De oleraceo cibatu.

Si cum incessit hyems, animal oleribus vesci placet, pridie diligēter olus excoques, & in offas agglomerabis, addito oleo, & trito sale, petroselino & cumino illo die. Postridie siccius offerri condimentum procurabis, axungiam adijcies, & exhibebis.

De danda adipis offa.

Optimum aduersus intestinas valetudines auxilium, cum hyems adest, offas axungiæ cum pice liquida & oleo præbere: sed cum æstas accessit, axungiam ex melle, butyro, porris, & rosaceo dedisse satis est. verum hoc medicamen subinde repetens animal adsumat.

Tetrippi aliàs quadrigarij dicti compositio.

Nardi syriacę vel indicę, croci siculi, myrrhæ troglodytidis, iunci odorati, piperis nigri, piperis albi, casiæ nigræ, trisaginis, nardi gallicæ, cinnamomi, ceparum indicarum, agarici pontici, thuris masculi, iris candidæ, calaminthæ, laseris pontici, gentianæ, petroselini sicci, casię cui fistulę cognomentum est, omnia ponderibus æquis tunduntur, & cribro cernuntur.

Indicia resolutionis neruorum.

Hæ sunt resolutionis neruorum notæ: labia deformia in mollitiem fatiscunt, lingua vitio victa torpet, alter oculorum minor cernitur, & vna auricularum flaccida. Quod ad curandi rationem pertinet, primum vbi labia vellicaueris, tali illitu conueniet vti. olei veteris, bituminis, resinæ pineæ, singulorum selibram, ammoniaci libram, galbani vnciam, propolis tantūdem, mannę selibram, medullę ceruinę vnciam simul incoques, & vteris.

Cataplasma coxendicibus vtile.

Acetũ & aqua ex æquo cũ resina coquuntur. hordeacea farina adiungitur, vt lentorẽ cataplasma contrahat. quod calidũ laborantibus coxis adfigitur.

Contra tumorem omnem præsertim qui igneo feruore non flagret: quod & hominibus quoq; prodest.

Ceræ, picis, resinæ colophoniacæ, ammoniaci, singulorum selibra, adipis suillæ sextãs, nitri, calcis viuæ, bulborum, fimi columbarum, singulorum vncia, cedrię semuncia, aquæ & stillatitiæ myrrhæ, quam vocant stacten, paulũ.

Emplastrũ aduersus omnia cacoëthica vulnera, phagędenas vlcerũ diuturnas increis tibiarum, & abscessus ano præsertim erumpentes.

Cerusæ, spumæ argenti, mastichæ, succi apollinaris, myrtini olei, singulorũ pares modi, cerusa, argẽti spuma, cum mastiche teruntur: myrtaceum oleũ, succus apollinaris, guttatim instillantur. vbi in emplastrũ coierunt, plumbaceo vase recõditur. Si vero progressu temporis induretur: antequam veniat in vsum, myrtino oleo & exiguo vino subactum molliatur.

Equo hordeatione laboranti, caduco, cubitoriq;, qui nec progredi nec exurgere potest.

Lecta fici syluestris folia magnopere tunduntur, atq; in egelidã conijciuntur, & colata cornuq; concepta præbentur iterum aut tertio bibẽda. deinde vehementi motu pecus concitetur. sic sanitati reddes.

Emplastrum dictamneum.

Spumæ argenti pondo denariorum sexaginta, colophoniacæ pondo denariorum quinquaginta, cerę pondo denariorum vigintiquinq;, ammoniaci thymiamatis, aristolochiæ, singulorum pondo denariorum sedecim, mãnæ, galbani, pondo denariorum duodecim, æruginis, æris combusti, dictamni, aloæ, propolis, singulorum pondo denariorũ octo, squammæ æris, diphrygis, gentianæ, singulorum pondo denariorum sex, olei vnciæ quatuordecim, spuma argenti & oleum coquuntur quousq; nulla polluantur labe, dein ærugo mittitur, & eodem coquitur modo, postremo resina, ammoniacum cribro cretum adiungitur, postea diphryges, iterumq; coquuntur, tuncq; cera cõijcitur. vbi vas fuerit ab igni dẽptum, galbanũ cum propoli subactum additur, & paulũ coquitur. vbi deferbuerit, & redierit ad teporem, aloë, mãna, aristolochia, gentiana, spargũtur: & si sorde coinquinẽtur, molliusculo igni debent incoqui. pręstabit paulũ aquæ fundere, ne spuma argẽti cõcremetur.

Emplastrum varijs vitiorum generibus artificio constructum, aduersus vetusta & recentia vlcera.

Olei probati dodrãs, bituminis iudaici, ceræ pinguis, resinæ. aridæ, picis mundæ, singulorum libra, argenti spumæ, cerusæ, æruginis rasæ, singulorum

pondo denariorum decem, aluminis sciſſilis, atramenti ſutorij, chalcitis, croci, ſingulorum pondo denariorum quatuor, ammoniaci thymiamatis, thuris maſculi, aloæ in iocineris ſpiſſitudinem concretæ, myrrhæ troglodytidis, lachrymæ papaueris thebaici, quam vocant opion, pondo denariorum ſedecim, aceti quod tibi faciat ſatis.

Emplaſtrum quod dolores ſopit, & incandeſcentes inflãmationes diſcutit.

Succi haſtulæ regiæ, ſucci perdicij, ſingulorum triens, ceræ, butyri recentis inſulſi, axungiæ, calcis viuæ, medullæ vitulinæ, ſingulorum quadrans, ſpumæ nitri, cimoliæ cretæ, fecis vini crematæ, nitri, ſingulorum pondo denariorum duodecim, decocti glutinis è triticeo polline coacti pondo denariorum duodecim, ſeminis ſertulæ campeſtris tunſi & cocti pondo denariorum duodecim, olei probi treſſis, omnia in emplaſtrum coguntur.

Aliud ad idem eadem valens.

Ceræ colophoniacæ, adipis anſerini, ceruſæ, ſingulorum pondo denariorũ ſedecim, picis pondo denariorum quatuor, ſucci braſſicæ ligulæ dimidium, ſeminis lini tantundem, ſucci militaris hærbæ ligulæ menſura, ſucci ſertulæ campanæ tantundem, lactis bubuli par modus, oua quatuor, olei dupõdius.

Paſtillus Gregorij dyſentericis & laborantibus foria pecudibus aluũ tenet.

Amyli, acaciæ, ſingulæ vnciæ, lycij ſeſcuncia, croci, myrrhæ, thuris, ſingulæ ſemunciæ, lachrymæ papaueris quadrans, ſingula teruntur operoſe, dein in vnũ corpus coguntur, rurſumq; in feruefactæ roſæ vel ſalicis aut myrti viridis iure teruntur per biduum in pila, poſtea ſiccantur ad vſum. ſed aliquid prioris iuris adijciendũ eſt. Quòd ſi longius vitiũ inualuit, primum ſuccus ſalignus ſubter in aluum detur. Si vero cita ventris proluuies non reſtiterit, cruẽtaq; ab aluo ſtrigmenta ferantur, hæmatitem gemmã paſtillo colligi cõueniet. poſſunt & prelongæ glãdes ſubdi. is paſtillus ventrem tenet, & profluuium ſupprimit ſi vmbilicus ſtomachus aut aluus illinatur.

Epithema cœliacis vtile.

Humilis radiculæ, ſeminis vrticæ, maſtichæ, ceræ, ſinguli ſextãtes, mellis vncia, ſcammomij ſextans, cera cum melle reſoluitur, reliqua in pollinem redacta ſparguntur. hoc illitu ventrem ciet. In Cyrno inſula linguas equorum diſſecant, ne hinnitu ſuo tædium adferant. Sunt qui per Græciam vinculis huius gratia linguam coërceant.

Diodorus de ponderibus & mensuris.

SILIQVA, quæ graijs ceration nominatur, primum est ponderis elemẽtum, & tanquam parens numerorum vnitas. Huic succedit obolus, qui siliquas treis continet. Oboli duo scrupulum faciunt, qui grȩce gramma dicitur. Tres scrupuli drachmã implent, quod est denarij põdus. Drachmæ additus scrupulus sextulam creat, quæ nomen possidet, quòd sexta sit vnciæ pars. græcis eadem ratione hexagion nominatur, quòd in senas partes vnciã secet. In hac scrupuli sunt quaterni. Sextulæ duæ duella vocãtur, in qua etiam duo inueniuntur hexagia. Duplex drachma sicilicum facit, quem assarion, quasi paruũ assem interpolato latij vocabulo cœperunt appellare, quòd duodenis vt reor obolis, sicut as vncijs, cõflatur: in quo sextula vna, & eiusdem dimidium continetur: quod pondus scrupulos æquat senos. Duplex sicilicus staterẽ pendit, id est hexagia tria, vel, si mauis, semunciam. Stateres duo complent vnciam, in qua scrupuli cõtinentur quatuor & viginti. Vncijs duodecim romana libra constat. Mina italica libram quatuor drachmis superat. Talentum quod cõmuniter vsurpatur, pendit quadraginta pondo. Porrò veteribus talentum non certũ aut definitum quid apud omnes ponderare cognoscitur. quare tria eius statuũtur genera. vnum Ptolemaicum, quod habet ducẽtas & septuaginta libras. Secundum continet centum vigintiquinq; pondo. Tertium centussem librat: quare centenariũ emendicato à latinis nomine dici cœpit. Sed ad mensuras communes transeamus: quarum pars prima velut elementũ coclearium est, quod & ligula dicitur, vnum capiens sicilicum. Mystrum minus ternas concipit ligulas. Cyathus mystra minora duo cõtinet. Acetabulũ, quod & maius mystrum græcis nominatur, sesquicyathũ implet. Hemina, græcis cotyle dicta, vel tryblion, quatuor impletur acetabulis. Sextarius heminas duas capit. Quare si mensuris pondera componere velis, in sextario totidem inueniuntur cyathi, quot in libra vnciæ: & in hemina tot insunt acetabula, quot in vncia siciliqui. Congius, qui graijs chus appellatur, senos continet sextarios. Amphora italica, ceramion nonnullis nominata, octo complectitur cõgios. Duplex amphora modius est. Quod si modos ponderibus placeat conferre, ligula seu coclearium pendit sicilicum. Mystrum minus ternas habet ligulas. Cyathus mystra duo minora tenet, id est sescunciã, sicut acetabulum sextantem. Hemina selibram & quadrantem trahit, vt sextarius libram & semissem. Congius nouẽ capit libras. Sũt tamen qui minora his ponderibus & modis iaciant fundamenta: quippe qui cyathũ drachmas decem tantum pẽdere statuant, & quindecim acetabulum. Quare à sextarij pondere nonnihil pro ratione putant subtrahendum. Nec tamen ignorare oportet supra dicta liquidorum põdera ad mensuras aquæ & vini

maxime referri debere. In oleo & melle singu modorum pondera graui-tatis proportione plurimum dissident, quāti qui ijs in rebus versati iam diu fecerunt periculum, aut quouis modo pr ntes inita ratione college-runt: sic vinum & aqua eodem æquilibrij cen nt æstimanda. Cum ergo iniecta olei libra vas oppleuit, si in idem deca to oleo vinū vel aqua fun-datur, alteram vnciam libræ superesse reperie uod suapte natura vinū & aqua ponderibus degrauata cedant oleo. Iter. elutriato vino in idem vas inieceris libram mellis, inuenies iterum sextātem emergere. Præterea fictile capax libræ olei cum depletum est, vini vel aquæ libram & vnciam, mellis li-bram quadrantem semunciam omnino continebit. Cæterum si libet scru-pulosius partiri, quod tamen in eundem modum recidit, vas quod duas & septuaginta sextulas olei capit, octo & septuaginta vini vel aquæ, & mellis nonagintatres colliget. Quare non parui refert in liquidorum modis quem metiamur laticem: quod etsi æquis lancibus sint trutinata, imparibus tamē libramentis tracta feruntur. Has ponderum & mensurarum rationes ple-riq; omnes ad vnguem sequuntur. Cæterum ne error in his aliquid adferat noxæ, aut pariat detrimentum, nationes variæ & regiones sunt consulendæ, quæ diuersis modis rerum pondera mensurásq; solent vsurpare. Quare si quędam inter se videātur dissidere, id gentium variarum vsui feres acceptū. Non enim de ponderibus & mensuris conuenit inter omnes. Varias igitur rationes ponderum ac mensurarum sic breuissime Diodorus perstringit.

Italica mina libram capit & semunciā. libra duodecim vncias, stateres qua-tuor & viginti, sicilicos duodequinquaginta, denarios siue drachmas no-nagintasex, scrupulos ducentos & octogintaocto, obolos quingentos se-ptuagintasex, siliquas deniq; septingentas duodetriginta. Attica mina cō-tinet libram & trientem. Olce sextātem capit, id est duas vncias, siue state-ras quatuor, sicilicos octo, denarios duodecim, drachmas sedecim, scrupu-la duodequinquaginta, obolos nonagintasex, siliquas ducentas octoginta octo. Ptolemaica mina, vt memoriæ proditū inuenimus, solet pendere li-bram vnam & semissem. vncia vero stateras duos, siciliquos seu assaria qua-tuor, denarios vel sextulas sex, drachmas octo, scrupulos vigintiquatuor, obolos duodequinquaginta, siliquas centum quadragintaquatuor. Stater siciliquos duos pēdit, & denarios siue sextulas treis, drachmas quatuor, scru pulos duodecim, obolos quatuor & viginti. Drachma scrupulos treis con-tinet, obolos sex, siliquas octodecim. Denarius drachmā capit, & eius tertiā partem, hoc est scrupulos quatuor, obolos octo, siliquas seu grana viginti quatuor. Obolus siliquas treis capit, siue sextulæ octauā partem. Sicilicus habet denariū & semissem, siue binas drachmas, scrupulos sex, obolos duo-decim, siliquas trigintasex. Scrupulus pēdit obolos duos, siliquas seu gra-na sex. Siliqua sextulæ vigesimaquarta pars æstimatur. Italica amphora

(quod ceramion vocant gr ... cõgios octo capit. Cõgius sextarios sex. Sextarius heminas duas. Sic ... modos recolligendo, quadragintaocto sextarios amphora capit, vel no ... intasex heminas. Acetabulũ cẽtũ & nonagintaduo. Cyathos quingen ... ptuagintasex. Mystra duo millia & trecenta quatuor, cochlearia quatu ... llia sexcẽta octo. Acetabulũ cyathos treis cõplectitur. Cõgius implet s ... rios sex, heminas duodecim, acetabula vigintiquatuor, cyathos duos & ... ptuaginta, mystra ducenta octogintaocto, cochlearia quingẽta septuagin... asex. Amphorã libræ nonagintasex implẽt. Cõgiũ libræ duodecim. Sextarius dupondiũ recipit. Hemina siue tryblion acetabula quatuor. Acetabulũ cyathos tres. Cyathus mystra parua quatuor. Hemina igitur continet cyathos sex, mystra duodecim, cochlearia viginti, mystra parua vigintiquatuor, scrupulos centũ quadragintaquatuor. Acetabulum selibram capit, cyathus sextantẽ, id est vncias duas. Mystrũ paruũ continet cochlearia duo. Cochlearium tenet senos scrupulos. hemina librã.

Ex rei veterinariæ scriptoribus pondera & mensuræ Galeni.

AVTHORES qui medicinam veterinariam condiderunt, sic sibi pondera & mensuras vendicarunt. Vncia continet drachmas octo. drachma treis scrupulos habet, & senos obolos. Hemina capit vncias duodecim, item acetabula quatuor: acetabulũ vero cyathos tres. Cyathus habet mystra minora duo. Cochleariũ mystri dimidiũ est. Acetabulũ vncias tenet senas. Cyathus capit vncias duas, mystrũ facit vnciæ dimidium. Cochleariũ scrupulos sex continet. Drachma scrupulos treis pendit. Cyathus mystra capit bina, ita vt mystrum semuncia reputetur. Mina continet vncias quindecim, libra senas olcas. Denarius priscis quatuor pendebat scrupulos. Amphora italica congios capit octo. Congius sextarios sex. Sextarius heminas duas, quæ & tryblia dicuntur. Hemina maiora mystra tria continet. Acetabulum habet sesquicyathum. Cyathus mystra minora duo. Si tamen sit in animo liquidorum pondera mensuris comparare, non erit alienum scire mel vino quarta parte & insuper decima põderosius existimari. Capit enim integram huius mensuram, & insuper trientẽ. Mel ex media parte oleum pondere degrauat. continet enim totum eius modũ, & vltra semissem. Vinum oleo nona parte supereminet, quando integrum ipsum capit, & eius dodrantem. Verum vt dicta manifestiora reddãtur, singularum mensurarum pondera breuiter subijciemus, hos liquores publico consensu perspicuos in vsum proferentes, oleum, vinum, mel. Italica amphora capit olei libras septuagintaduas, vini octoginta, mellis centum & octo. Congius continet olei nouem libras, vini decussem, mellis tredecim libras & semissem. Sextarius concipit olei librã & semissem, vini libram & bessem, mellis libras duas & quadrantem. Hemina tenet olei dodrantem,

vini dextantem,mellis libram,quadrãtem olei tenet drachmas sedecim,vini scrupula Mystrum maius capit olei quadrantem, mellis trientem,vel,quod idem est,vncias ‹ tricis,id est veterinariorum medicorum sc ınciam. Mystrum paruum ti,mellis drachmas nouem. :es vncias,& octo scrupula, ›r. Hæc Galenus hippia- 'ccepta retulit,

	Olei		ni		Mellis	
Italica amphora capit	lib.	72.	li.	80.	lib.	108
Congius	lib.	9.	lib.	10.	lib.	13½
Sextarius	lib. 1. vncias 6.		lib. 1. vncias 8.		vncias	13½
Hemina	vncias	9.	vncias	10.	vncias	13½
Mystrum paruum	drachm. 16.		scrupul. 20.		drachmas	9.
Mystrum maius	vncias	3.	vncias 3. scrup. 8.		vncias	4½

VETERINARIAE MEDICINAE IOHANNE RVELLIO SVESSIONENSI INTERPRETE FINIS.

ERRATORVM RECOGNITIO.

REPONE *pro purgabis, pugnabis. folio 2 pagina 2 versu 23.* Pro *Gelida, Egelida* 3 1 32. Pro *fundito, tundito* 8 1 32. Pro *Leontius, Leontinus* 10 1 11. Pro *lacunas, lacinias* 10 1 12. Pro, *purulentum extussiant, cum ad potionẽ ventũ est. Croci &c. repone, purulentũ extussiant. Cũ ad potionẽ vẽtum est, croci &c.* 11 2 28. Pro *rumis, nimis* 12 1 12. Pro *sphragitides, sphagitides* 14 1 6. Pro *mulæ medico, mulomedico* 15 2 27. Pro *oculis, oculus* 16 2 26. Pro *visũ, visus* 19 2 3. Pro *proriga, peroriga* 20 2 33. Pro, *sin minus, curua cauda. sin minus curua, cauda* 21 1 8. Pro *proriga, peroriga* 22 1 8. Pro *lascinijs, lacinijs* 22 2 4. Pro *pulliginémq;, pulliciéq;* 22 2 25. *Prægnantibus equis, vacat equis.* 23 2 1. Pro *quatuordei, quatuordecim* 24 2 36. Pro *deinde, demum* 25 1 12. Pro, *ex equo, ex quo* 33 1 31. Pro *tusum, tusam* 38 1 34. Pro, *poscit vsus, imbuũtur ad &c. poscit vsus, imbuũtur. Ad.* 39 2 15. Pro, *mittat, vt. mittat, &.* 41 1 17. Pro, *nitro egelidæ, nitro, egelida* 45 2 35. Pro *deficit, deficitur* 4 1 39. *Coriariam rhum, vacat coriariam* 51 1 4. Pro *ambitio, ambulatio* 51 2 9. Pro *nusqua, nusquam* 52 2 8. Pro *tradas, trabas* 62 1 27. Pro *scabrosis, scabiosis* 73 1 9. Pro *botryidis, cadmiæ. botryidis cadmiæ* 78 1 35. *& rursum ita* 80 2 3. Pro *gonus, gũmis* 78 2 13. Pro *nitro, vitro* 79 2 34. Pro *accrementum, acrementum* 82 1 4. Pro *enecabuntur, euocabuntur* 82 2 23. Pro *gestet, gestent* 84 2 19. Pro *cardamoni, cardamomi* 96 1 15. Pro *semunciam, semunciæ* 108 1 26. Pro *berytiæ, brutiæ* 112 2 5.

PARISIIS, EX CHALCOGRAPHIA LVDOVICI BLAVBLOMII GANDAVI, IMPENSIS SIMONIS COLINAEI.
M D X X X.